# EPHEMERIDES

# ISAACI CASAUBONI

CUM

## PRÆFATIONE ET NOTIS

EDENTE

JOHANNE RUSSELL S.T.P.
CANONICO CANTUARIENSI
SCHOLÆ CARTHUSIANÆ OLIM ARCHIDIDASCALO.

---

## TOMUS II.

---

OXONII,
E TYPOGRAPHEO ACADEMICO.
M.DCCC.L.

# ISAACI CASAUBONI

## ΕΦΗΜΕΡΙΔΕΣ.

---

### FASCICULUS QUINTUS.

XI. *Kal. Jul.* Varie occupati diem transegimus ; atque uno verbo aliis potius viximus quam nobis. Deum veneror, sic det quod reliquum vitæ superest, sic transigere ut non plane ejus gloriæ promovendæ inutiles fuisse dicamur. *Ναὶ, ὦ Θεὸς, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μεσιτεύοντος, καὶ ἐμὲ, καὶ τὴν πότνιαν μητέρα, καὶ τὴν σύγγαμον, καὶ τὰ τέκνα, τήν τε ἀδελφὴν, πάντας τε τοὺς ἐν γένει σῶσον ἀπημάντους.* Gloria tibi *τῷ μόνῳ ἐν τριάδι Θεῷ. Ἀμήν· πάλιν αὖ καὶ πάλιν, Ἀμήν.*

X. *Kal. Jul.* Diem fere cum amicis egi, et maxime cum optimo viro D. Gothofredo, quem cum omnibus meis, matre præsertim et uxore, servet Deus. Amen.

IX. *Kal. Jul.* *Τὰ ἐγκύκλια*, et magna voluptate fruor quod Polybii non segniter curatur editio. Sed dolet propter morbum filii Johannis, et

quod de matre pia nihil intelligam. Tu, O Deus, et illis da meliorem valetudinem, et τῇ συγγάμῳ, ac nos omnes finge gloriæ tuæ utiles. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια: sed mente varie agitata. Aliis vivimus, non nobis, et quidem hominibus ingratis, quod hodie et sæpius sum expertus in isto M. homine indigno eo honore quem illi habui, et serio pœnitet. Neque pergam insanire, et πλεονέκταις suram præbere. Etiam alter ne pariter ἀγνωμονῇ vereor. Sed parva, magna, negotia mea et meorum Deo commendo; qui me in hoc tenui incepto adjuvet. Amen.

VII. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, et de molesta cura præli anxietas. Uxor ad sacram synaxin ivit. Τῷ δὲ Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, et hic labor ascititius, ut puto ingratus. Τῷ Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Jul.* Pars magna diei cum amicis acta Stephanis, Gothofredo, aliis. Deo Optimo Maximo laus, honos, gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων.

IV. *Kal. Quint.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Quint.* Τὰ ἐγκύκλια, mane saltem. Uxor hodie ægrotavit: atque utinam majus malum non existat quam cujus hactenus fuit ἔμφασις. Tu, Deus æterne, et illam, et matrem, et nos omnes serva; ac familiæ huic studiisque nostris benedice. Amen.

*Prid. Kal. Quint.* Τὰ ἐγκύκλια, sed in opella quadam minuta parum feliciter. Tu dabis, O

Deus, perficere, quod optamus, qui dedisti meis, spero, omnibus mihique mensem exigere. Tibi honos et gloria לְעוֹלָם.

*Kal. Jul.* Mensem hodie inchoavimus, quem det Deus exigere ἀπημάντοις καὶ τῇ μητρὶ, καὶ ἐμοὶ, καὶ τῇ γυναικὶ, τέκνοις, καὶ ἄλλοις. Idem peccata nostra tegat. Et pro sua bonitate det perficere opellam, quæ hodie me detinuit, quo minus ad sacram synaxim irem. O quando rem factam aut saltem inchoatam videbo? Tu, Deus, adjuva per Jesum Christum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et honos εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VI. *Non. Jul.* O ærumnas! Nam neque vidi Polybium hodie, neque fere libros attigi. Ita me amici impeditum habuerunt. Deus misereatur nostri. Amen.

V. *Non. Jul.* Hodie discessit ab his ædibus Hottomanus. Nos in literis fuimus multi vel nostris vel alienis. Θεῷ χάρις.

IV. *Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, sed aliis potius quam nobis. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Jul.* Mirus casus hodie nobis accidit. Ancilla in culinam vasa quædam argentea detulerat mundanda. Fur apertam nactus januam eo penetravit, et partem non pœnitendam abstulit. Incidit in exeuntem ancilla Hottomani negotii caussa huc veniens, quæ animadversa rusticani hominis facie, et sonitu vasorum, ut ait, audito, ad nostram ancillam accurrit, non dubie affirmans exire aliquem qui furtum fecisset; videret

igitur et accurreret, ut hominem prehenderet, quem ipsa indicaturam se pollicebatur. Daniela (id nomen famulæ nostræ) dum circumspicit, dum respectat quid sit ablatum, elabendi facultatem furi dedit, multum clamante uxore, quæ negligentiam mulierculæ graviter increpabat. Itur ad furem capiendum. Frustra. Jam enim evaserat. Quid uxor faceret? Nihil enim poterat nisi dolere jacturam. Post alteram tertiamve horam exiit conjux ad emendum limbum nescio quem sericeum. In ultimo Ponte Michaelis, cum itur ad Palatium, habitat limbolarius mercator, cui nomen Regi, apud quem solet uxor emendi caussa itare. Eo quum venisset, ac conjugi ipsius rem narraret (meminit enim cui dolet), e regione ejus officinæ recta ante oculos ipsi occurrit ille rusticano vultu fur, quem statim suspicata est uxor ipsum esse. Itaque exclamans ad circumstantes, Fallor, ait, aut hic est ille, qui ante paucas horas furto mea *ἀργυρώματα* abstulit. Simul hæc dicens observat in ejus manu cochlearia quædam ex argento quæ vendebat mulieri acicularie. Tum enimvero iterum et acrius clamare uxor, et Carolum Chabaneum nostrum jubet ut homini manum injiciat, cujus diligentiam antevertit ipsa, et manum primam injicit furi, qui mox facto concursu omnia quæ erant amissa secum habere deprehensus est, tribus solum cochlearibus exceptis quæ miser jam vendiderat et quorum pretium secum habebat. Om-

nia igitur reperta, sed nondum nobis reciperata: sunt enim in manibus magistratuum, nisi forte δεκόροφοι potius dicendi, qui reddere uxori quod suum erat denegarunt, quum rei furtivæ perpetua sit auctoritas et vindicatio. Atque hæc ita acciderunt. Tibi, Deus æterne, gratias agimus, quod furtum plane miraculo indicaris. Sed dolet nobis si caussa nostra vel per occasionem rei nostræ miser ille perit. Tibi, O Deus, uni et triuno honos, laus et gloria. Amen.

*Prid. Non. Jul.* Vix hodie egi quicquam, ita sum ab amicis impeditus; deinde ab inimicis. Nam prodiit lepidi nebulonis cujusdam in Persium commentarius, qui nos maligno animo traducit. Sed merus est asinus. Θεῷ χάρις.

*Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Jul.* Quam δεινὸν καὶ πέρα δεινοῦ neminem hodie sacram synaxim e nostris adiisse? Sed parce, O Deus, et da facultatem aliter instituendæ vitæ. Multa enim nos quotidie impediunt. Tu miserere, et nos serva cum pia matre, liberis, sorore et aliis. Amen.

VII. *Eid. Jul.* Amici fere hunc diem eripuerunt. Ἐλέαιρε ὦ Θεός.

VI. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Jul.* O duram conditionem ingenii mei; imo miseram, nisi adesset Deus; qui O utinam adsit in eo quod nunc parturio. Amen.

IV. *Eid. Jul.* Hodie constitui de summa τῆς μελλούσης opellæ. Tu, Domine, da perficere. Amen.

III. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

*Prid. Eid. Jul.* Quid dicam, tam male positum diem? Pudet me mei. At tu, ὦ Θεὸς, ἐλέαιρε. Amen.

*Eid. Jul.* Ad sacram synaxim hodie sum profectus cum parte familiæ. Τῷ Θεῷ χάρις, qui det perficere quod cupimus. Amen.

XVII. *Kal. Aug.* Aliquid hodie. Utinam det exitum Deus. Amen.

XVI. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια paucis horis. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, atque utinam Deus det perficere. Amen.

XII. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, et in parergo aliquid. Da, O Deus, absolvere. Amen.

XI. *Kal. Aug.* Deus uxorem servet, me et meos. Idem piam matrem præstet valentem et longævam. Ad synaxim hodie uxor et liberi profecti. Τῷ Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui det molestissimæ opellæ exitum. Amen.

IX. *Kal. Aug.* Diem infelicem, tristem, miserum. Totum mane in nugis per summos animi cruciatus ἀφάτους, ἀρρήτους egi: neque fere quicquam promovi: a prandio alii super alios ad me venerunt, et meum mihi tempus jam mœsto sic eripuerunt, ut vix meminerim diem egisse in museo tristiorem. O utinam hæ molestiæ hunc saltem

afferant fructum, ut odium terrenarum curarum mihi ingenerent, et amorem cælestium. Non male mecum erit actum, si terra cælum commutavero, et, quia displicent terrena, totum me cælestibus studiis dedero. Sed quis ego sum, qui vel sperare tantum beneficium ausim, nisi quod eo me solor, quod spes illorum non evanescit, qui in Domino spem omnem suam ponunt? Illi me, matrem, uxorem, liberos et omnia mea permitto et committo. Ille δυσελπιστίαν meam de studiis favoris sui aura dignetur prosequi per Jesum Christum Filium suum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto honos, laus et gloria. Amen.

VIII. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, et aliquanto meliora. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

VII. *Kal. Aug.* O lætum diem et auspicatum! Nam vexatio illa animi, quæ me dies multos habuit exercitum, hodie finem est nacta Dei Opt. Max. beneficio. Millies inchoaveram, millies coactus istis impedimentis intermiseram epistolam ad Jos. Scaligerum, qua virum magnum hortor ad ea edenda, quæ boni ab ipso expectant. In fine de inimicis meis et illius aliquid adjicio; et non responsurum testor. Ita velit Deus, ut posthac illi vivere, illi scribere, illi mori possim; et ab ejus dilectione nunquam separer. Det idem Deus Opt. Max. ut mater valeat, uxor item, quæ hodie rus profecta, valeant et liberi qui cum ipsa. Idem et nos servet, et studiis nostris benedicat. Amen.

VI. *Kal. Aug.* Non multa hodie præstiti, ab amicis fere totum diem impeditus. Sed, spero, meliora sequentibus diebus, Dei voluntate qui me et meos servet. Amen.

V. *Kal. Aug.* Hunc fere totum diem Gothofredo veteri amico impendi. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Aug.* Ne hodie quidem sacræ synaxi interfuimus. Deus faciat ut hoc bono minus aliquando careamus ego et omnes mei, quos, ὦ Σῶτερ, serva. Amen.

III. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις, qui matrem, me, meam, meosque servet. Amen.

*Prid. Kal. Aug.* Uxor rus ad prædiolum profecta hodie rediit: quo nomine tibi, Deus æterne, gratias ago. Sed, O bone Deus, quid dicam de Isaaco meo Chabanæo, qui Geneva nullas ad me per duos jam menses dedit literas? Deus omen avertat. Sed ego illi timeo, et te oro, ὦ Σῶτερ, ut et matrem, et illum, et sororem, ac domum universam serves ἀπήμαντον. Amen.

*Kal. Aug.* Quod Deus bene vertat, mensem non inutiliter inchoavimus, et pauculas horas studiis impendimus. At de matre, et de Isaaco admodum sumus solliciti. Tu, Deus, et matrem et uxorem et me cum liberis atque omnibus meis serva. Amen.

IV. *Non. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

III. *Non. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια καὶ πλείστη τῷ Θεῷ ἡ χάρις. Sed quid dicam, quod de matre nihil intelligo? quid quod nihil de Isaaco meo? Hæc

tu, Deus, da esse læta, et libera me hac sollicitudine. Amen.

*Prid. Non. Aug.* Uxor *ἡ φιλτάτη* repetiit rus. Ego remansi, cum de ejus abitu solicitus propter æstum diei, tum de matre et Isaaco vehementer anxius. Deus nos omnes servet propitius. Amen.

*Non. Aug.* Sacram synaxim pars familiæ hic adiit, major, ut spero, rure. Ego substiti varie impeditus. Deus nostri misereatur. Amen.

VIII. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui meos omnes et me servet. Amen.

VII. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Aug.* Pauca hodie ac fere nihil. Deus meliora mihi et meis. Amen.

V. *Eid. Aug.* Rus ad uxorem et liberos proficiscens hæc scribebam, ut tibi, Deus æterne, me et meos commendarem. O finge nos tibi gratos: dele יצר הרע in me meisque, et vera pietate nos orna. Serva matrem, uxorem, liberos, me et omnes meos. Amen.

IV. III. *Prid. Eid.*, *Eid. Aug.* E rusticatione et ab uxore et ab liberis sum reversus summo mane. Non male cessit inceptum. Vidi uxorem Dei beneficio valentem, Philippam, Johannem, et reliquos liberos, nisi quod Gentilis ex intemperantia in febrim incidit, sed quæ, intervallata quum sit, non metuenda videatur. Sacræ synaxi bis interfui, et amœnissima rusticatione sum usus. Tibi, Deus æterne, laus et gloria. Amen.

XIX. *Kal. Sept.* Amici hunc mihi diem eripuerunt: sed vetus hoc malum. Deus me ac meos respiciat benignus. Amen.

XVIII. *Kal. Sept.* Uxor rediit, quam Deus servet, et me cum illa, et nostris liberis utrumque. Det etiam de matre et reculis Genevensibus læta audire. Amen.

XVII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui me liberet hoc æstu de negotio Genevensi. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Totum diem fere amici eripuerunt. Itaque ad Polonum pessime, vereque ἀνεπιστημόνως: nollem factum. Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή, cui honos, laus et gloria. Amen.

Æstus per hos dies inusitati sole omnia perurente.

XV. *Kal. Sept.* Tristia hodie multa et gravissima, nisi Deus medicinam fecerit. Mirabar quod nihil ab Isaaco literarum acciperem. Hodie accepi, sed molestissimas. Ut video, penitus mihi et meis periit quicquid Genevæ habui, et aureorum plus quam mille trecentorum jacturam facimus. Nam inde nihil speramus. O gravem his tenuissimis fortunis casum. Sed in Deo spem ponimus ego atque uxor, et demisso capite illius voluntati acquiescimus certi fore illum nostrorum liberorum patrem et nostrum quoque. O exaudi Deus Opt. Max. per Jesum Christum cui una tecum et Spiritu Sancto laus, gloria et honos. Amen.

XIV. *Kal. Sept.* Sacræ synaxi hodie interfui Dei beneficio, qui me et meos servet. Amen.

XIII. XII. XI. X. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Sept.* Deus Opt. Max. domum hanc omnibus in posterum præsidiis destitutam sua bonitate velit fulcire. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi infirmo et corpore et animo præsertim ob uxoris morbum; cui tu medere, O Deus, et omnibus nostris malis per Jesum Christum. Amen.

VII. *Kal. Sept.* Diem sacrum Dei cultui domi egi invitissimus ob morbum uxoris. Nam alioquin paratus erat currus ut iremus ad synaxin. Deus faciat eamus brevi et sæpe. Amen.

VI. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, utcunque. Sed macerant me operæ typographicæ. Τῷ Θεῷ πᾶσα ἡ χάρις καὶ δόξα. Amen.

IV. *Kal. Sept.* Deus adsit conatibus. Langueo enim curis confectus. Tu, Deus, jacentem erige. In te enim spes mea. Amen.

III. *Kal. Sept.* Quod bene vertat, uxor hodie rus profecta. Ego curis, negotiis et molestiis conficior. Et profecto, nisi sustinerer Dei manu, pridem defecissem. Accedit injuria istius, qui nuperum libellum edidit, a quo ne ut videam quidem possum impetrare: tanta hominis ἀβελτηρία. O Deus æterne, matrem, uxorem, me ac meos respice. Amen.

*Prid. Kal. Sept.* Hodie ab uxore literas accepi, quam et filium, ac reliquam domum servet ὁ Κύριος יהוה. Amen.

*Kal. Sept.* Ut proximos dies, etiam hunc pene totum amisi amicis surripientibus. O gravem jacturam! Sed, O Deus, miserere. Amen.

IV. *Non. Sept.* Diem Deo sacram egimus partim inter amicos et apud Polonum hunc Palatinum, partim in literis scribendis. Det Dominus, ut proxima Dominica die sacrosanctæ cœnæ ipsius communicemus, idque digne et ἀξίως τῆς κλήσεως. Amen.

III. *Non. Sept.* Literas hodie scripsimus. Aliud nihil. Θεὸς ἵλεως εἴη.

*Prid. Non. Sept.* Uxorem hodie exspectabam. Non venit. Itaque crucior. Sed in tua benignitate, O Deus, spes mea. Tu illam, tu matrem, et nos omnes serva per Jesum Christum Filium tum, cui una tecum laus et gloria. Amen.

*Non. Sept.* Gratias tibi, Domine Jesu, quod hodie de uxore intellexi, si minus quæ optabam, certe meliora quam putabam. Tibi honos, laus et gloria. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui meos et me cum his servet. Amen.

VII. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Sept.* Ἐλέαιρε, ὦ Θεὸς, καὶ ἐμὲ καὶ τὰ ἐμά.

V. *Eid. Sept.* Quod felix Deus velit esse, ad sacram synaxim et sanctissimi mysterii participationem proficiscimur. Det Dominus digne accedere, vitia mea agnoscere, agnita odisse, meliorem vitam profiteri, et reapse præstare. Det hoc

idem beneficium meis omnibus; servet matrem, servet uxorem, eamque mihi reducem præstet valentem. Servet et liberos, detque illis sui timorem, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

IV. *Eid. Sept.* Adhuc expecto uxorem; et mirifice languet animus, ut jam suscepto operi simus impares. O Deus, tu me respice ac meos. Amen.

III. *Eid. Sept.* Deo gratias, quod uxor hodie redierit. Illi honos et gloria. Amen.

*Prid. Eid., Eid. Sept.* Tibi, Deus æterne, honos et gloria. Amen.

XVIII. *Kal. Oct.* Utinam beneficiis tuis, O Deus, ego meique prudenter uteremur. Nam hæc otia quæ heic mihi concedis, et hæc Alcyonia suspecta mihi sunt, quoties animo mea aut meorum peccata respicio. Tu, Domine, illa tege per meritum Jesu Christi Filii tui cui una tecum et Spiritu Sancto honos et laus in æternum. Amen.

XVII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Oct.* Diem sacrum domi non sine dolore egimus, quod in sacra synaxi non essemus, quod ut possimus quam sæpissime da nobis, O Deus. Amen.

XV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque, Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Oct.* Hodie de obitu Buzenvallii viri amplissimi cognovi, et ex ea re maximum dolorem cepi. Amisit enim Respublica Christiana

virum industrium, et qui magnum rerum usum habebat. Amisit Rex fidelem ministrum, ecclesia Dei virum optimum et purioris religionis studiosissimum, ego amicum non lenibus vinculis mihi junctum consensu in pietate et studiorum amore. Te veneror, Deus æterne, serves reliquos amicos mihi, serves et me cum omnibus meis ad nominis tui gloriam. Amen.

XII. *Kal. Oct.* Messæi viri amplissimi obitum hodie cognovi, eoque nomine vehementer dolui. Magnam ego, maximam Respublica jacturam fecit. Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή, qui et Regem et Regnum, et hanc quoque jacentem domum servet sospitetque. Amen.

XI. *Kal. Oct.* Ego vero vix ac ne vix quidem jam ærumnis par sum. Recurrit subinde ob oculos jactura Genevæ facta. Mater quam bene valeat nescio. Uxor neque optime valet, et cras a me discedit. Liberi pene omnes magnæ molestiæ sunt, certe nonnulli, partim quod ægrotent, partim quod neque in virtute neque in literis profectum ullum faciant. Itaque crucior animi, et intestinus quidam dolor mihi cor urit. Tu, Domine, solare languentem, et, qui hactenus fuisti mihi benignus clementissimusque Pater, esto porro et meus et meorum omnium. Per ego te Jesum Christum Filium tuum oro atque veneror; cui una tecum et Spiritu Sancto sit honor, gloria et laus εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

X. *Kal. Oct.* Uxor rus hodie necessaria de causa

abiit; quam, O Deus, serva, et matrem, me, liberos, sororem atque omnes. Amen.

IX. *Kal. Oct.* Et hunc Deo sacrum diem invitus domi egi. Tu, Domine, ignosce, et da meliora. Serva etiam matrem, uxorem, liberos, me cum his, et omnes nostros per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una tecum et Spiritu Sancto laus sit et honos εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VIII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, cui me, meos et mea supplex commendo.

VII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ τῷ πανελέῳ χάρις.

VI. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Amen.

V. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια singulari tua bonitate, O Deus æterne, qui matrem, uxorem mihi cum liberis ac sorore serva et omnibus benedice. Amen.

IV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. De uxoris prospera valetudine hodie intellexi; et venit Carolus cum charissima Anna. Laus Deo Opt. Max. honos et gratia.

III. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi lente ob varias caussas. Deus mei et meorum misereatur, servet matrem, uxorem et universam domum. Amen.

*Prid. Kal. Oct.* Gratias tibi, Deus æterne, quod mensem dederis exigere, neque pro meritis meis et meorum me habueris. O Deus miserere, et serva καὶ ἄκοντας, et da nobis omnibus verum et efficacem tui timorem. Amen.

*Kal. Oct.* Literas hodie ad amicos in Belgium et in Hispaniam scripsimus. Deinde nobili Polono partem maximam diei impendimus. Itaque oc-

cupatissimi viximus, et nihil egimus rerum nostrarum. Ac de Polono satius fuerit eo labore supersedere. Sed sæpe ipsi nobis labores accersimus. Deus nos pares faciat tot curis et me cum universa domo servet. Amen.

VI. *Non. Oct.* Uxor ἡ φιλτάτη rediit. O gratias tibi, Deus æterne. Ὁ δὲ Π. οὗτος οὐδὲ νῦν. Φεῦ τῆς. Sed adhuc expectandum. Tu, Deus Opt. Max. miserere mei et meorum. Amen.

V. *Non. Oct.* At, O Deus benigne, tu quidem bonitate nos semper provocas, nos vero ne te semper novis peccatis irritemus, da nobis. Amen.

IV. *Non. Oct.* Pauca hodie in studiis: uxor ad concionem ivit. Deo laus et honos. Amen.

III. *Non. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

*Prid. Non. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, nisi quod literas multas scripsimus. Θεῷ χάρις.

*Non. Oct.* Ad sacram σύναξιν ego, uxor, cum liberorum parte hodie ivimus, et incredibilem voluptatem ex ea re cepimus. Τῷ Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, sed non in penso Polybiano, quod per alterum jam diem operæ Polybianæ intermiserunt. Θεῷ χάρις καὶ δόξα. Amen.

VI. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια Dei bonitate inenarrabili, quæ utinam meis meorumque peccatis ne interrumpatum aliquo casu. Amen.

IV. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Oct.* Infelicem diem. Accepi hodie literas a Laurentio, qui Genevæ professor est, quibus significat se specie pietatis invasisse in meas reculas, quas e magno naufragio ibi habui reliquas. O urbem prædonum, hypocritarum αἰσχροκερδῶν sedem! En pietatem Genevensium! En hypocrisin diabolicam! At tu, Deus æterne, peccatis meis ignosce, meis meorumque malis medere, nos solare, per Jesum Christum Filium tuum Servatorem unicum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo honos et gloria. Amen.

*Prid. Eid. Oct.* Τῇ ἁγίᾳ συνάξει non interfuimus, atque ex animo dolet nobis. Tu, Deus misericordiarum, nos respice. Amen.

*Eid. Oct.* Iterum hodie de clade rerum mearum apud Genevam nuntium accepi. Deus bone, quæ hæc inaudita iniquitas? Quis furor? Quæ vecors amentia? O Domine, te supplex oro, post tantum naufragium rectam mihi mentem serva et meis. Amen.

XVII. *Kal. Nov.* Studia jacent: vix vitam trahimus. Occurrit subinde scelus istorum scelestorum Genevensium, quorum fraude fortunæ meæ perierunt. Amisi aureos mille trecentos; adde sumtus in prosecutione litis. O hypocrisin! O pharisaismum Genevensium! Tu, Domine, me et meos serva. Amen.

XVI. *Kal. Nov.* Pars diei posita in nugis. Sic enim voco curam, quæ sumenda mihi, ut Genevensis magistratus furta aut potius rapinas pate-

faciam iis, qui juvare me possunt. Deus mei, meorum, et illorum quoque misereatur. Amen.

XV. *Kal. Nov.* Pars diei posita in sarcienda Genevensi injuria. O dolor! Sed miserere, O Deus. Amen.

XIV. *Kal. Nov.* Θεὸς καὶ ἐμὲ καὶ τοὺς ἐμοὺς ἐλεαίρῃ. Ἀμήν.

XIII. *Kal. Nov.* Uxor ἡ φιλτάτη rus hodie profecta est, quam, O Deus, mihi serva cum meis liberis. Amen.

XII. *Kal. Nov.* O Deus, respice me, et me hac molestissima cura libera. Amen. Amen.

XI. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, sed animo parum sereno ob scelestissimorum Genevensium injurias, quæ animo semper obversantur meo, non propter pecuniam amissam, sed propter metum, ne mei egeant. At tu, Deus æterne, illos liberabis. Amen.

X. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Nov.* Laus Deo Opt. Max., quod uxor hodie rediit, quod valentem illam mihi Dei benignitas restituerit. O Domine Jesu, et illam, et piam matrem, et me, atque omnes nos serva ἀπημάντους. Amen.

VIII. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια hodie leniter. Deus me ac meos respiciat. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui me meosque servet. Amen.

VI. *Kal. Nov.* Hoc quoque debeo latronibus Genevensibus (Deus justo dolori ignoscat) et hypo-

critis Pharisæis, quod pars magna hodierni diei periit. Tu, Domine, respice piam matrem, me miserum, uxorem castissimam, et nostros liberos atque universam domum. Amen.

v. *Kal. Nov.* Benedictum sit Dei nomen: ego, uxor, liberi hodie sacræ synaxi interfuimus. Θεῷ χάρις.

iv. *Kal. Nov.* Neque nihil, neque multum: urget enim dolor, ira, et quid non? Tu, Deus, miserere. Amen.

iii. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Nov.* Ecce novam molestiam. Pecuniæ, quam Isaaco Chabaneo Genevam mitto quot mensibus, apochas incuria mea amisi. Nunc repetitur summa satis magna, quam pro certo habeo me solvisse. O ærumnas hujus vitæ! O socordiam meam in curanda re familiari. Tu, Domine, sustine plane ruentem domum per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una tecum et Spiritu Sancto laus, honor, et gloria. Amen. Postea repperi apochas Dei beneficio.

*Kal. Nov.* O utinam illuxerit felix hic dies. Premor, O Deus æterne, non aliorum injuriis et peccatis in me, sed meis in te summis delictis, quæ ne demersum tandem obruant, fac, O Deus misericordiarum, pro tua clementia. O exaudi vota mea supplicis, O respice me et meos benignus, per meritum Christi Domini nostri, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo honos sit et gloria in æternum. Amen.

IV. *Non. Nov.* Parum hodie promovimus, sed partem matutini temporis cum D. Canaio veteri amico posuimus, quem, O Deus, bea omnibus bonis, et nos cum illo. Amen.

III. *Non. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

*Prid. Non. Nov.* Deus ceptis adsit; me meosque pro sua bonitate pascat. Amen.

*Non. Nov.* Parte familiæ ad sacram synaxin profecta, nos varie diem consumpsimus. Deus mihi meisque sui timorem indat animis. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* Certe nostra curat Deus. Angit nos jactura facta Genevæ maximæ partis fortunarum nostrarum. Sed Dominus a se nos videlicet vult pendere solo. Eo enim disponente oblata est occasio partem aliquam jacturæ illius reparandæ. Filius magni Cancellarii Lituaniæ hodie ad me venit orans, obtestans ut de succisivis meis horis partem sibi tribuerem: velle a me doceri, quæ futura sint usui in patriam reverso. Ægre concessi quod petebat, concessi tamen ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ. Tu, Domine Deus, da vires ferendis laboribus hisce, et ut omnia facta, dicta mea ad gloriam nominis tui et Ecclesiæ ædificationem ac salutem meam referam, te supplex oro per Jesum Christum Dominum nostrum τὸν τοῦ κόσμου σωτῆρα, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit laus, honor et gloria. Amen.

Mericus magistro traditus, quod Deus fortunet.

VII. *Eid. Nov.* Ego quidem bona fide inceptum

negotium curo: sed an par voluntas sit responsura nescio. Τῷ Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Nov.* Ne nunc quidem læti quicquam; ut jure aliquid suspectem. Cæterum τῷ Θεῷ τὰ πάντα ἐπιτρέπομεν, cui honos et gloria. Amen.

V. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια benignitate supremi Numinis suprema. Illi honos et gloria. Amen. Οἱ δὲ καλοικάγαθοι ἀλλ' οὐδὲ νῦν.

IV. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

III. *Nov. Eid.* Τὰ ἐγκύκλια, ac ne hodiernus quidem dies liber. Itaque hæc quidem servitus est ingrata, quam velis, O Deus Opt. Max., bono cedere. Amen.

*Prid. Eid. Nov.* Deo laus et honos, ivi hodie ad sacram synaxin. Laus Deo. Amen.

*Eid. Nov.* Poteram hunc diem lapillo albo signare, quia advenit Paulus Stephanus charissimæ uxoris frater: quæ res magnum mihi gaudium attulit. Sed O miseram mortalium conditionem! Idem, qui suo adventu nos exhilararat, nuntio de obitu, hei mihi, piissimæ, optimæ, charissimæ, omnique veneratione dignissimæ matris meæ, incredibilem in modum me afflixit. Sed quia a meis, qui illi adsunt, nihildum accepi, exspectabo quid rei sit. Nam casu is nuntius ad Paulum Stephanum est perlatus. Si adhuc vitalem carpis auram, pia mater, Deus te servet, tibi annos vel de meis addat, et mihi det facultatem tibi inserviendi. Amen.

XVIII. *Kal. Dec.* Adhuc de pia matre quid cre-

dam, nescio: et, O Deus æterne, fac me velle quod tu vis. Gratias vero tibi, Deus benignissime, pro successu privati negotii. Tibi honos, tibi laus, tibi gloria τῷ ἐν τριάδι μονωτάτῳ Θεῷ. Amen.

XVII. *Kal. Dec.* Et de optima matre sum anxius, et de Isaaco et sorore. Accedit negotium cum Paulo Stephano, cujus exitum video nullum. Deus me, meos et consilia nostra regat. Amen.

XVI. *Kal. Dec.* Ecquid accidit, cur de meis rebus tam seri veniant nuntii? Nam mater optima vivat, annon, haud scio: et utinam illa quidem vivat. Tum, Genevæ quid factum sit, nescio. Τοιαῦτ' ἀπολαύω τῆς ἄγαν στοργῆς εἰς τοὺς συγγενεῖς. Deus nostri misereatur. Amen.

XV. *Kal. Dec.* Curæ valetudinis hunc diem impendi, quæ vel ex sollicitudine de matre male habet, et aliis sexcentis curis meis. Tu, Deus, respice hanc tenuem familiam. Amen.

XIV. *Kal. Dec.* Quamdiu de optima matre ero incertus? Hæccine fides meorum? Et Isaacus adhuc Genevæ subsistit. En undique molestias. Tu, Domine, omni sollicitudine me libera.

XIII. *Kal. Dec.* Amicis et valetudini hunc diem impendimus, quum interim de matre mire anxius tabellarios in dies exspectem. Tu, Deus æterne, nos serva. Amen.

XII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια· et hæc jugis de matre sollicitudo. Deo laus et honos. Amen.

XI. *Kal. Dec.* Ergo nihil nisi mœrores, molestias, cruciatus a meis accipiam? De matre optima

quam sim anxius, quam mœstus, scis tu, O Deus. At Chabanæus, cui mea stulte credideram, ne literas quidem de meis rebus ad me mittere dignatur. Cum Paulo Stephano quid statuam, plane nescio. Adde imprudentissimæ sororis verba, et res eversas, quæ mearum pernitiem trahent, nisi Deus adfuerit. Ades igitur, O Deus, et me, uxorem, ac liberos respice. Amen.

X. *Kal. Dec.* En obduratum in sua negligentia juvenem! Nam celat nos omnia, quæ mea intererat scire, ὁ καλὸς κἀγαθὸς νεανίας. Interea de optima matre et rebus meis Genevæ omnia ignoramus. Deus nos servet. Amen.

IX. *Kal. Dec.* Et nunc de matre anxii hæremus. O culpam meorum gravem! Tu, Deus æterne, me ac meos rege. Amen.

VIII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, et de matre ac rebus meis par sollicitudo. Tu, Deus, nos serva. Amen.

VII. *Kal. Dec.* Ecquid tandem de mea matre, de meis rebus intelligam? O fidem tuam, Isaace Chabanæe! Sed in te uno, Deus mi, mea sunt omnia solatia; qui me et meos omnes serva. Amen.

VI. *Kal. Dec.* Deo laus et honos, quod hodie ego et uxor cum parte familiæ utramque σύναξιν sacram celebravimus. At de pia matre nihil. Tu nos serva, O Deus.

V. *Kal. Dec.* Adhuc æque incerti sumus et solliciti. Deus nostram hanc domum respiciat. Amen.

IV. *Kal. Dec.* Nos quidem in incepto pergimus, Dei beneficio. Sed quousque anceps animi hærebo inter spem metumque? Tu, Domine, omnia εἰς ἀγαθὸν κρῖνε. Amen.

III. *Kal. Dec.* Eadem cura nos coquit, et sollicitudo, qua nos leva, Deus æterne; Amen. Etsi Chauvierus advenit, quem de matre omnia habere comperta audio. Itaque ab eo discam, et ad Dei voluntatem me conabor componere. Utinam quidem possem, tum in hac parte, tum in cæteris vitæ meæ. O beatum me, si facerem. Certe non facio, et vivo assidue cum vitiis colluctans, et quod miserrimum est, semper succumbens. Firma me in hac lucta, O Deus, et meos quoque, ut te colamus, tibi uni serviamus per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

*Prid. Kal. Dec.* Ergo verus est ille tristissimus mihi nuntius, quem de obitu piæ atque optimæ matris nuper accepi. O lacrymabilem mihi diem atque ingratum, qui te, mea mater optima, mihi eripuit: qui spem mihi ademit, tui amplius videndi, dum terras colam, miser, et tui desiderio semper cruciabor. Tu mihi, pia mater, δῖα γυναικῶν, fœmina in exemplar virtutum genita, tu mihi gaudia mea conturbasti: tu mihi uxorique meæ et liberis nostris eam tui memoriam reliquisti, id exemplar virtutis, ut neque tui non meminisse possimus, neque ullum optare majus bonum, ut

homines, queamus, quam ut jugi tui et morum tuorum recordatione tui similes evadamus, Dei timentes, ut tu eras, in vita casti, in cupiditatibus continentes, in verbis castigati et parci, ut tu eras, mulierum lectissima. Profeceras nempe in schola *τοῦ μακαρίτου τρὶς καὶ τετράκις* parentis mei, viri pietate præstantissimi et omni genere prudentiæ *τῆς κατὰ Θεὸν* excellentissimi. Nam de alta eruditione nunc taceo. Hic te juvenem admodum *οἰκειωσάμενος* jure connubii, suis moribus imbuerat, sua illa insigni probitate, et *παντοίῃ ἀρετῇ* informaverat, et quantum ratio sexus ferebat, sui reddiderat quam simillimam. Nemo nata fuit unquam mulier, in qua *αἱ κατὰ φύσιν στοργαὶ* acrius aut ordinatius unquam viguerint. Annos prope triginta cum sapientissimo meo parente egit sic, ut vehementiusne illum revereretur, an *ἐκπαθέστερον* amaret, dicere nemo posset. Liberos ex eo novem sustulit; quatuor vidit ad grandiorem ætatem provectos. Deus bone, quo illa nos affectu, qua charitate, qua cura, quo labore fovit, aluit, educavit? Jam primum nutricis opera nunquam est usa, nisi bis, cum propter repentinos tumultus fugiendum erat per avia et ignota. Me certe pia mater tantis cum ærumnis per aliquot annos in prima infantia longum morbo languentem ita curavit, ut secundum Deum illi potius quam medicis vitam debere me, patrem mihi sæpe narrantem audiverim. Quid dicam, qua constantia, qua assiduitate, qua fide juventutem

nostram pietatis et virtutum studiis imbuere sit conata? cum præsertim aberat pater meus illo longo itinere, quo per annos duos et aliquot menses fructu ejus præsentiæ sumus privati, dum ipse in fatali illa expeditione versatur, quæ ab Ecclesiis Galliæ Narbonensis Delphinatus et Provinciæ anno 1568 Principis Condæi jussu fuit suscepta. Deum immortalem! Quæ fuit optimæ fœminarum cura? quod studium, ut ego, qui studiorum fundamenta patre magistro feliciter jeceram, non omnis obliviscerer? Non possum eorum temporum sine gemitu et lacrymis meminisse. Tandem rediit parens: sed qui aliquot post annis, ah, nimium cito, conjugi charissimæ et nobis liberis est ereptus. Ita relicta est vidua pia mater, quæ in eo statu ad ultimum diem vitæ per annos viginti duos castissime, prudentissime, sapientissime duravit. Optavi ut una semper essemus, sed mihi non licuit esse tam beato, neque hoc per vitæ meæ genus fieri potuit. Quod unum supererat, dum Genevæ aut Mompelii vixi, sæpe illam apud me habui; quando divulsi sumus, quoties poteram, illam invisi, sæpe cum uxore, sæpe cum liberis, interdum solus, quo officio uter magis delectaretur, illane an ego, dici non poterat. Equidem nullum hodie solatium præsentius experior mei doloris, quam recordationem postremi itineris mei ad illam. Tum ego te vidi, mea optima mater, non quamdiu volebam, sed quamdiu per gravissimas occupationes

licebat, neque tu satura me dimisisti, sed invita invitum, flens flentem, mœstissima mœstissimum. Atque ego semper meminero postremorum sermonum, quos una habuimus, cum ego lacrymans te Deo Opt. Max. commendabam, tibi prosperam valetudinem et longam vitam precabar. Tu mihi, uxori, liberis omnia a Deo concedi fausta vovebas, et pro nostra omnium salute, et rebus lætis, precibus ἐκτενεστάταις Christum Dominum nostrum fatigabas; qui mihi, meæ, ac meis hoc largiatur beneficium, ut vita ac morte tum parentem optimum, præstantissimum, tum te, pia mater, referamus atque imitemur. Da hoc mihi, Deus Opt. Max., da meæ, da meis per Jesum Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

*Kal. Dec.* Pene in totum omissa τὰ ἐγκύκλια. Hæret memoriæ pia mater, quæ satis lugeri a me meisque non potest. Accedunt alia quamplurima impedimenta studiorum. Itaque frustra nomen aliquod habemus in literis. Nihil enim sumus. Utinam quidem μηδέν ποτ' εἴην ἄλλο πλὴν Θεῷ φίλος. Amen.

IV. *Non. Dec.* Hei mihi neque sacræ synaxi interfui, neque egi fere quicquam hodie, et viget magis magisque τῆς φιλτάτης καὶ σεβασμιωτάτης μητρὸς desiderium. Urgent et mala quæ affinis culpa ingenti aliorumque fraudibus huic familiæ

imminent, nisi tua, O Deus, avertat benignitas. O nos serva, Deus. Amen.

III. *Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια cum multo mœrore ob amissam matrem, et rerum mearum statum pessimum. Σὺ ἐλέησον ἡμᾶς, Κύριε Ἰησοῦ.

*Prid. Non. Dec.* Tandem aliquando et de obitu optimæ et venerandissimæ matris literas a meis accepi: et venit Anna soror charissima cum Isaaco Chabanæo. Res molestissima mihi obitus talis matris; res non parum grata tam conjunctarum personarum adventus, nisi quod de Genevensibus mira narrant, et de eorum sceleribus scelestissimis. Itaque consilio nobis opus, quod tu, O Deus, nobis largire, et nos rege. Atrocissima est, quam accepimus, injuria. Ne quid tamen te offendam, O Deus, dum jus meum persequor, supplex te veneror. Amen. Res sane stupenda, senatores, quum accepissent queri me de ipsorum in me et meos injuriis, prædonum manum cum procuratore fisci immisisse in ædes sororis et Isaaci, qui res meas agebat, et omnes chartas esse scrutatos. Quid hoc sceleris? Quid ego? quid mei commeriti sumus, ut hoc modo nobiscum ageretur? Quæ dabunt exempla hujus improbitatis erga similem mihi? Sed contineo me, et Deo Opt. Max. me et mea commendo. Amen.

*Non. Dec.* En, O Domine, languentem domum. Tu caussas nosti, et medeberis, scio ac confido,

cum erit opportunum et quomodo, per Jesum Christum Filium tuum unicum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit laus, gloria et regnum in æternum. Amen.

VIII. *Eid. Dec.* Curis obrutus et laboribus, studiorum pene deficio, O Deus. Tu me subleva et solare. Amen.

VII. *Eid. Dec.* Totus dies misere periit studiis meis infelicibus. Hodie accepi literas a Goulardo pastore Genevensi, et privatas ipsius nomine, et publicas nomine omnium pastorum et professorum. Cætera non queror, laudo potius: illud indignor, quod senatorum suorum scelus, sceleste, utut fortasse per ignorantiam, defendunt. Eant igitur cum suis literis. At tu, Deus æterne, mea peccata ingentia, infinita, immensa tege, et me totum immuta. Da etiam illi senatui, ut tyrannica facta sua agnoscat, et ut domus Stephanica non plane concidat sine spe resurgendi. Amen.

VI. *Eid. Dec.* Quod diu non feceram, paucas horas studiis hodie impendi. Deo sit laus, gloria et honos. Amen.

V. *Eid. Dec.* O Deus, miserare languentem domum, et me imprimis mole negotiorum molestissimorum, sed magis peccatorum meorum. Κύριε ἐλέησον. Amen.

IV. *Eid. Dec.* Obruor, O Deus, et curis, et peccatis, et laboribus. Tu subveni, spes mea unica, et languentem sana. Amen.

III. *Eid. Dec.* Diem amicis fere impendi, et huic

oneri ἀχαρίστῳ cujus me jam pœnitet. Tu, Deus Opt. Max., rerum mearum scis statum. Tibi honos et gloria. Amen.

*Prid. Eid. Dec.* En laborem ingratum: en omnia adversa. Nam et in studiis omnia neglecta hodie, dum aliis studia mea inserviunt, aut literas Genevam scribo. Deus me et meos respiciat. Amen.

*Eid. Dec.* Etiam hodie negotia cum Paulo Stephano me avocarunt a studiis. Atque utinam Deus faxit, ne me possit pœnitere ejus humanitatis quam illi exhibui. Nam everso facultatibus suis et præsentem pecuniam dedi quantam maximam poteram, et de ducentis aureis fidem illi meam astrinxi, si Deus dabit ut pignus illud domus Stephanicæ possit recipere. Tu, Deus æterne, pro bonitate tua fac, ne me meæ hujus benignitatis possit unquam pœnitere aut meos. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Quod Deus bene vertat, Paulus Stephanus affinis hodie ad Allobrogas rediit, et soror ad prædiolum nostrum est profecta. Ego aliis vivo, non mihi. Hoc meum est fatum.

XVIII. *Kal. Jan.* Hic dies a longo tempore studiis meis non periit. In penso enim Polybiano assidui fuimus, item in illo altero et molesto et ingrato. Sed te unum, O Deus, specto, a te benedictionem mihi et meis supplex peto, per Jesum Christum τὸν μονογενῆ σωτῆρα, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos et gloria. Amen.

XVII. *Kal. Jan.* Inviti diem Deo sacrum domi egimus; etsi non plane vacuum a piis meditationibus. Ignosce, Domine, et miserare languentem domum. Amen.

XVI. *Kal. Jan.* Quid hoc est? In dies crescit dolor; et jam ipse me non agnosco. Urget ἡ φυσικὴ στοργὴ erga uxorem et liberos. Agnosco, O Deus, infirmitatem meam. Tu languenti ac pene afflictæ domui manum auxiliatricem præbe. Amen.

XV. *Kal. Jan.* O libera me, Deus æterne, tot angustiis et doloribus, quibus absque te fovente par non essem. Nam etiam ascititius hic labor quam ingratus? Sed unum te specto. Amen.

XIV. *Kal. Jan.* En assiduas vexationes et quidem admodum ingratas. Tu, Deus æterne, nos respice. Amen.

XIII. *Kal. Jan.* Soror rediit. Valet ἡ φιλτάτη uxor, et liberi. Deo laus, honor, et gratissimæ grates. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, aliis saltem, si minus nobis. Deo laus, honos, et gloria. Amen.

X. *Kal. Jan.* Quod bene vertat, imus ad sacram synaxin, ego, uxor, liberi, soror et οἱ θυγατριδοῖ. Est quidem dura tempestas propter ingens frigus, quod facit ut de uxore, quæ et ipsa, ut cæteri, iter pedibus est confectura, te, O Deus, volente, sim sollicitus. Sed si tua nos benignitas sublevaverit, Pater clementissime, nihil me-

tuimus. Supplex igitur infimis precibus te oro, ut actioni hodiernæ benedicas, tui nobis timorem infundas, nos serves per Jesum Christum Dominum nostrum τὸν μονογενῆ Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et honos. Amen.

IX. *Kal. Jan.* Ex defatigatione hesterna vix quicquam egi hodie, sed nec penitus nihil. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Pauca hodie propter amicos. Tibi, O Deus, honos et gloria. Amen.

VII. *Kal. Jan.* Et hodie perpauca; sed quod valemus, magnas tibi, O Deus, gratias. Amen.

VI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια quantum per amicos licuit: at res familiaris ruit. Tu sustentabis, Deus æterne. Amen.

V. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, sed non sine aliqua molestia. Bone Deus, respice nos, et fac velle quod vis ipse. Amen.

III. *Kal. Jan.* Quod poteram, gravioribus studiis aliquot horas impendi. Deo laus sit et honos. Amen.

*Prid. Kal. Jan.* O magnas tibi, Deus æterne, gratias. Exegi beneficio tuo annum pene mihi meisque fatalem. Et salvus tamen sum, salva uxor charissima, et suavissimi nostri liberi. Salva et soror, ipsa quoque et merito suo, et recordatione parentum admodum chara. At mater mea, veneranda mater abest, illa quidem ævi matura et dierum plena in vitam meliorem

traducta, sed cujus tamen desiderio magis magisque in dies angor. Tibi igitur, Deus immortalis, pro tua hac in me et meos indulgentia, quas ego tibi grates agam? Quem ὕμνον χαριστήριον tibi canam? Superant jam olim tua benefacta et memoriam, et copiam dicendi meam (si qua illa est) et omnes meas aut dicendi aut cogitandi facultates. Illud hoc anno insigne, quod rebus meis, quas Genevæ fundaveram, collocata ibi sorore, et dote uxoris ibidem relicta, funditus eo loci eversis, ne plane tamen conciderem mihi dedisti, et inusitato favore hactenus me sustentasti. Magna, maxima, tua hæc, O Deus æterne, benignitas. Nam per homines illos, quibus fidebam, penitus ruendum mihi fuit. Amissæ sunt uxoris charissimæ mediocres fortunæ; certe quantas fere habuit. Amissum est sine ulla exceptione, quicquid soror aut a patre, aut a me, aut a marito habuerat, φροῦδα οἴχεται πάντα, et nos nudi sumus relicti. Itaque ad eos quod attinet, qui nostris nos opibus privarunt, ἔρρει τὰ καλά, et nos ad ultimum necessitatis sumus redacti. Stamus tamen, O Deus salutis meæ, stamus et, spero, stabimus. Certe tui hoc totum muneris est, qui tenuitatem nostram sublevas mira, et, prope dixerim, singulari benignitate. Atque hoc beneficium in me et meos collatum quo majus est, eo major incessit animum meum timor, ne peccatis meis et meorum irritatus manum retrahas, et vultum illum benignissimum

tuum a nobis avertas. Scio, et sincere atque ingenue confiteor, Deus καρδιογνῶστα, sexcenta a me, a meis quotidie admitti, propter quæ nos deseras, et vel gravissimas a nobis pœnas exigas. Ante omnia obversatur animo genus delicti, quo tuam Majestatem superioribus mensibus sæpe a me provocatam, ah miser, agnosco. Nam a senatoribus et ministris Genevensibus tot injuriis affectus (ita omnes amici judicant, et periti legum) neque iram neque linguam tenui, et qui commoveri non debui, mirifice interdum exarsi, et præcipiti ira sum lapsus. Hoc ego, Deus clementissime, et factum confiteor, et ne posthac unquam fiat, supplex infimis te precibus veneror. Da spernere has injurias. Da aspernari res humanas, et a te cogitationis oculos non dimovere: tibi uni confidere, ex omnibus ærumnis in te uno requiescere, et unum te salutis meæ portum agnoscere etiam in his caducis rebus et ψευδωνύμοις bonis. Postremo da hoc mihi, meæ, et meis omnibus ut vere et ex animo dicamus μηδέν ποτ' εἴην ἄλλο πλὴν Θεῷ φίλος. O illos beatos, quorum in tuo unius auxilio spes omnes sunt sitæ! Hoc equidem scio, hoc cupio reapse præstare. Sed homo sum, hei mihi, nimis homo. Per igitur ego te, Deus æterne, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum oro, obsecro, obtestor, ut vota hæc mea exaudias; et pro tantis beneficiis tuis in me, meam ac meos, toto pectore tibi gratias agere ut possimus, te no-

menque tuum celebrare, et quam simus hac tua benignitate indigni, magis magisque agnoscere, per eundem Filium tuum Dominum Jesum, Regem, Messiam, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit laus, honos et gloria εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen. Amen. Amen.

## Annus 1608.

*Kal. Jan.* Ego vero anni novi initio quid potius agam, nisi ut præteritorum beneficiorum tuorum erga me et meos recordatione, O Deus, ad veram pietatem me excitem, et ut in reliquum vitæ meæ et meorum tempus parem benignitatem illi quam sumus hactenus experti supplex te poscam? Sed me in memoriam redeuntem meritorum in me ac meos tuorum ἀφασία ἔχει, ut, neque unde incipiam, neque ubi desinam, possim invenire. Omittam igitur alia plane ψαμμακοσιογάργαρα, illud non tacebo quod a pueritia nostra dedisti mihi et meis, ut in timore nominis tui imbueremur, non sivisti nos ἀτημελήτους καὶ τῶν καλῶν ἀνεννοήτους. Ingens plane beneficium, si nos illud ἡμετέραισιν ἀτασθαλίαις non corrupissemus. Nunc vereor, imo certo scio, longe aliter eo beneficio immortali esse nos usos, ac debueramus. Non ita factis, non ita dictis nostris sumus moderati, ut par erat. Malum denique fecimus, O miseri, quod non debueramus, bonum quod tenebamur præstare, non præstitimus. Ego, qui meis debui esse παντοίης ἀρετῆς ὑπόδειγμα, quam

longe ab eo afui? quam longe absum? Itaque crucior animi, cum anteactæ vitæ subit recordatio. Jam studia mea, quam hactenus inutiliter gloriæ tuæ (cui uni famulari et inservire debueram) sunt a me culta? Tædet pigetque me inceptorum meorum. Vixi, fateor, et nunc vivo in Ecclesia tua velut ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης. Nam etiam illud malum ingens est, quod sacris synaxibus raro intersumus. Hæc aliaque infinita et mea et meorum peccata reputantem subit animum sæpe οἷον ἀπελπισμός τις, ut dubitem interdum an solita benignitate tua, Deus æterne, erga nos utaris. Certe illud votum sæpe facimus ego atque uxor, ut majorem facultatem pios cœtus celebrandi aliquando habeamus. Esset animus, O Pater clementissime, hoc solatii genere familiarius uti vel ad ædificationem nostram vel ad exemplum aliorum. Quicquid hujus sit, supplex infimis precibus a te peto, Deus æterne, Pater clementissime, ut deleas peccata nostra priora, des serio eorum pœnitere; des ita in posterum vivere, ut et interior conversatio nostra, et exterior ad præscriptum Legis tuæ sit composita. Serva me uxori, uxorem mihi, utrumque liberis nostris, liberos nobis. Serva et sororem, et universam domum. Fac oblivisci omnium injuriarum quas ab aliis accepimus, et pro tua inenarrabili bonitate malis nostris medere, industriæ et conatibus, O Deus salutis meæ, benedice. Nos quidem omnibus propemodum vitæ præsidiis

sumus destituti. Opes habemus nullas; neque præter liberos et libros quicquam fere mihi superest. Accedit novum onus sororis, filiæ ejus, affinium, quos penitus deserere impium sit. Stupet animus recordatione tot cladium. Sæpe etiam languet mens et oneri succumbit gravissimo, durissimo. Sed erigam me tamen, et quamvis onere fatiscens, erigar tamen in cælum. Conversus enim ad te unum, Deus æterne, in te uno ex omnibus ærumnis meis acquiescam, certus spem in te positam neminem posse destituere. *Αὕτη ἡ κάμαξ οὔποτε τὴν ἄμπελον ἠπάτηκε.* In hac cogitatione me, meam et meos omnes confirma, Deus Opt. Max., ut neque illi me respiciant, neque ego Reges aut Principes, sed unum te omnes spectemus, omnes abs te pendeamus. Da, æterne Deus, vere *βουλαῖε*, rectam mentem ad prospiciendum rei familiari melius quam fecerimus hactenus. Quod si ita placet tibi, ut colligendarum reliquiarum paternæ hæreditatis uxor longum iter instituat, da illud feliciter inchoare, feliciter perficere; serva euntem, serva redeuntem, et nos quoque hic serva. Adjice etiam, O Pater ingeniorum, eum cumulum prioribus beneficiis tuis, ut, quem dedisti librum inchoare, Polybium dico, des ad umbilicum perducere. Omnibus denique meis et meorum inceptis ades et benedice. O exaudi, Pater *ἐπουράνιε, ὁ ὢν ἐπὶ πᾶσι ἡ πάσης ἀγαθοεργίας καὶ ἀγαθωσύνης πηγὴ ἀένναος*, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum

*τὸν μονογενῆ* cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, decus et regnum et nunc et semper *εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Γένοιτο, γένοιτο. Ἀμήν.*

IV. *Non. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια* satis assidue, ut nunc mea studia sunt. Sed fructus meorum laborum ad ingratos profecto redit. Etiam illi incommodo, si ita lubet, medere, O Deus. Certe enim te unum spectamus, tibi confidimus, et non fallet me, scio, spes mea. Amen.

III. *Non. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια* parum hodie processerunt ob nutantem valetudinem, quam, O Deus, firma, et res meas sustine labentes. Amen.

*Prid. Non. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια* utcunque, sed aliis, non mihi. Tu nos, O Deus, respice. Amen.

*Non. Jan.* Certe de meis studiis, de re familiari actum mea, nisi tu, Deus æterne, subvenias. Alii scelere immani me et meos spoliarunt fortunis nostris, alii laboribus fruuntur, bipedum ingratissimi. Nempe eo isti proficient, ut omnes meæ et meorum spes in te unum, O Deus, conferantur. Amen.

VIII. *Eid. Jan.* Deum veneror, ut, quæ hodie cogitavimus ego et uxor, ac fere constituimus, ea bene vertant. Heri oblata ei facultas fuerat eundi ad sacram synaxim, sed quæ frigus ingens foras progressa negotiorum caussa die hesterna sensisset, ne gravius malum fieret, quod videbatur jam inchoatum, priusquam surgeremus, faciendum decrevimus, ut ejus vicem ipse oblata occasione uterer. Id cogitans aliquando maturius

quam superioribus diebus surrexi, et hesternam lucubrationem de motuum equestrium generibus apud Polybium, lib. x. expolivi. Interea adest currus Arnaldarum, virginum honestissimarum. Ego, qui semper in museo fueram et gelu pene torpebam, repente abeo. Vix currum conscenderam, cum cepi frigus maxime pedum sentire sane ingens. Imus, porta egredimur. Sed non longum extra muros spatium confinximus. Ea enim fuit frigoris vehementia, frigidissimo præsertim vento omnia perurente, ut neque ii, qui vehebantur, neque equi progredi ulterius potuerimus. Ita ἄπρακτοι sumus reversi, magnum sane nobilissimarum virginum mei studium experti, ubi semel animadversum ab iis est quantopere frigerem. Jam ergo domum reversus votum hoc apud te, O Deus æterne, verbis disertis concipio: si ita Majestati tuæ et Numini fuerit visum, id me deinceps omni cura et diligentia acturum ut iis in locis lares figam, ubi purioris religionis erit libera professio et actionum pietatis commodior exercitatio. Monent me et uxorem perquam multa, sed quæ præ hoc uno levia sint ducenda: at vitam ducere absque ullo fructu sacrarum synaxeon, malum nobis videtur intolerandum et nobis et liberis nostris. Cum præsertim quotidie magis magisque frigere eorum amicitiam videam, qui me huc vocarunt spe futuræ meæ mutationis ὃ μὴ γένοιτο, οὐδ᾽ ἔσται. Duæ offeruntur nobis conditiones Heidelbergensis et Nemausensis. Utra-

que suas illecebras habet, suas remoras. Te, O Deus æterne, oro supplex, ut des nobis rectam mentem, des in hac re et omnibus aliis ea velle quæ tibi sunt futura grata. Miserare languentem domum. Solare mœrentes, me et uxorem, ac prope animos despondentes ob tot jacturas et clades rei familiaris. Exaudi, O Deus, per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit laus, honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VII. *Eid. Jan.* Pars maxima diei periit ob violentiam hiemis sane asperrimæ. Τῷ Θεῷ δόξα. Amen.

VI. *Eid. Jan.* Ne nunc quidem remisit hiems, et nos a Polybio evagamur. Deus nos respiciat. Amen.

V. *Eid. Jan.* Et hunc diem vehementia frigoris fere mihi eripuit. Aliis tum viximus sane ingratis. Tu, Deus, nobis ades, nos protege. Amen.

IV. *Eid. Jan.* Polybium dudum omisimus propter hæc frigora. Certe aliis vivimus non nobis: hoc fato sumus. Θεοῦ δ' ἐτελείετο βουλή. Illi laus et gloria. Amen.

III. *Eid. Jan.* Non aliis sed bipedum ingratissimis vivimus. Deo laus et gloria. Amen.

*Prid. Eid. Jan.* Post multorum dierum intermissionem ad Polybium cepi leniter hodie reverti. Et da, O Deus, finem videre, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit laus et honos. Amen.

*Eid. Jan.* Et frigus et alia incommoda nos privarunt auditione verbi sacri, quo beneficio O utinam liberius aliquando fruamur. Amen.

XIX. *Kal. Feb.* Etiam hodie per frigus et negotia fere nihil egi. Polybium certe intermisi, quem, O Deus, da absolvere. Amen.

XVIII. *Kal. Feb.* Neque nihil, neque multum. Sed uxor non valet, quam, O Deus, serva. Amen.

XVII. *Kal. Feb.* Aliis potius quam nobis viximus, et quidem ἀχαριστοτάτοις bipedum. En fatum literarum et meum. Sed nostra in unius Dei misericordia spes, illi honos et gloria. Amen.

XVI. *Kal. Feb.* Vix curis sufficimus, vix ærumnis. Sed sublevat Deus, qui et liberabit, spero hac cura vel potius tot hisce curis et nos servabit. Amen.

XV. *Kal. Feb.* Viget hoc frigus sane intolerabile, et quod jam hoc anno Polybium ter mihi de manibus excussit. Itaque expectamus mitiora et lætiora nobis tempora, quæ tu dabis, O Deus, si placet. Amen.

XIV. *Kal. Feb.* Plane hic periit mihi dies. Et de istis auribus lupum tenemus, nisi quod omnia Deo permittimus. Θεῷ χάρις καὶ δόξα.

XIII. *Kal. Feb.* Jam equidem ad hæc mala occallui. Sed quod frigoris asperitate simus domi contenti et ad sacram synaxim non iverimus dolet mihi. Tu malis meis, O Deus, medere. Amen.

XII. *Kal. Feb.* O meis incommodis, Deus salutis meæ, medere. Amen.

XI. *Kal. Feb.* En nunquam nisi querelas heic effundam? Nam etiam hodie ad cætera mala et studiorum jacturam accessit, quod ex ea civitate, quæ pessime de me et meis est merita, stultas literas ab amicis accepi. Tu, Deus Opt. Max., omnia ad tui nominis gloriam compone. Amen.

X. *Kal. Feb.* Horrendum frigus ita hodie urebat omnia, ut majoris aut ne similis quidem vix posset quisquam meminisse. Deus æterne, miserare tot pauperes, qui ligni inopia miserrime vexantur, per Jesum Christum Dominum Filium tuum, cui una cum Spiritu Sancto laus, gloria et decus in æternum. Amen.

IX. *Kal. Feb.* Deum immortalem! Quis par erit tantis frigoribus? Jacet tota fere domus aut languet. Nos pedem in museo vix posuimus: vix leniter ad focum librum aspeximus. Miserere, Deus, tot pauperum misere afflictorum. Amen.

VIII. *Kal. Feb.* Gratias tibi, O Deus, quod hodie sacræ synaxi interfuimus quæ publice habita est apud Legatum Angliæ. Hodie cepit remittere frigus: sed excipit tempestas non bona valetudini. Sed tu reges omnia, O Deus, tuis ponderibus et mensura, non hominum arbitratu. Tibi honos et gloria. Amen.

VII. *Kal. Feb.* Remisit sane frigus illud horribile; sed vehemens tamen est adhuc. Et mirabamur nos hodie atque heri pruinam illis omnibus locis concretam, quæ ullo modo aerem admittunt. Dicas nucamenta nucum e lacunaribus

pendere, et parietes omnes novo quodam genere nivis esse contectos ad crassitiem satis magnam. Nullus angulus non eximie vestitus ea *πήξει*. Sed in cellis inferioribus ad crassitiem unius fere digiti ea quasi crusta pervenit. Sane fuit hesterna dies nube obtecta densissima, quæ videtur huic *μετεώρῳ* dedisse originem. Tu, Deus Opt. Max., nos serva et erige ad meditationem *τῶν μεγαλείων τῶν σῶν*, per Jesum Christum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit laus et honos. Amen.

Πάχνη per omnes parietes et lacunaria qua aer admissus. Palladius in Lausiaca in Ptolemæo vocat *δρόσον*. Vide quæ inde excerpsimus.

VI. *Kal. Feb.* Nunc contraria caussa domi continetur. Diu frigus nos coercuerat, jam aquæ ex liquefacta nive, ut ne hodie quidem ad sacram synaxim iverimus. Deus ignoscat, et nos servet. Γένοιτο, γένοιτο.

V. *Kal. Feb.* Nunc enimvero cumulus accessit ærumnis meis et uxoris charissimæ, fidelissimæ, prudentissimæ. Tu, Deus æterne, scis quid nos cruciet, et quam inique molestiæ nobis sit illa quæ tot per me beneficia a te accepit. O Domine, ingenium illud compone, finge, dirige, et liberos nostros da in tui nominis timore educare, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

IV. *Kal. Feb.* Jacemus sub onere tot ærumnarum languentes; sed te, Deus æterne, spectamus. Tu nobis ades. Amen.

III. *Kal. Feb.* O fortunam hujus diei, O ærumnas! sed taceo, et me tibi, O Domine, permitto. Tu nos respice. Amen.

*Prid. Kal. Feb.* Ut video, inter aquam et ignem facilius conveniet, quam inter hasce fœminas, nempe uxorem et sororem meam. O invisam, O duram sortem! O ærumnas! O meos suavissimos liberos! Deus æterne, respice meas molestias, et da levamentum. Amen.

*Kal. Feb.* Da, Pater cælestis, feliciter inire, feliciter claudere hunc mensem mihi meisque. Amen.

IV. *Non. Feb.* Studia utcunque. Deo laus et honos.

III. *Non. Feb.* Deo sacrum diem domi egimus, et quidem non in museo, sed inter amicos. O ærumnas vitæ hujus. Deus, miserere. Amen.

*Prid. Non. Feb.* Totus fere dies periit, et fui hodie cum Cardinali Perronio. Deus, miserere. Amen.

*Nonis*, VIII. *Eid. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

VII. *Eid. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque, etsi multum temporis frigus abstulit. Τῷ Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, et spes meliorum περὶ τὰ ἐνδόμυχα. Te, Deus æterne, veneror per Jesum Christum, nobis adsis. Amen.

V. *Eid. Feb.* Stultitiam meam hodie ut semper agnovi. Venit mane quidam ad me et oratione Latina me est aggressus. Mirabar quo hæc oratio tenderet, sed non diu hæsi incertus. Nam

mox viaticum a me petiit, ut in Belgium posset redire, quum sibi nuper furto crumena esset ablata. Erat modo canus, honeste vestitus, et qui non mediocrem vultu gravitatem præ se ferret. Itaque, etsi ignoto, penitus dedi quicquid tum ad manus erat, quod certe alios in usus pridem destinaveram. Non pœniteret, si de persona saltem aliquid mihi constaret. Nunc recte fecerim, an non, haud scio. Nam hoc præsertim tempore quam multi probe mihi noti egeant et opem uxorem poscant, non ignorabam, et fortasse eorum potius rationem habere debui. Sed hoc leve. Tu, Deus, nos protege. Amen.

IV. *Eid. Feb.* Obscœnissima tempestas liquescente glacie etiam hodie facultatem mihi eripuit ad sacram synaxim eundi. Da, Domine, fungi officio, et sancta illa voluptate frui. Amen.

III. *Eid. Feb.* Pars diei inter amicos acta. Deus nos servet et nostris peccatis ignoscat. Ii erant Quercetanus et Maiernius vv. cl. Θεῷ χάρις. Amen.

*Prid. Eid. Feb.* Etiam hic dies cum amicis actus. Τῷ Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις. Amen.

Thucydidem Lat. commodavi D. Sapiæ Polono.

*Eid. Feb.* Ad Polybii editionem serio jam redimus, si tua modo, O Deus, faverit clementia, quod te supplex oro, ὦ παναγία τριάς. Amen.

XVI. XV. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Mar.* Pene hodie nihil, aut potius nihil penitus. Amicis enim non studiis vivimus. Sed tu, Deus æterne, miserare. Amen.

XIII. *Kal. Mar.* Ad sacram synaxim hodie ivi cum filio. Præter commune omnium piorum officium, erat hic dies mihi privata festivitate solennis. Hodie enim annum vitæ quadragesimum nonum claudimus. Itaque, Deus æterne, et in Ecclesia gratias tibi agere optavi, egique, et nunc quoque ejus beneficii tui memoriam recolo. Plane hic annus vitæ meæ totius fuit imago; ita lætis nonnullis, sed pluribus longe tristibus varie sum affectus. Tristissima fuit piæ matris jactura; tot clades rei familiaris, quas Genevæ hoc anno sumus passi; tantum temporis amissum, tam parum esse profectum. Adde ærumnam, quæ me pene abstulit ante hebdomadas tres vel quatuor. Adjice, quod omnium, hei mihi, longe gravissimum, propter damna fortunarum toties offensum Numen, dum queror impotenter de auctoribus mearum calamitatum. Hoc mihi molestissimum et est, et esse debet. Parum est bona amisisse, modo tuum amorem, O Deus, non amittam. Sentio impotentiam animi mei, et serio dolet. Nam etsi perinique mecum est actum variis modis, debui tamen lenius hunc casum accipere, et Deo Opt. Max. meas res permittere. Itaque improbe, fateor, fines modestiæ excessi. O ignosce tu, Deus æterne, et me, meam, ac meos immuta, et veram pietatem, veram ἀνεξικακίαν et patientiam nos doce. Quod si ita lubet, lapsas meas et meorum omnium fortunas sustine, et damna sarci, qui omnia fecisti ex nihilo, et da

veram in te fidem, certam in tuo auxilio fiduciam. Sed et læta acciderunt hoc anno nonnulla. Nam et ego, et uxor, et fere liberi valuimus, ac nunc tuo, Christe Jesu, beneficio valemus. Studia quoque mea, etsi detrimenta multa perpessa, non tamen prorsus conciderunt. Testis Polybius pene jam ad umbilicum perductus. Omitto alia nonnulla, quorum me non pœnitet. Horum igitur nomine, Deus æterne, et nominatim quod annum hunc vitæ meæ dederis commodo satis fine claudere, supplex quanta maxima possum pietate tibi gratias ago atque habeo. Oro etiam enixissime te, ut quod vitæ nobis superest, regas et præterita tegas. Benedic, O Pater *ἐπουράνιε*, studiis pietatis, si qua illa sunt in nobis; si nulla sunt, ea excita, et in dies magis magisque fove. Da mihi et meis ut firmiter credamus nihil posse iis deesse, quibus Dei timor non desit. Benedic et studiis literarum, aliisque inceptis meis meæ et nostris omnium, per Jesum Christum Dominum nostrum *τὸν μονογενῆ* Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Ἀμήν. Ἀμήν. Ἀμήν.

ANNUS VITÆ L.

XII. *Kal. Mar.* Hunccine ego diem numerem meliore lapillo, qui mihi labentes apponit candidus annos? Hic enim est dies quo annum vitæ quadragesimum nonum supergressus quinquagesimum incipio numerare, cujus rei venire mihi

non potest in mentem, ut non et longæ Dei Opt. Max. patientiæ adversus me simul veniat in mentem. Tua, Deus immortalis, benignitas tot me jam annos fovet, et beneficiis, non dicam quotidianis, sed *συνεχέσι* continenter ad meliorem vitam provocat. Neque vero passus es, ut tuam voluntatem penitus ignorarem quæ bonos præmia, quæ malos supplicia maneant. Quo graviora sunt peccata mea, mea inquam peccata, quorum sensu crucior, et tædet me vitæ longioris. Beatus Paulus, vas illud gloriæ pretiosissimum, non dubitavit dicere, facere se malum quod nollet, bonum quod vellet non facere, optare etiam liberari hoc corpore, ut esset cum Christo Domino, et de carne sua victoriam semel reportaret. Deum immortalem! nos homunculi aut vermes potius, sed vermes consuti ex iniquitatibus, quid sentire de nobis, quid a Domino Jesu petere precibus *ἐκτενέσι* deberemus? Nempe illud unum, quod, si fateri verum volumus, unum horremus, dissolvi et desinere vivere, ut desinamus peccare. Miserum me! Cur ego mole peccatorum meorum obrutus, hoc animo non sum? Nam simul ac acrius tædere me diuturnioris hujus vitæ cepit, delapsus statim ad cogitationem de uxore et liberis ac sorore in humanas curas rursus *ὡς βαθύτητα* demergor, nonnihil etiam revocantibus, fatendum est enim, et studiis, ne tot scilicet exantlatæ vigiliæ incassum pereant. Quod si veræ sapientiæ micam haberem, securus de meæ

et meorum post obitum meum necessitatibus, spretis nugis omnibus lucubratiuncularum mearum, id unum cogitare debui ut necessitate peccandi quam primum liberarer. Tu igitur, Deus æterne, da mihi vere *δυσαρεστεῖν ἐπὶ τοῖς ἐμοῖς παραπτώμασι*, quæ eo graviora sunt, quo fuit hactenus lenior tua erga me clementia. Quod si me terras colere adhuc volueris, da, Pater *ἐπουράνιε*, sic vitam instituere ut ad mandata tua accedam quam proxime. Da veritatem *ὀρθοδοξίας* in hac fæce temporum et magis magisque agnoscere et firmiter tenere. Da præesse huic domui *ὡς φρονιμώτατα, ὡς εὐσεβέστατα*. Durum sane onus, et quod nuper longe gravius est factum, quod erat jam gravissimum. Itaque hæreo sæpe inops consilii, et quo me vertam incertus. Cupio illis prospicere? Studia sunt negligenda, quæ mihi vita sunt chariora. Negligo rei familiaris curam? Obruor incommodis, et ruinæ meorum in me concidentes me obterunt, quod pene nuper factum: unde multa mala, multæ ærumnæ, quæ me prope *δυσάνιον εἰς αἰῶνα* reddiderunt. Omnium gravissimum, quod si me sublevare nupero hoc onere sororis et ejus filiæ cupiam, ad Regis opem implorandam mihi veniendum necessario. Hoc quum fieri nequeat, ut non depingantur suis coloribus Genevenses, quid faciam? Egone ultro ignominiæ notam ibo inustum illi Ecclesiæ quam plerique hactenus putavimus esse omnium purissimam? In hoc negotio tu me rege, Deus æterne, et moderare

meis affectibus. Nam negligere sororem ad mendicitatem redactam, et longe ulterius, per pietatem non licet: non etiam possum non moveri tot malis et damnis, quæ tum universa domus Stephanica est passa, tum etiam charissima uxor. Horret animus, cum venit in mentem quot me maneant ex eo fonte manantes molestiæ: ut plane habeam necesse tuam opem, O Domine Jesu, implorare, te precibus meis fatigare καὶ δυσωπεῖν, ut propitius mihi ac meis in tanta rerum nostrarum perturbatione esse velis. Ades igitur mihi, Deus Opt. Max., gressus meos, linguam meam, cogitationes meas denique dirige, neque siris hoc fluctu negotiorum aut penitus absorberi me, aut studia mea funditus everti. Sed omnia vota mea unico voto melius complectar. Da, Deus immortalis, mihi, meæ, et omnibus meis veram pietatem et ὁλόκληρον πίστιν, hoc te supplex oro atque obtestor per Dominum nostrum Jesum Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto laus, honos, gloria καὶ πᾶσα μεγαλοπρέπεια εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Ἀμήν. Ἀμήν.

XI. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi leniter, impediti morbo charissimæ filiæ primogenitæ, sed Deus, spero, brevi liberabit, et liberet utinam, nosque servet. Amen.

IX. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Θεῷ χάρις. Amen.

VII. *Kal. Mar.* Pene intermissa studia ob morbum charissimæ filiarum, quam, O Deus, velis sanare, et nos adjuvare, qui in te speramus. Amen.

VI. *Kal. Mar.* Deum immortalem! Quam ego te nominem, dies hodierna? quæ mihi, crudelis, lumen suavissimum ademisti Philippam, filiam meam natu maximam, solatium unicum parentum et multarum virtutum domicilium. O mea lux, meum corculum, matris tuæ amor, deliciæ, gloria, ergo tu nos deseris? nos heic in hac miseriarum valle derelinquis? ipsa meliori vita fruitura in cælos abis? Quid dicam? Si affectum meum et tenerrimæ matris specto, male nobiscum agitur. Dolore namque et luctu atque angore obruimur cui vix pares sumus. Amittimus enim, hei miseros, amittimus supra modum καὶ παντὸς λόγου πέραν charum pignus. Præter communem στοργὴν parentum in liberos merebatur certe tua indoles, mea Philippa, ut te vel eo solo nomine non diligeremus, sed amaremus. Quid tuis moribus amabilius? Inerat vultui non forma illex, sed gravitas illam præsertim ætatem mirifice commendans. Castam, pudicam, modestam, Dei timentem diceres cum vultum, cum incessum aspiceres. Omnia in ea γνήσια, fucati nihil. Tota ἄδολος, ἄκακος, ἀνυπόκριτος. Jam propriæ virginum liberaliter educatarum virtutes mirifice in ea enituerunt. Cultus non περιττὸς sed mundus, non curiosus, sed honestus. Operum Minervæ scien-

tia non vulgaris. Linguæ Anglicæ peritia non aspernanda. Supra omnia fuit fervens pro sexu et ætate zelus veræ pietatis. Τῆς ὀρθοδόξου πίστεως fuit tenacissima, ut sine gravissimo dolore animi deliria quæ in doctrinam evangelicam et ejus fideles ministros solent effundi, non posset audire. Me miserum! Quoties ego, mea Philippa, tuæ constantiæ periculum facere volui, ut qualis post fata mea esses futura cognoscerem. Proponebam tenuitatem nostram, res accisas, spes in hominum præsidio nullas. Addebam de cupiditate mea ejus collocandæ pro honestate nostræ domus, quod quidem vix sperare possem in hac ἀδυναμίᾳ nostra et immensitate dotium in hac præsertim urbe; tum autem facilia fore omnia spondebam, si Regis voluntati vellem obtemperare, et τῷ νῦν αἰῶνι rationes meas accommodare. Hæc ego non semel apud illam: non quod ita sentirem, πρίν μοι χάνοι εὑρεῖα χθών, sed ut cogitationes illius explorarem. Scis tu, καρδιογνῶστα Deus, qualem sim semper post hujusmodi sermones expertus, quam firmam, quam stabilem, quam constantem. Scis tu, Domine, sæpe illam mihi respondisse, impietatis esse partem de hac re deliberare; paratam se crucem Christi amplecti et ad extremum vitæ spiritum sequi; omitterem curam omnem de se; sibi Deum Opt. Max. prospecturum; si nihil ipsi relinquerem, at divinam opem sibi non defuturam; parvo posse se esse contentam; id quoque si a parentibus non acceperit, Deo bene juvante

suam industriam pro mediocribus sibi opibus futuram; bono essem animo, levarem me hac cura, et eam totam Deo permitterem; præstarem me virum, et dignum cujus ad exemplum se mater sua et omnes liberi componerent; postremo si fidem ipse mutarem, si mater, si omnes fratres, sorores, amici, firmiter se nihilo secius in ea fide quam a me accepisset mansuram. Hæc et similia his cum dicentem te audirem, mea Philippa, meus amor, quo gaudio perfunderer, Deus scit. Puto hanc fuisse caussam cur ante sex septem menses voluntas eam ceperit addiscendæ linguæ Anglicæ, ut, si turbarentur res in Gallia, eo facilius mihi esset in Angliam perfugere. Offerebatur commoditas honestissima. Est in urbe Legatus Angliæ vir excellentissimæ virtutis et cujus domus schola pietatis potest dici. Nam uxor illius heroina seculo major, sanctimonia vitæ, et fervore erga τὴν ὀρθοδοξίαν nemini hominum cedit. Hæc veneranda matrona delectata ingenio filiæ meæ, cum ipsa egerat ut in suo comitatu esse vellet, loco honestissimo, et quæ fere ab ipsius latere nunquam esset discessura, persuasum est meæ filiæ propter eas haud dubie, quas attuli, rationes, et ut εὐσχημοσύνην atque ὁμιλητικὴν δύναμιν, quibus præcipue dotibus secundum pietatem nobiles virgines commendantur, addisceret. Me quoque hæc statim impulerunt, ut rogatus non invite hoc concederem nobilissimæ et gravissimæ matronæ. At mater invita

et vix ægre hoc ei permisit. Crederes amantissimam filiæ matrem jam tum vaticinari, quod accidit. Egit filia mea apud Legatum menses plusculos, ubi ea pietatis, probitatis, dexteritatis et humilitatis, sed ejus quæ nobilem animum deceret, dedit specimina, ut omnes amore summo ipsam prosequerentur, ipse præsertim D. Legatus et ejus εὐσεβεστάτη uxor, qui ambo sane nos parentes beatos tali filia prædicarunt. O cæcas spes mortalium! Næ tu Fortuna vitrea es, cum splendes, frangeris. Postquam eo videbatur perducta mea Philippa, ut Deo propitio brevi collocata nuptum majori adhuc parentibus esset oblectamento, ex inopinato et repente spes nostræ concidunt. Dies erat Lunæ, uti vocant, mensis hujus decima octava, qua die natalem meum quadragesimum nonum agebam, cum filia repentino morbo correpta de mensa surgere coacta in lectum se contulit. Dolebat illi caput, eumque dolorem languor corporis comitabatur. Peccasti, filia mea, in me, in matrem, gravissime, quod non statim de tuo morbo nos fecisti certiores. Sed nocuit tibi nimia erga nos reverentia, et tacita dolorem tuum ferre præoptasti, quam nobis esse dolori. Diem Lunæ Martisque totos res nos latuit. Mercurii die mane venit, qui morbum nuntiaret. Mihi quum charissima conjux in museum nuntium attulit, tristi quodam sed non fallaci omine hoc visa est dicere, Philippa nostra obiit, ita sum eo nuntio perculsus. Accurrit mater;

ego illam sequor. Invenimus in lecto jacentem, sed opinione nostra melius, ut videbatur, habentem. Domum delata, iterum nimia nostri reverentia nos et salutem suam fortasse perdidit. Sciebat quomodo parentes afficerentur, quoties ipsa ægrotaret: itaque prius invalescere morbum est passa, quam de illius gravitate vocem hisceret. Sed et morbi genus mire insidiosum et fallax. Nam quia febris illam non habebat, et erat pulsus arteriæ æqualis, calor modicus, nihil gravioris morbi suspicatus unquam est Arbaldus medicus eximius et nostri amantissimus. Admota sunt medicamenta utilia quidem sed mitia. Ego infelix, postquam illam vidi domum relatam, pro jam curata habui, et eram tum forte in meo Polybio admodum occupatus. Itaque raro jacentem invisi, raro compellavi: idem et mater fecit. Nullum enim prorsus apparebat signum *τοῦ μέλλοντος*. Ventum ad diem Sabbati. Tum enimvero torpor noster excitari cepit, etsi tunc quoque modice. Angebat nos silentium ipsius. Verbum enim ab ea exprimere non poteramus. Urgere igitur illam, instare, interdum et irasci. Arbaldo medicum alium magnæ famæ adjecimus, cui nomen est Monacho. Adhibita sunt de communi amborum sententia acerrima remedia excitando huic *καρώματι*. Illa non posse pati, et cum loqui non posset, clamare, ac flere. Nox tota inquies, etsi perseverabant signa ad salutem. Noctem hic excepit dies sane luctuosus. Jam ante diem

Arbaldum advocaveram, mox et Monachum, et celeberrimi nominis Maiernium veteri amicitia nobis conjunctum. Nihil prætermissum est, quod videretur posse esse usui. Sed tua nimirum, O Deus, deerat benedictio. Itaque adeo nihil remediis est perfectum, ut et cruciatus intendisse, et mortem accelerasse possint videri. Dixerat Monachus mihi, verendum esse ne matutinum hujus diei statum exciperet lethargus, lethargum phrenitis, et omnino quum fato functuram putaret, plurium tamen dierum morbum futurum pronuntiabat. Angebar exspectatione hujus funesti et tristis prognostici. Evenit vero haud paullo aliter. Hoc enim ipso die, circa tertiam pomeridianam, charissima, suavissima, dilectissima mea Philippa post acres aliquot horarum cruciatus et spasmos beatam animam Deo, a quo acceperat, placide reddidit. O te felicem, mea charissima Philippa! O lætam sortem tuam præ nostra parentum! Tu mundum hunc eluctata cælestem hereditatem mature crevisti. Nos in perpetuo agone hanc miseriarum vallem incolimus. Tu æternum otium, quietem securam es nacta. Nos inter spem metumque dubii semper agitamur. Tu in portu ἀκυμάντῳ. Nos inter fluctus decumanos in alto. Tu in choro sanctorum futura gaudia meditaris. Nos præsentis vitæ necessitates terræ affigunt. Quod omnium caput, tu divinam Majestatem desiisti peccatis offendere. Nos miseri indesinenter Creatorem nostrum dic-

tis, factis lacessimus. Salve igitur cælitibus addita anima, et siqua defunctis in Domino superest cura rerum humanarum, parentis utriusque, fratrum, et sororum memoriam serva. Nos tui desiderio languentes in Dei Opt. Max. voluntate semper justa, semper æqua, et recordatione tuæ pietatis et bonæ indolis solatium conabimur invenire.

Vixit mea Philippa, matris suæ amor et cura, annos octodecim menses VI. dies XXI. horas fere IV.

VI. *Kal. Mar.* Inter suspiria et gemitus actus hic dies; cujus multas horas et pene totum hesternum diem illustrissimi Legati Angliæ uxor pietate femina insignis uxori adfuit, suas nostris lacrimas adjungens: ut appareat singulari Dei benedictione factum ut Philippa mea ab omnibus bonis mirifice fuerit amata, quibus illa innotuerat. Non hoc merito illius, sed divina benignitate ipsi contingebat. Quam multæ et heri et hodie nobiles genere et pietate matronæ ad solandam matrem advenerunt! Et heri quidem, quod erat in ea cæleste, cælum repetiit, hodie quod χοϊκὸν et terrenum terræ est redditum. Funus igitur duximus, quod plurimi amici cohonestarunt. O vale, filia, bene de patre, bene de matre merita, quibus semper obsequentissima, charissima, jucundissima vixisti. Sed fiat voluntas Dei. Amen.

V. *Kal. Mar.* Solandæ uxori, et excipiendis matronis nobilissimis et honestissimis, quæ ad id ipsum veniebant, hic dies est impensus. Ago

tibi, O Domine Jesu, gratias, quod Philippa, jam non mea, nominis sui inter æquales memoriam honestissimam reliquit. Tui hoc totum est beneficii. Tibi laus, O παναγία τριὰς, gloria et honos in æternum. Amen.

IV. *Kal. Mar.* Ad solennia redituri, ego et uxor, si dabit Deus, ab auditione verbi divini initium fecimus, et Charantonem hodie sumus profecti. O Deus æterne, qui in hanc domum gravis adeo recens incubuisti, da proficere per castigationes tuas, ita ut emendata in melius vita, omni affectu te amemus, tibi serviamus, te unum metuamus, cupiamus unum. Serva, benigne Deus, quod superest hujus afflictæ domus, et nobis parentibus bene illi præesse, liberis bene parere, omnibus ad te se convertere da, ac benignus largire, per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum μονογενῆ cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit laus, gloria, decus, et triumphus εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

III. *Kal. Mar.* Videbatur mihi, ubi me semel collegissem, facile tolerabilis hic dolor, aspirante divina clementia. Sed quo plus labitur temporis, eo plus experior virium mearum infirmitatem. Tu enim, mea Philippa, ob oculos mihi semper: te desidero, te cogito. Tua vero mater tui desiderio tabescit. O solare illam, Deus æterne, et ne te offendamus nostra impatientia supplicibus et enixe rogantibus concede. Amen.

*Prid. Kal. Mar.* Redire ad solennia paullo dili-

gentius sumus conati; sed, O Deus immortalis, pudet me infirmitatis meæ. Vix possum libros aspicere, quin revocer statim ad cogitandum de dilectissima mea Philippa: meam dico? atqui illa jam non mea; qui dederat, abstulit. Ejus nomen sit benedictum. Tu vero, Deus æterne, et in altera vita, et in hac, tua benignitate nos prosequere. Amen.

*Kal. Mar.* O Domine, O Pater ἐπουράνιε, qui mensem dedisti inchoare, da perficere in tui timore, et vitæ castimonia. Da acquiescere in voluntate tua, et de Philippa nostra tibi potius gratias agere, quam impotenter dolere, per Jesum Christum cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et honos. Amen.

VI. *Non. Mar.* En rerum vicissitudinem! Ante octo dies erepta mihi est, si tamen erepta, filia charissima, suavissima, amore parentum dignissima, Philippa mea. Hodie pene eadem hora e morbo, qui male nos habebat, convaluit Johannes noster, et nos cura liberavit. O Deus æterne, da mihi, da uxori, in omni tua voluntate acquiescere ex animo. Scio, Deus æterne, indignum me, indignos meos, quos tuo aspectu digneris, sed in bonitate tua et merito Domini Jesu spes omnis nostra est posita. O miserere nostri, Deus sancte, cui una cum Domino Jesu et Spiritu Sancto sit laus et honos. Amen.

v. *Non. Mar.* Parabamus nos, ut rediremus serio ad solennia: sed neque desiderium meæ

Philippæ remittit adhuc, et operæ Polybianæ improbe luxuriantur. Itaque nondum ita occupati sumus ut optaremus. O benedic, Deus æterne, huic domui. Amen.

IV. *Non. Mar.* Quid hoc est? Temporis longinquitas adeo Philippæ meæ non inducit oblivionem, ut desiderium augeat. Languor corpus occupat; manant per genas lacrimæ. At tu, Deus immortalis, infirmitati meæ et uxoris ignosce, et nos compone ad formam tua Lege præscriptam, nos, inquam, et nostros liberos. Amen.

Gram. Leuderii Polono Patri commodavi.

III. *Non. Mar.* Tu quidem, benigne Deus, beneficiis nos provocas tuis: sed, O Pater, da illud præcipue, ut te debita reverentia colamus, et in tua voluntate acquiescamus, et quod de Philippa nostra tibi placuit, idem et nobis quoque penitus ex animo placeat. De beneficiis interim tuis, quæ hodie, imo quotidie, experimur, gratias tibi, O Deus, cui honos et laus *εἰς αἰῶνας*. Amen.

*Prid. Non. Mar.* Etiamne tam cito tantum vulnus? miserum me. O Deus æterne, da timorem verum tui nominis, da mihi, da uxori charissimæ, da liberis, te timere et revereri ut oportet. Amen.

*Non. Mar.* Heri parum valebat filius; nunc meliuscule. Deo laus, honos, et gloria. Amen.

VIII. *Eid. Mar.* Pene præter spem gratos sum his diebus expertus eos, qui multum mihi temporis absumunt. Tua hæc, O Deus, est benigni-

tas. Fac, Deus æterne, ego atque uxor et liberi beneficiis tuis ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ utamur. Amen.

VII. *Eid. Mar.* Pars domus ad sacram synaxim hodie est profecta. Nos heic detenti sumus cum uxore ob varias caussas. Deum veneror, nostri et nostrorum misereatur. Amen.

VI. *Eid. Mar.* Libros hodie non vidimus, sed ad multos per Germaniam sparsos amicos literas scripsimus, et nostrum luctum illis communicavimus. Deo sit laus et honos. Amen.

V. *Eid. Mar.* Plus solito hodie promovi in penso Polybiano, cujus exitum O da videre, qui solus potes, Deus immortalis. Amen.

IV. *Eid. Mar.* Parum omnino hodie, etsi non cessavimus. Sed, O Deus, quando id consequemur, ut ἄνευ τοῦδε τοῦ σκόλοπος te colamus, et studiis invigilemus? Da, Pater, piam, castam et tibi gratam vitam instituere. Amen.

III. *Eid. Mar.* Etiam hodie filiam meam fusis lacrimis, quas mihi uxor expresserat, luxi: utinam sine offensa tua, O Deus. Amen.

*Prid. Eid. Mar.* Quid dicam? Quo plures procedunt dies, eo acrior doloris sensus premit. Facio tibi, O charissima Philippa, injuriam, qui lacrimis te prosequar, quæ nunc sis apud Deum beata. Σὺ δέ, ὦ πολυέλεε Θεός, μὴ λογίζου ἡμῖν εἰς ἀπιστίαν τὸ σφοδρὸν τῆς λύπης τῆσδε, ἀλλὰ ἐλέαιρε κἀμέ, καὶ τὴν φιλτάτην γυναῖκα, καὶ τὰ τέκνα, σὺν τῇ οἰκίᾳ πάσῃ, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ μετὰ σοῦ ἡ δόξα, τό τε κράτος εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

*Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια paucissimis horis, reliquum amici tempus occuparunt. Θεῷ δόξα καὶ χάρις. Amen.

XVII. *Kal. Apr.* Quod Deus felix et faustum faciat, ad sacram synaxim ferme πανοικὶ imus. Utinam proficiamus in cognitione veritatis, et utinam cognitionem illam opera bona sequantur, ipsi futura grata. Amen.

XVI. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi pensum Polybianum intermissum omnibus modis. Da opus molestum absolvere, O Deus, et tibi πανοικὶ servire. Amen.

XV. *Kal. Apr.* Adhuc obversatur memoriæ parentum Philippa, olim nostra, quam velis, O Deus, in sinum Abrahami recepisse. Amen.

XIV. *Kal. Apr.* Ne nunc quidem ad solennia studia redire bona fide possum. Tu da, O Deus, et huic domui benedice. Amen.

XIII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις. Ἀμήν.

XII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια ut poteramus, quantum per gravem hunc meum et uxoris luctum poteram, et alias occupationes plurimas. Ὦ ἐλέαιρε ἡμᾶς, ὦ Θεός.

XI. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια: Deo sit laus, Deo gloria. Amen.

X. *Kal. Apr.* Uxor ad sacram synaxim hodie ivit, Dei beneficio, quem supplices ego atque illa oramus, ut tum reliquæ benedicat familiæ, tum Annam filiolam ab eo morbo servet, cujus nobis

oborta est suspicio; quæ nos cura non mediocriter exercet. Amen.

IX. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, quantum poteramus. Τῷ Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, sed non sine meo et uxoris luctu tui, mea Philippa, desiderio, etsi nos sane tibi, imo Deo Opt. Max., injuriam facimus, qui tuam tibi felicitatem invideamus. Non facimus, Deus æterne atque immortalis. Sed τὴν φυσικὴν στοργὴν ἡμῶν tu nosti, Domine, qui ignosce, O bonitatis omnis fons inexhauste, et huic domo benedic. Amen.

VII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια per Dei bonitatem, cui gloria et laus. Amen.

VI. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, quantum licuit. Tibi, O Deus, honos et gloria. Amen.

V. *Kal. Apr.* Nunquam occupatior fui, nunquam minus aptus ad studia. Et scis tu caussam, O Deus, qui da mihi atque uxori in tua voluntate acquiescere. Amen.

IV. *Kal. Apr.* Tertia hora matutina hodie surrexi; neque promovi tamen multum. Nam ubi illuxit, non defuerunt avocamenta. Miserere mei et meorum, O Deus. Amen.

III. *Kal. Apr.* Ad sacram synaxim cum uxore et parte familiæ sum profectus, et magnopere sum lætatus, etsi postea reversum excepit quædam nubecula. Te specto, O Deus, in te uno spero. Amen.

*Prid. Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια· sed admodum occupati. Θεῷ χάρις. Amen.

*Kal. Apr.* Non male mensem inchoavimus, quod ad studia. Sed alia sunt, quæ nos magis angant. Tu, O Deus, nostris medere malis. Amen.

IV. *Non. Apr.* Nunquam magis visit nos typographus: sed textus Polybiani finem jam videmus, Deo volente.

III. *Non. Apr.* Pensum acriter pro otio. Laus Deo.

*Prid. Non. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed, O Deus, da melioribus literis vacare, et ad proximam cœnam tuam nos rite præparare. Amen.

*Non. Apr.* Quod Deus fortunet, hodie cum uxore et parte liberorum ad prædiolum nostrum imus, ibi, Deo propitio, sacræ cœnæ Domini communicaturi, et ex tantis molestiis aliquid fortasse levamenti capturi. Tu, Deus æterne, nos deduc euntes, et redeuntes; nobis et nostris, sive qui hic mansuri sunt, sive qui nobiscum futuri, aut alibi, semper ades, semper nos rege, et ad veram pietatem dicta, facta nostra dirige, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat εἰς αἰῶνας. Amen.

VIII. VII. VI. V. *Eid. Apr.* Hodie e rusticatione sum reversus, Dei beneficio, non mediocri voluptate ibi percepta; et maxime quidem propter sacrosanctam Domini cœnam, cujus eo loci sumus facti participes. Laus Deo Opt. Max., qui servet et nos qui jam hic sumus, et uxorem cum parte familiæ, quæ adhuc ibi hæret, non sine acerba recordatione persæpe suavissimæ filiæ,

quam te, Deus æterne, esse miseratum et sua illi peccata condonasse confidimus, et, ut ita sit, toto pectore exoptamus. Deus immortalis hanc domum protegat per Jesum Christum τὸν ἀληθινὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

IV. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις. Amen.

III. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις, qui me, uxorem, et liberos servet cum universa domo. Amen.

*Prid. Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, et hodie literæ a magno Scaligero: vellem et ab uxore. Te oro, Deus æterne, et illum, et illam, et nos omnes serves ἀπημάντους. Amen.

*Eid. Apr.* Deo sit laus et gloria; hodie sacræ synaxi hic in urbe interfuimus apud D. Legatum Angliæ, Gallo pastore concionante. Uxorem cras expecto, te volente et faciente, O Deus. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* Uxor hodie venit. Sed parum bene valens. Ego autem casu nactus epistolam, quam ad me scripserat Philippa mea aliquando, priusquam in morbum incideret, ita sum repente commotus, ut per lacrimas diei magnam partem exegerim. Utinam, O Deus benignissime, tuum numen non offendam. Te certe μακαρῖτιν filiam meam nunquam obliviscar, qui luctu absumerer, nisi confiderem in Dei clementia et merito passionis Domini Jesu tibi bene esse et εἰς μακάρων χῶρον esse te receptam. O ita velis, Deus æterne

immortalis, et Pater benignissime, per Jesum Christum τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου, cui una tecum et Spiritu Sancto honos et laus in æternum. Amen.

XVII. *Kal. Mai.* Uxor graviter febre tertiana hodie laboravit. Et poterat me ea sollicitudo gravi dolore afficere, nisi te et opem tuam, O Deus, spectarem. Ades, O Deus, et nos serva. Amen.

XVI. *Kal. Mai.* Uxor melius valuit febri intermittente, quæ utinam die crastina non nimis eam vexet. Hodie absolvi, quam pridem inceperam in duorum nobilium Polonorum gratiam, Aristotelis Nicomacheorum interpretationem. Deo sit laus et honos. Amen.

XV. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, sed, O Deum immortalem, quantis cum difficultatibus! Hodie vertebam obscurissimam disputationem de comparatione phalangis Macedonicæ et legionis Romanæ apud Polybium, ac pene eo necessitatis sum redactus, ut cogerer statim, ut quæque periodus erat versa, ad typographum eam mittere. Et tamen ita impedito oblata sunt propemodum plus quam unquam multa impedimenta. Illud lætum quod tertiana charissimæ uxoris videtur remisisse. Deo laus et honos. Amen.

XIV. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Mai.* Gratias tibi, Deus æterne, quod pridem inchoatam Polybii versionem per mille impedimenta et inter luctus et lacrimas absolvi

tamen hodierna die. O da, Domine, quæ supersunt hujus operis ad umbilicum perducere et absoluto opere te laudare, tibi gratias agere posse per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et gloria in æternum. Amen.

XII. *Kal. Mai.* Ad sacram concionem profecti sumus quæ habita in domo Legati Anglici. Τῷ Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque: Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui nos servet et sanet parum valentes. Amen.

Jai preste ce jourdhui a Monsieur l'Ambassadeur d'Angleterre le pr. tome de Baronius.

VIII. *Kal. Mai.* Hodie, quod Deus fortunet, Politica Aristotelis cepi exponere, quem librum da, Deus, absolvere. Amen.

VII. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις, qui servet hanc universam domum. Amen.

VI. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, sed, O Deus, quantis cum incommodis et doloribus. Nam uxor consuetis doloribus cruciatur. Tu illam serva, O Deus, et libera præsentibus cruciatibus. Amen.

V. *Kal. Mai.* Die sacro pars familiæ ad sacram synaxim ivit, ego ob morbum uxoris remansi: quam tu, O Domine, quod videris cepisse, sana, et valentem præsta et nos omnes. Amen.

IV. *Kal. Mai.* Uxor melius valet, Deo sit laus et honos. Mericus adhuc graviter ægrotat; sed

de hoc quoque spe bona sum. Tu modo ades, Domine. Amen.

III. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις, qui pro sua bonitate avertat scandalum ejus scripti a ministro brevi profecturi, quem ministri Genevenses ad incitas redegerunt. Certe multus in vita error versatur. Θεὸς ἵλεως εἴη.

*Prid. Kal. Mai.* Deo laus et honos quod mensis est exactus. Ille det reliquam vitæ partem feliciter exigere. Amen.

*Kal. Mai.* Det Dominus mensem exigere, qui dedit inchoare. Ille regat nos, et nostra consilia, præsertim de profectione charissimæ conjugis ea suggerat nobis quæ futura sunt ipsi grata. Amen.

VI. *Non. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed turbat soror mira quadam perversitate, per quam neque illi, neque mihi, neque uxori licet esse quietis. O ingenium effrænum! Tu, Domine, hæc omnia εἰς ἀγαθὸν κρῖνε. Amen.

V. *Non. Mai.* Ergo κέκριται de profectione charissimæ uxoris in Delphinatum. Ego ταλαίπωρος et illa ad tempus carebo, et domi quæ non optabam videbo, et meam Philippam charissimam illam parenti utrique filiam non videbo. Æquum est, justum est, Domine Deus, quod vis, et quicquid vis. Solare, O Domine, me uxoremque, et da sanitatem tum nobis, tum liberis omnibus nostris per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen. Ac quoniam hodie serio de

itinere constitutum, Deum Opt. Max. veneror ut uxoris iter fortunet, eamque valentem ad valentes nos sistat. Amen.

IV. *Non. Mai.* Uxor ad sacram synaxim hodie profecta est, et pars familiæ: ego remansi ἑκὼν ἀέκοντι θυμῷ. Deus æterne, respice hanc domum. Amen.

III. *Non. Mai.* Ne hic quidem dies a turbellis vacuus; et urget uxoris charissimæ profectio, quam, O Deus, serva euntem, redeuntem. Amen.

*Prid. Non. Mai.* Literæ propter uxoris iter: turbæ variæ: curæ multiplices: nihil boni. O det Deus in reditu uxoris omnia lætiora. Amen.

*Non. Mai.* Quod Deus Opt. Max. felix et faustum esse velit, uxor charissima itineri hodie se accingit, iter necessarium coacta suscipere. Te veneror supplex, Deus æterne, serves euntem, serves et redeuntem, et nos una iterum jungas ad nominis tui gloriam, utilitatem liberorum nostrorum et nostram. O respice, Domine, languentem domum per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una tecum et cum Spiritu Sancto vivit, regnat, et triumphat in æternum. Amen.

VIII. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, sed mirifice nos habet sollicitos uxor charissima propter hasce pluvias continuas. Tu, Deus æterne, illam serva et nos omnes. Amen.

VII. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, et literæ hodie Lugduno satis lætæ de negotiolo ex animi sententia ibi confecto. Sed pluviæ assiduæ macerant

me sollicitum de uxore, quam O serva, Deus æterne, et totam domum. Amen.

VI. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια: literæ ad amicos: sollicitudo de uxore, quam, O Domine, mihi et liberis serva. Amen.

V. *Eid. Mai.* Τῷ Θεῷ χάρις, quod ad sacram synaxim feliciter [ivi] hodie, et feliciter redii, etsi pars diei vento et pluvia fuit infesta. Utinam pari felicitate hodierni diei iter uxor confecerit: quod et opto, et spero ἐν Κυρίῳ, ᾧ δόξα καὶ χάρις. Amen.

IV. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, sed a prandio κειμήλια invisimus civis Parisiensis Petsegle, ubi mirum quam multa miranda viderimus. Θεῷ χάρις, qui et uxorem et nos servet. Amen.

Presté au Pol. Epist. Cic. et Dionys. Halic.

III. *Eid. Mai.* Deum immortalem! Quantam facio non aliquando, sed semper, et continuam jacturam temporis? Vix unam aut alteram horam quotidie mihi vivo. O Domine, medere incommodis tot meis, sed animo potius medicinam facito meo ac meorum. Redde et, si placet, uxorem. Amen.

*Prid. Eid. Mai.* Gratias tibi, Domine Jesu, quod charissimæ uxoris literas habui hodie. Quam putabam longe abesse aquæ morantur ad Montemargi. Tu, Domine, duc, et reduc salvam et ἀπήμαντον. Amen.

*Eid. Mai.* Ascensionis Dominicæ memoriam non plane ut volebam, sed, ut poteram, cele-

bravimus. Θεῷ χάρις, qui uxorem et nos omnes servet. Amen.

XVII. *Kal. Jun.* Nunquam ita fui occupatus. Plane succumbo oneri: vires me deficiunt, eo magis, quod abest charissima uxor, quam tu, O Deus, mihi redde, et tot liberos male habentes redde sanitati per Jesum Christum Dominum Filium tuum; cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et honos. Amen.

XVI. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια, et, ut semper, aliis non nobis vivimus, O utinam, cum aliquo fructu publico. Velit hoc Deus, qui servet nos, servet uxorem, et totam domum. Amen.

XV. *Kal. Jun.* Pars familiæ Charantonem profecta; ego mansi valetudinis caussa, quam, O Deus, mihi ac meis firma. Uxorem cum primis mihi redde, si placet. Amen.

XIV. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια per varias molestias et sollicitudinem de uxore ingentem, quam, O Deus, serva, et nos cum illa. Amen.

XIII. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια, et de uxore lenis aliquis nuntius, sed propemodum ἀδέσποτος. Quicquid hujus sit, confido, O Deus, in bonitate tua. Neque spes mea, scio, confundetur. O ades, Domine Jesu. Amen.

XII. *Kal. Jun.* Hodie cathartico sum usus, quod, oro Deum, ut sit ex usu. Serva etiam, ὦ σῶτερ, hanc domum et uxorem duc, reduc. Amen.

XI. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις, qui pro sua bonitate uxorem nosque omnes servet. Amen.

x. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια. Atque hoc die literas ab uxore accepi quæ molestissimum iter sana confecisse ait. O gratias tibi, Deus æterne, qui noster es σώτηρ, noster auxiliator. In te spes nostra, in te solatium omne nostrum in adversis. Te supplex oro, des brevi ire, redire, salvam ad salvos per Jesum Christum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

IX. *Kal. Jun.* Ne meliora cogitaremus, et ad crastinam actionem nos pararemus, ut par erat, amici nos impedierunt, qui totum diem nobiscum fuerunt, et ne nobis frueremur impedierunt. Det Dominus veniam delictis meis et meorum. Amen. Amen. Qui etiam uxorem servet, reducatque, et nobis propitius faveat. Γένοιτο, γένοιτο.

VIII. *Kal. Jun.* Ad sacram synaxim et cœnam Christi Domini hodie profecti cum universa familia propemodum Christi corporis participes sumus facti beneficio ipsius ἀφάτου ἀφάτῳ. Det Dominus Jesus mihi, uxori, et universæ domui sic frui hoc beneficio, ut operibus bonis Christianos nos probemus, et πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχάνῃ ipsi placere studeamus, et placeamus. Det etiam Deus pro sua bonitate εὐοδοῦν hanc domum: servet uxorem absentem, ac reducat, servet nos omnes in timore nominis sui ἔμπροσθεν αὐτοῦ περιπατοῦντας per Jesum Christum Dominum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

VII. *Kal. Jun.* Nihil jam per aliquot dies ab

uxore literarum accepi. Doleo, et sollicitus sum: sed essem multo magis, nisi in te, O Deus, spes omnes meas locatas haberem cum de cætera vita universa, tum de chari illius capitis conservatione. O illam mihi, me illi serva, et nostros omnes nobis per Jesum Christum Filium tuum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, gloria et honos *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

VI. *Kal. Jun.* Ne nunc quidem ab uxore quicquam. Itaque uror curis et anxietate. Sed tu aderis, O Deus. Amen.

V. *Kal. Jun.* Ecce novam sollicitudinem: nam enecat me silentium uxoris ex quo Lugdunum venit. O medere meis curis, Deus Opt. Max. Amen.

IV. *Kal. Jun.* Dominus Deus sollicitudine hac et tanta molestia liberet, servata ac mox, si placet, reddita uxore, cujus de statu adeo nunc torqueor. Ille mihi, illi, et omnibus meis adsit per Jesum Christum Filium suum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

III. *Kal. Jun.* Certe respexisti me, Deus immortalis, et vitam mihi reddidisti, quam silentium uxoris, uti videbatur, pene jam eripuerat. Illa vero scripserat, et de beneficio a te accepto me fecerat certiorem: hodie illas accepi literas: quo nomine tibi, Deus æterne, gratias supplex ago, teque veneror, ut, quam hactenus duxisti, porro pergas ducere, ac reducas. Exaudi vota mea per

Jesum Christum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et honos. Amen.

*Prid. Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια· Deus servet uxorem et totam domum. Amen.

*Kal. Jun.* Te veneror supplex, Deus æterne, qui dedisti mensem inchoare, des absolvere feliciter, et in tui nominis φόβῳ καὶ τρόμῳ. Redde mihi τὴν τριπόθητον conjugem: serva ἀπήμαντον hanc domum, et benedic liberis, sorori, omnibus per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto ante secula in secula seculorum vivit, regnat et triumphat. Amen.

IV. *Non. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια. Τῷ Θεῷ χάρις, qui uxorem et nos servet. Amen.

III. *Non. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια. Incipit recrudescens sollicitudo de uxore, quam, O Deus, redde nobis. Amen.

*Prid. Non. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, qui charissimam mihi servet uxorem et totam domum. Amen.

*Non. Jun.* Quam longum nobis tempus esse incipit, cum cessant nuntii de uxore? Et tamen ne exspecto quidem, nisi postquam Lugdunum redierit. Satis bene mecum agetur, si tu illam mihi serves, O Deus, quod ego te suppliciter oro. Amen.

VIII. *Eid. Jun.* Accepi hodie ab uxore binas literas cætera lætissimas Dei beneficio, sed eo tristes, quod vexationem illius narrant ex equitatione.

Itaque sum vehementer sollicitus. Sed, O Deus æterne, in te spem pono et fiduciam meam. Te oro supplex, illi ades et nobis. Amen.

VII. *Eid. Jun.* Etiam hodie ab uxore literas accepi, ut non possim ego de ejus valetudine magis esse sollicitus quam ipsa est de mea. Deum immortalem supplex veneror, servet illam, servet me et nostros omnes ad gloriam suam: eumque in finem brevi illam mihi reddat. Amen.

VI. *Eid. Jun.* Ego, soror, filius, item Isaacus cum parte familiæ ad sacram concionem sumus profecti, et utramque audivimus Charantone, pars altera familiæ in Urbe apud Legatum Anglicum. Gratias igitur tibi, O Deus, qui et hæc χαρίσματα πνευματικὰ sæpe largiri mihi meisque dignare, et uxorem ἀπήμαντον reddere mihi per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

V. *Eid. Jun.* Quam languerem, quod cessent literæ ab uxore, nisi in tua, O Deus, bonitate et misericordia spem meam omnem repositam haberem. Te, Deus æterne, oro, adsis mihi, meisque, et illi nominatim sis propitius. Amen.

IV. *Eid. Jun.* Etiamne hodie turbellas? Sane: eo nempe nomine, quod de rebus sororis Genevensibus quædam didici hodie, quæ mea multum interesset aliter esse gesta. Sed hæc Deus viderit. Te, Domine, oro, obtestor, ut benedicas huic domui, et uxorem ut mihi reddas. Amen.

III. *Eid. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed, O Deus immortalis, sollicitudine hac de uxore me libera, eamque mihi restitue, et me meosque omnes serva. Amen.

*Prid. Eid. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια, et studiis quidem non pessime fortasse consultum: sed crescit anxietas de uxore, quam, O Domine, nobis restitue ἀπήμαντον. Γένοιτο, γένοιτο.

*Eid. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια, καὶ πολλή σοι, ὦ Θεὸς, ἡ χάρις, ἀλλ' ἐλέαιρε, ὦναξ, καὶ τὴν φιλτάτην γυναῖκα φύλαττε ἀπήμαντον, καὶ αὐτὴν εὐόδωσον. Ναὶ, ὁ Θεὸς, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ ἅμα τῷ Πατρὶ Θεῷ καὶ Ἁγίῳ Πνεύματι τῶν ὅλων κρατοῦντος. Ἀμήν.

XVIII. *Kal. Jul.* Læter an doleam incertus sum. Literas hodie ab uxore summæ pietatis et affectus in me maritalis accepi, quo nomine quantas tibi, O Deus, et agam et habeam gratias non invenio. Sed angor et crucior animi, cum de reditu τῆς φιλτάτης cogito. Adeo me tot difficultates terrent, et sollicitum habent. Confugio igitur ad te, O Deus, et opem te peto. O ades, et illi sis propitius mihique ac meis per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Ad sollicitudinem de uxore ingentem et pene ἄτλητον καὶ ἀνυπόστατον accedit cura de filiola Anna quæ febri gravissima heri correpta nunc quoque πυρέττει. Te veneror, omnipotens Deus, serves et matrem et filiam et domum universam per Dominum Jesum, cui una

cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, gloria, et honos. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Gratias tibi, Domine, quod sollicitudine de filiola me liberasti, sed uxoris caussa angor et crucior animi supra modum. O ades, æterne Deus, et illam nobis redde salvam salvis, per Jesum Christum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et gloria. Amen.

XV. *Kal. Jul.* Adhuc suspensi et animi dubii hæremus. Nihil enim de uxore intelligimus, quam, O Deus, serva, et reduc ad nos. Amen.

XIV. *Kal. Jul.* O duram conditionem exspectantium! Ego qui de uxore nuntios aut literas expecto, non vivo, sed vitam traho: non quia diffidam, Deus Opt. Max., tuæ benignitati et clementiæ, sed quia longa tua erga nos patientia incipit jam mihi suspecta esse. Quid enim miseri facimus, nisi te provocare et lacessere? O benigne Deus, fac nos alios, et finge nos tibi gratos. Cor, inquam, mihi, uxori et nostris da novum, tibi penitus deditum. Da etiam hoc et mihi et uxori, ut brevi hac molestia liberemur, et, ea reversa, feliciter gratias tibi immortales atque gratissimas agamus, per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus, et gloria. Amen.

XIII. *Kal. Jul.* Domine Deus, quo me vertam, nescio: ita curis conficior propter uxorem, quam, O Deus, serva, et mihi restitue. Amen.

XII. *Kal. Jul.* Et hunc quoque diem frustra

expectando consumsimus. Nam de uxore nihil, ne nunc quidem. Te, Deus æterne, supplex veneror, serves illam, reducas illam, et nos omnes valentes præstes per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et gloria. Amen.

Fouberto cuidam Divionensi libellum qui epistolam Nysseni Gregorii continet hodie dedi utendum ἀναιδῶς rogatus.

XI. *Kal. Jul.* Deum immortalem! quanta cum ærumna literas ab uxore charissima expecto! Sed venient, spero, et mox ipsa feliciter. Ita velis, Deus æterne, qui solus potes, nostram imprudentiam vertere in occasionem glorificandi tui nominis, quod ut facias, supplex tuum, Deus Opt. Max., Numen veneror per Dominum Jesum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos et laus εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

X. *Kal. Jul.* Me quidem languor hic et inexplicabilis de uxore sollicitudo conficit: γενηθήτω δὲ τὸ θέλημά σου, ὦ Κύριε. Ego vero scio dignum me quem tua justitia absumat, potius quam ut tua clementia me sublevet. Sed sperabo tamen, O Deus, in bonitate tua. O ades igitur, Pater ἐπουράνιε, et me doce vias tuas, me ac meos firma in veritatis professione. Redde etiam uxorem, et e longo itinere salvam præsta, ac brevi reducem, per Jesum Christum Dominum nostrum τὸν μονογενῆ Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

IX. *Kal. Jul.* Næ vita hæc mihi certe ærumnarum plena est et molestissimarum molestiarum. Ad languorem illum quem affert uxoris absentia, et de ejus statu sollicitudo, cui vix jam par sum, accedit molestia liticulæ ab impudentissima muliercula mihi concitatæ. Quando maxime sæviebat hiems, impetravit ab uxoris pietate et facilitate nequam mulier, ut quoniam locatitia domo exeundum erat, nec quo se verteret sciebat, partem domus nostræ illi concederemus ad mensem, quod etsi gravatim uxor faciebat, pietatis tamen caussa lubenter assensum dedit. Mensem excepit alter mensis. Et ecce mensem jam fere septimum, ex quo impudentissima mulierum nos ducit. Ad extremum cum urgeretur, frontem perfricuit et negavit facturam. Quid improbius? Quid impudentius? Quid audacius? Hi sunt fructus pietatis fictæ. Igitur ut ad sanam mentem illam redigeremus publica auctoritate agendum fuit nobis; atque id negotium hodie inchoatum est magno sane cum dolore meo, qui toties cogor de injuriis eorum conqueri, qui se inter reformatos familiam ducere volunt videri. Tu nostri miserere, Deus, et mentem serva rectam inter tot πειρασμούς. Etiam illud te oro supplex, ut uxorem salvam atque incolumem ad salvos reducas, et etiam in eo tui laudandi materiam nobis duis. Amen. Hæc scripseram, cum allatæ sunt Geneva literæ variis de caussis molestæ. Nam et veterum malorum τὸ εὖδον δάκρυον ἐγείρουσιν, et nescio

cujus morbi uxoris fit mentio, quod ne sirit Deus Opt. Max. Et sane deprehendi eum nuntium habita ratione temporis esse vanum. Itaque repente perculsus, mox sum recreatus. Atque utinam, O Domine, brevi hac anxietate liberatum tu me velis. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Nos quidem hodie literas vidimus in quibus valere uxor dicitur: sed neque illæ satis certæ, neque hoc nobis satisfacit, qui ab ea literas expectamus. O da illas nobis, aut ipsam potius, O Deus æterne. Hodie rescivi de Foberto advocato Divionensi, fele libraria, trium literarum homine, qui nuper librum a me mutuatus manu mea multum adnotatum, turpiter abiit non reddito libro, ὁ ἀλιτήριος. Hæc hominum fides. Iterum te veneror, O Deus, adsis uxori redeunti. Amen.

VII. *Kal. Jul.* Angor et vehementer quidem: necdum enim de uxore quicquam intelligo. Sed quia ita tu vis, Domine, ego quoque volo. Tu modo illam serva, et valentem valentibus redde. Ita velis, Domine Jesu. Amen. Te quoque oro, labantem rem familiarem sustineas, qui solus potes. Γένοιτο, γένοιτο.

VI. *Kal. Jul.* Etiamne tu siles adhuc, ὦ φιλτάτη? Certe hic tuus mos non fuit. Itaque crucior animi, dum caussas hujus silentii exputo, et apud me quæro. Tu, Domine, serva illam, serva me et meos. Amen. Illud certe hodie jucundum fuit quod Josias Mercerus in hasce ædes immigravit.

Opto bene illi, bene mihi, quod et spero ἐν τῷ Κυρίῳ. Amen.

v. *Kal. Jul.* Deum immortalem! quantus hic et quam longus cruciatus, quem tua caussa experior, ὦ φιλτάτη! Mensis est, cum ignoro tuum statum ex tuis literis. O libera me hac ærumna, Deus æterne, et nostra peccata tege, ac domo huic benedice. Amen.

IV. *Kal. Jul.* O duram et miseram conditionem meam, qui longum adeo tempus de tuo statu, meum cor, incertus manere cogor! Et faciet quidem, spero, Deus Opt. Max., ut mei omnes vani sint metus. Cæterum ego, dum quod res est ignoro, dies, noctes, varia fingo, quæ possunt accidisse, cur nihil de te, mea dilectissima, intelligam. Itaque vitam prorsus vivo non vitalem, plane non vitalem, nisi Deus pro sua infinita benignitate utriusque nostrum misertus aut nos iterum conjunxerit, aut utrumque de statu utriusque fecerit esse certiorem. O vota nostra exaudi, Deus æterne, per Jesum Christum Dominum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et gloria. Amen.

III. *Kal. Jul.* Concioni eruditissimi viri Molinæi magna cum voluptate animi hodie interfui: eoque nomine ago tibi, O Deus, gratias immortales. Sed, O benignissime Pater, quamdiu in hac sollicitudine ac squallore isto me relinques? Nam vita mihi semper acerba erit, donec de charissima et fidelissima uxore aliquid intellexero. Te

supplex veneror, Deus æterne, præsta illam valentem, da facultatem redeundi, duc, et perduc ad nos redeuntem, ut ea reversa, ego atque illa, et domus tota tibi gratias agamus, tuum nomen laudemus, et omnibus modis tibi φέρειν ἐπίηρα conemur in dies magis magisque. Ita velis, O Deus, per Jesum Christum, Dominum Jesum, τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου; cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus, et gloria. Amen.

*Prid. Kal. Jul.* Etiamne mensis ὅλος καὶ πᾶς est elapsus, priusquam scire potuerim quis tuus, ὦ φιλτάτη, toto hoc mense fuerit status? Est sane: neque ego, quid dicam, quid suspicer, quid sperem, scio. Hoc unum scio, æquum justumque esse, ut omnia velim, quæ tu, O Deus immortalis, me volueris velle. Te supplex veneror, serves illam mihi et liberis nostris, et nos cum illis. Amen.

*Kal. Jul.* Principio mensis hujus veneror supplex Deum omnipotentem, ut det mihi, det meæ, det meis hunc exigere ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ τοῦ Κυρίου· det omnem deinceps vitam sic instituere ut pios decet; det denique mihi, uxorique et liberis nostris exitum videre hujus molestissimæ molestiæ. Languemus enim hic omnes, ego maxime propter diuturnam absentiam uxoris charissimæ et longum hoc illius silentium. Illa sine dubio vel dolore meo dolet, etiam si nihil esset aliud, quod male ipsam haberet. Domine Deus, serva illam nobis et nos illi: me illamque, O σῶτερ,

respice propitius, et hoc ingenti cruciatu me illamque leva per Dominum Jesum Christum Filium tuum unicum τὸν τοῦ κόσμου σωτῆρα, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, decus et gloria εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen. Hæc scripseram, cum illa tamdiu expectata uxor rediit salva atque incolumis, quæ etsi parum ex animi sententia sui meique res confecit, eo tamen ipso quod salva rediit ingentem tibi, O Deus, gratias agendi occasionem mihi attulit. Tibi igitur, sancte Deus, Pater clementissime, gratias gratissimas. Tu illius meaque vota exaudisti. Tu pro tua benignitate da nunc ita vitam instituere, ut dicta factaque nostra ad tui nominis gloriam semper referantur per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

VI. *Non. Jul.* Horrenda rei familiaris damna hodie cognoscebam, et vel eo monebar, ut magis magisque in dies tibi, O Deus, confiderem, quod, O Soter, da mihi, meæ ac meis. Amen.

V. *Non. Jul.* Quam vereor ne ἐκ κυμάτων κύματα me excipiant. Sed nihil eveniet, nisi quod Deus voluerit, cui honos et gloria. Amen.

IV. *Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια per varias occupationes. Τῷ Θεῷ χάρις.

III. *Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi, O Deus, quantis cum molestiis? Sed dabit, spero, Deus tot molestiarum exitum. Amen.

*Prid. Non. Jul.* Diem sacrum Deo, hei mihi,

non, ut optabam, transegi, sed per varias *βιωτικὰς* curas et necessarias. Deus, ignosce, et da meliora. Amen.

*Non. Jul.*, VIII. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Itaque, O Deus æterne, quas ego miser tibi gratias agam? Nam post tot animi cruciatus et vivimus, et valente uxore liberisque maximas cur tibi gratias agam, caussas habeo. Tibi, Deus æterne, honos, laus et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen.

VI. *Eid. Jul.* Infelicem vitam! Mecum est illa, quam tantopere amo, quam tantopere optavi. Et alia tamen me cruciant, quæ tu nosti, O Domine, qui medere malis hujus domus, supplex te adoro. Amen.

IV. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, et molestissimus quidem labor in colligendis fragmentis Polybianis. Τῷ Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Jul.* Pars familiæ ad sacram synaxim profecta. Ego cum uxore et liberis remansi necessario. Utinam esset major facultas fruendi cibo illo divino, auditione concionum; sed vitam vivimus in multis parum ex voto. Deus nostri misereatur. Amen.

*Prid. Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

*Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, Dei æterni gratia atque beneficio. Illi honos et gloria. Amen.

XVII. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια. Et hodie intermissum pensum Polybianum absoluta editione textus

cum versione et fragmentis, quo nomine τῇ παναγίᾳ Τριάδι grates ago gratissimas. Det Dominus Jesus absolvere quod superest. Amen.

XV. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, et quidem cum summa voluptate et domo benedictione Domini florente, quæ sit utinam perennis. Amen.

XIV. *Kal. Aug.* Adhuc τὰ ἐγκύκλια quantum per valetudinem non optimam licebat et curas varias. Τῷ Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Aug.* Deum immortalem, ὑπεράρρητον, ὑπεράγαθον! Quo ego ore tuam hodiernam benignitatem prædicabo? Optarem quidem hoc saltem modo grati animi testimonium aliquod posse tuæ Majestati, O Deus sancte, exhibere. Sed obruit me multitudo pariter et magnitudo tuorum in me beneficiorum. Hic dies vel unicus mihi meisque luculentum tuæ bonitatis est argumentum. Hodie mane sic domo sumus profecti, ego, uxor, filius natu maximus Johannes, et ille ætate proximus Mericus, cum sorore, quasi audituri utramque concionem Charantone, ac mox iterum navi redituri. Nam et eundo adverso flumine deferri consilium fuerat. In portum ut ventum, etsi necdum septima erat audita, nullam navim invenimus præter monocroton unum male instructum, ac ne linteamine quidem tectum, uti est moris. Dubitavimus quid facto esset opus. Sed mox vicit omnes difficultates cupiditas officio pio fungendi. Ingressi igitur sumus, quod supererat, monocroton, vel potius lintrem. Navicu-

larius, qui lintrem regebat, ut de ripa naviculam et nos in ea traheret, mox est egressus, et helcio arrepto facere quod instituerat cepit. Jam pars major itineris erat confecta, cum navigium majus, quod pariter equi duo validi helciariis trahebant, lintrem nostrum consequitur temere fluitantem et huc illuc volitantem. Hic enimvero Dei immortalis auxilio præsenti opus habuimus, et Numen illius præsens sumus experti. Nam prora a tergo instantis navigii lintrem nostrum obruit, atque ita statim demersit, ut aqua oppleretur ac sidere inciperet. Actum erat de vita omnium, qui in lintre eramus, nisi auxilio atque ope divina essemus servati. Et soror quidem ac filii non difficulter in navigium illud majus se receperunt, adjuti ab iis, qui nostri periculi spectatores erant. Ego et uxor simul sedebamus, et simul a periculo sumus deprehensi. Illam ego repente animadverti inter illum strepitum supinam sic jacentem, ut pars corporis in lintre esset aqua referto, pars in Sequana flumine. Fateor tam chari capitis periculo gravius commotum me, ita tamen ut mens mihi constaret. Itaque manu illi porrecta et totis animi corporisque viribus connisus ad eam sublevandam, effeci, Deo volente et juvante, ut qui erant in majore navigio prehendere illam possent, et prehensam attrahere. Atque ita factum est, ut hoc pacto uxor charissima periculo huic quidem sit erepta. Infanti quem utero gestat ego atque illa male

metuimus. Nam ut mater servaretur et dum in majorem navem sustollitur, necessario in ventrem fuit illi incumbendum. Sed heic quoque, spero, propitium Deum Opt. Max. experiemur. Enimvero dum saluti uxoris consulitur, ego qui jam salutarem navem utraque manu prehenderam, aversus ad curam uxoris meam salutem negligo. Itaque post illam salvam ego summum adeo periculum. Nihil propius factum, quam ut eo casu interirem. Sed me quoque idem Deus respexit, et clamoribus uxoris excitati, omnes qui aderant (et ipsi sane sponte curantes) non ante quieverunt quam ego quoque in tutum sum receptus. Ita ego, uxor, filius Johannes, itemque alter filius Mericus, cum sorore pene jam absorpti, e faucibus Orci sumus erepti; neque præter alicujus pecuniæ impensam ullum aliud fecimus damnum, nisi quod librum Psalmorum amisi, mihi unice charum vel eo nomine, quia illum ipsum librum pro munere sponsalitio uxori dilectissimæ olim dederam; et postea eo semper eram usus annos prope jam duos et viginti. Erat ille liber in manibus cum periculum adiimus. Nam quod meminisse juvat, more sibi familiari uxor canendi unum alterumque psalmum ἐνδόσιμον dederat mox ut navim fuit ingressa: et nonagesimum primum jam absolveramus, atque in nonagesimi secundi versu septimo cum maxime eramus quando linter concussus est noster. Ita liber τιμαλφέστατος de manibus mihi excidit cum Novo Testamento

Græco, quem librum paullo post bene madidum recepi. Possum ἐν Κυρίῳ καυχᾶσθαι et illud poetæ usurpare, Deus me tuetur: O utinam vere illud quoque possim addere, Deo pietas mea cordi est. Hoc tu præsta, Deus æterne, et veram pietatem me atque meos doce: fac te in dies melius ac propius noscamus, te vereamur unum, tibi serviamus, et servire gaudeamus, freti καὶ μετὰ πληροφορίας πεποιθότες neque mihi, neque uxori, neque meis tempore necessario defuturum tuum auxilium. Da hoc serio credere, Deus sancte, per Jesum Christum filium tuum unicum τὸν τοῦ κόσμου σωτῆρα, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen. Juvat κατὰ λεπτὸν tanti casus meminisse. Multa enim occurrunt singularis Dei προνοίας καὶ πρὸς ἡμᾶς εὐνοίας certa documenta. Jam primum illud non leve, quod, quum ego atque uxor constanter decrevissemus liberos omnes nostros simul ad sacram σύναξιν adducere, contra voluntatem nostram, sed, ut interpretamur, οὐκ ἀθεεὶ, evenit, ut minimus natu filius et tres filiæ, vestibus nondum confectis quas erant sumpturi novas, remanerent. Doluit nobis cum proficiscebamur, quod non poteramus voti alioquin pii fieri compotes. Postea cum pene subversus est noster linter, et nos ægre servati, gratias Deo egimus ego atque uxor, quod non omnes reperti essent nobiscum liberi nostri. Nam si universi adfuissent, fieri omnino aliter non potuit (quantum humanis rationibus provideri

potest) quin aut pars liberorum periret, aut parentum alter vel fortasse ambo. Etiam illud salutare nobis fuit, et ut certo credimus *ὑπὸ τοῦ Θεοῦ οἰκονομηθὲν*, quod ille, qui equos regebat majorem illam navim remulco trahentes, non virili sed muliebri more alteri equorum insidens, mature periculo nostræ naviculæ animadverso, repente consistere equos fecit: qui si trahere navim perrexissent, demersa penitus et subversa nostra navicula (*κατ᾽ ἄνθρωπον λέγω*) fuisset. Postremo suavissimam *συγκυρίαν* non possum prætermittere. Quum priori concioni non potuissem interesse in curanda uxore occupatus, ad posteriorem saltem accessi. Ibi de more cantatus est psalmus ante concionem. Non soleo canentibus aliis in Ecclesia silere, et præterea fortuna hujusce diei me invitabat, ut omnibus modis Dei nomen magnificarem. Dum volo me accingere ad canendum, manu in peram injecta, ut psalmorum codicem educerem, sensi tum primum jacturam, cujus ante mihi ne venerat quidem in mentem. Ita factum, ut canerentur in Ecclesia aliquot versiculi, priusquam ipse accinerem. Circumspicio quis proximus adsideret mihi in cujus librum possem *εἰσκύπτειν*. Erat juvenis ante me sedens, in cujus librum oculos conjicio, ut psallentibus me adjungam. Forte canebatur pars posterior psalmi octogesimi sexti, versus autem in quem primo incidi fuit hic וְהִצַּלְתָּ נַפְשִׁי מִשְּׁאוֹל תַּחְתִּיָּה *καὶ ἐρρύσω τὴν ψυχήν μου ἐξ ᾅδου κατωτάτου*, ut est

in LXX., quod metrica versio ita expressit

Tirant ma vie du bord
Du bas tombeau de la mort.

Ne dici quidem poterat, quam grata mihi et quam suavis hæc fuerit *συγκυρία*. Nam quid poterat aptius aut congruentius usuvenire? Tum igitur mihi statim venit in mentem ejus quod dicit Pater Ambrosius, proprium hoc esse libro Psalmorum quod *ὁ ἀκούων ὡς αὐτὸς λέγων κατανύττεται, καὶ συνδιατίθεται τοῖς τῶν ᾠδῶν ῥήμασιν ὡς ἰδίων αὐτοῦ ὄντων*. Vide quæ ibidem sequuntur. [p. 743.]

XII. *Kal. Aug.* Τὰ *ἐγκύκλια· τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις*. Amen.

XI. *Kal. Aug.* Τὰ *ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις*. Amen.

X. *Kal. Aug.* Τὰ *ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις*.

IX. *Kal. Aug.* Τὰ *ἐγκύκλια·* Dei Opt. Max. beneficio. Amen.

Τακτικὰ Lat. dedi utenda Polo.

VIII. *Kal. Aug.* Τὰ *ἐγκύκλια·* Dei Opt. Max. beneficio. Amen.

VII. *Kal. Aug.* Quod Deus faustum esse jubeat, hodie uxor charissima rus est profecta. Illam, O Deus, serva, et nos cum illa.

VI. *Kal. Aug.* Hic est octavus dies *ἀπὸ τῆς ἡμετέρας παλιγγενεσίας*, atque utinam et isto die, qui Domino sacer, et omnibus *κυριακαῖς*, imo omnibus diebus, gratias tibi, O Deus, in ecclesia tanti beneficii [dignas] possem [agere]. Sed nos eo bono alioquin optatissimo alia atque alia subinde privant. Nunc quidem rusticatum profecto uxorem sequi-

mur, unum ad summum diem ibi futuri. Deus nobis det ita frui hoc otio, ut de æterno semper cogitemus, et ad illud nos paremus; per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Patre sit gloria, laus, et honos una cum Spiritu Sancto εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

v. iv. *Kal. Aug.* E rusticatione hodie sum reversus, et tum salvam ac valentem uxorem rure reliqui, tum hic omnes valentes beneficio, O Deus, tuo inveni. De valetudine Annæ filiolæ nonnihil sum sollicitus, et de studiis Johannis. Sed Dei bonitas omnia regat, dirigatque ad sui nominis gloriam et nostram salutem. Amen.

iii. *Kal. Aug.* Negotia et studia pene ex æquo hodie curata. Τῷ Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια. Laus Deo Opt. Max. cui sit honos, et gratiarum actio εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

*Kal. Aug.* Hodie filius rediit e rusticatione, et literas a matre attulit. Omnes præter filiolam valent. Te oro, Deus æterne, serves uxorem et liberos omnes nostros, et me cum illis atque universam domum. Amen.

iv. *Non. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια ut poteramus per hos prope inauditos æstus. Deinde et ad uxorem scripsi quam, O Deus, una cum universa domo serva. Amen.

iii. *Non. Aug.* Hodie invitatus ad prandium ab illustrissimo Principe fratre serenissimi Ducis Virtembergii ea audivi a nobilissimo Buwincau-

sen, quæ si Deus volet habere exitum, fortasse non plane vixerimus inutiles. Cæterum ejusmodi consiliorum eventus in tua, O Deus, sunt manu. Tu omnia dirige ad tui nominis gloriam, Ecclesiæ ædificationem et meam ac meorum salutem. Amen.

Arabicum Lexicon meum presté a Monsr. Martin beaufrere de M. Pietre.

*Prid. Non. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια per summum otium, nisi quod sollicitus jam esse incipio de uxore charissima, et hæc frequens absentia parum mihi cordi. Veruntamen habemus caussas cur illa rure, ego hic sim, etsi est utrique hoc molestissimum. O serva illam, Deus Opt. Max., et me ac meos cum illa, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos et gloria. Amen.

*Non. Aug.* Per summos et intolerabiles æstus non parum promovissem, si per amicos licuisset. Deo laus, et quod aliquid promovi, et quod de uxore læta omnia accepi. Amen.

VIII. *Eid. Aug.* En vim amoris in uxorem! Nam vel invitus rapior iterum ad illam. Itaque te supplex, O Deus, oro, serves illam, me et nostros omnes per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et honos. Amen.

VII. VI. V. IV. III. *Prid. Eid. Aug.* Laus Deo Opt. Max. quod e rusticatione nuper suscepta hodie ἀπήμαντος sum reversus cum uxore et parte familiæ. Deum supplex veneror, ut porro etiam nos

servet omnes ad nominis sui gloriam per Dominum Jesum Filium suum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria in æternum. Amen.

*Eid. Aug.* In molestissimam περιπέτειαν ego et charissima uxor incidimus, amissis, dum absumus, novem aureis. Neque nos adeo male habet summa, ut persona quam suspicamur rem abstulisse. Tu, Domine, da verum invenire, et te laudare. Amen.

XIX. *Kal. Sept.* O Domine, quod monstri domi latens invenimus? Te supplex oramus ego atque uxor ut mentem τοῦ διεφθαρμένου sanes, et nobis gaudium pium ex illius emendatione præbeas, per Dominum Jesum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et gloria. Amen.

Presté a M. Herauld. S. Basile.

XVIII. *Kal. Sept.* Da mihi et uxori lætiora de domesticis, imo de liberis. Hoc te, Domine, supplices oramus. Amen.

XVII. *Kal. Sept.* En medere, O Deus, nostris malis, nam graviter angimur hac filii offensa, cujus malis fac tu, Domine, medicinam. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Ad sacram synaxim pars familiæ est profecta. Uxor melius, quam heri, valuit. Tibi, O Deus, honos et gloria. Amen.

XV. XIV. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια Dei benignitate. Sed urit me cura de sorore, quid illa faciam, aut quomodo erga illam me geram adeo indignam cui

bene fiat. Deum supplex veneror det nobis omnibus rectam mentem et εἰρηνοποιὸν, quod quum enixe optemus per stultitiam vel potius muliebrem diversitatem non assequimur. Sed assequemur τοῦ Θεοῦ διδόντος. Amen.

XII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια per aliquot horas. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

X. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi valde impeditus. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Sept.* Casu et præter voluntatem a sacra synaxi hodie abfui. Domine, respice hanc domum multis modis tuæ opis egentem. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια ut poteramus inter tot impedimenta. Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Sept.* Nihil fere hodie promovi: adeo male mecum agitur. Deus mei et meorum misereatur. Illi honos et gloria. Amen.

VI. *Kal. Sept.* Venena multa hodie observamus nostris studiis oblata. Deus nostri misereatur, et nos cum omnibus nostris σωτήριος servet. Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια non sine obstaculis. Da, Domine, per has difficultates ope tua perficere quod instituimus, ac nos nostrosque liberos atque universam domum serva. Amen.

IV. *Kal. Sept.* Amici, literæ: præterea nihil. Θεῷ χάρις quod vivimus saltem ego et mei. Amen.

III. *Kal. Sept.* Literas hodie ad amicos Germanos scripsi. Amicis ad tempora vitæ meæ misere

perdenda patui: optimum virum D. Montignium graviter ægrotantem visi: hæc sola opera bene posita. Tu, Deus æterne, vere σῶτερ, illi bonam valetudinem redde, mihi uxori et meis serva. Amen.

Auctor de Helvetia preste a M. Diodati.

*Prid. Kal. Sept.* Ad sacram σύναξιν hodie, te faciente, O Domine, iturus, te supplex veneror ut et euntes et manentes protegas ac serves ἀπημάντους. Amen. Ita mensis absolutus τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι, cui honos et gloria. Amen.

*Kal. Sept.* Deum veneror det mihi, det meæ, det meis hunc mensem et quod superest vitæ feliciter exigere: servet etiam publicum statum et τοὺς ἁπανταχοῦ ἀγαθοὺς ἄνδρας et ægrotantes amicissimos viros sanet. Nos quotidie vanitatem rerum humanarum edocemur, etiam, ni fallor, in iis experturi id ipsum qui temporis tantum mihi surripuerunt. Quicquid erit, Θεῷ χάρις. Amen.

IV. *Non. Sept.* Librum hodie vix vidi, neque egi quicquam. Deus ceptis adsit. Amen.

III. *Non. Sept.* Neque nihil, neque multum. Θεῷ χάρις.

Ortelius presté a M. Carolus Paulus.

*Prid. Non. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

Hodie commodavi D. Sanclario Prof. Mathematico Euclidem Græcum cum Proclo. etc.

*Non. Sept.* Literæ hodie scriptæ, prætereaque nihil, plane nihil. Deus laudetur εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια beneficio Dei; sed quanto cum dolore animi quod ea studia non tractavi, quæ ad salutem animæ pertinent. Monebat me diei crastinæ consideratio, qua, faciente Numine, sacræ cœnæ sumus communicaturi. Cum me respicio, cum meos, et oculos sursum tollo, terret me hæc longa Dei patientia. Quid enim sumus, præter σωρηδὸν congesta peccata? O tege illa, Deus æterne, et nos omnes rege, per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum Unigenitum, cui cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus et gloria εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

VII. *Eid. Sept.* Ad sacram synaxim et sacrosanctæ Eucharistiæ participationem proficiscimur. Tu, Deus æterne, ad tantum nos para mysterium, et serva euntes ac redeuntes. Ivi igitur cum parte familiæ, et pedibus iter confeci, non sine magna defatigatione, sed admodum alacris. Deo sit laus et gloria sine fine. Amen.

VI. V. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια· et a Scaligero atque Heinsio munusculum novi libelli ab ipsis elaborati in honorem Julii Cæsaris Scaligeri. Etiam a sorore, quæ ruri est aliquid: quam, O Deus, da vivere cum uxore, et uxori charissimæ vivere cum illa ex præscripto verbi tui. Montignii Pastoris Ecclesiæ hujus fidelissimi valetudine vehementer afficior. Tu illum, O Deus, ὦ σῶτερ, sana et serva. Amen.

III. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Amen.

*Prid. Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

*Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια hodie intermissa, dum literas ad Josephum Scaligerum et alios amicos scribo. Deus nostri misereatur. Amen.

XVIII. *Kal. Oct.* Pars familiæ ad sacram synaxim est profecta. Nos hic variis de caussis remansimus, et ut amico paululum ægrotanti Josiæ Mercero viro præstantissimo adessemus. Tu, Deus, et illum et nos serva, ac nominatim uxorem, liberos et universam domum. Amen.

XVII. *Kal. Oct.* O ærumnas! O dolores! Quorum caussam tu scis, O Deus, qui me, meam et meos serva.

XVI. XV. XIV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi varie impeditus. Τῷ Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Oct.* Deum immortalem, quam gravia sunt peccata mea et meorum? Nam tuam iram, O bone Deus, attraximus, neque cessamus ἡμετέραις ἀτασθαλίαις ire nos perditum. Soror porro pars horum malorum magna, quæ imprudentia sua et aliena perversitate fortunis suis eversa cum ad nos se contulit nube tristissima hanc domum obfuscavit. Scis tu, Deus æterne, quam dura mea sit conditio quam variis de caussis. Quicquid sit, quicquid erit, in te sperabo tamen, et a te levamentum harum tot ærumnarum exspectabo. O ades, ὦ σῶτερ, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, cui una cum Deo

Patre et Spiritu Sancto sit laus, gloria et honos εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

XI. *Kal. Oct.* Pars familiæ ad sacram synaxim, me ob uxorem hic remanente, est profecta. Te, Deus æterne, supplex veneror, me respicias et meos. Amen.

X. *Kal. Oct.* Quod sit felix et faustum, ad scribendas Animadversiones in Polybium nostras hinc nos accinximus, etsi non fere quicquam promovimus. Sed promovebimus, spero. Idque ut ita sit, te supplex veneror, Deus æterne, per Jesum Christum Dominum nostrum τὸν μονογενῆ Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos et laus εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

IX. *Kal. Oct.* Quæ heri scripseramus hodie rescripsimus, vel potius in alium locum rejecimus. Hodie igitur primum jacta sunt prima fundamenta nostrarum in Polybium observationum. Longum opus et cujus magnitudo me terret. Perficiam illud annon, in tua, Deus æterne, positum potestate. Te supplex veneror, des otium et tranquillitatem animi ad opus exigendum. Tranquilla, O Domine, res meas nunc cum maxime turbidas. Serva uxorem, liberos, sororem et quicquid ad me pertinet per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VIII. *Kal. Oct.* Deo Opt. Max. laus, quod in

penso recens instituto non segniter hunc diem posuimus. Πάλιν αὖ καὶ πάλιν Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Amen.

VI. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Atque hodie literas accepi de liberis τοῦ μακαρίτου Calignonis. Deus ad suam gloriam omnia disponat. Amen.

IV. *Kal. Oct.* Diem Deo sacrum, non ut volui, sed ut potui, collocavi, parte familiæ officio pietatis defungente. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Atque ita mensem peregimus tua, O Deus, insigni bonitate et clementia. Tibi honos, laus et gloria. Amen.

*Kal. Oct.* Deus bene vertat. Inter amicos diei magnam partem egi, et filio horam dedi in Aphorismis Hippocratis legendis: atque utinam illius studiis benignitas adsit Numinis; adsit et matri et universæ domo. Amen.

VI. *Non. Oct.* Hodie τὰ ἐγκύκλια, quantum licuit, curavi; sed jam sollicitum me habet parturientis uxoris status. Tu, Deus æterne, illam respice, et me ac meos; et in liberatione illius da nobis tibi gratias agendi novum argumentum. Serva et Josephum Scaligerum de cujus valetudine tristia audiebam heri. Benedic et studiis meis ac meorum. Amen.

V. *Non. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια intermissa ob partum uxoris imminentem, quem, O Deus, fortuna. Amen.

Pensum Polybianum intermissum.

IV. *Non. Oct.* Eram de imminente uxoris partu sollicitus mirandum in modum; et memini sic hesterna die cubitum ivisse, ut qui fortasse non multas horas essem quieturus. Non falsus sum opinione. Nam post primam a media nocte uxor quæ admiranda patientia perdiu ὠδῖνας τοῦ τόκου dissimulare erat conata, et me et omnes excitavit opem poscens. Vix fuit facultas accersendæ obstetricis, cum ecce partus urgebat. Diu ego illi solus adfui cum honesta et pia muliere vidua Oberii, quæ, pariter mecum, metu paullatim exanimabatur ne forte inter nostras duorum manus uxor τὶ πάθοι. Exaudivit Dominus preces nostras, et tandem advenit obstetrix. Illa vero vix pedem in cubiculo posuerat, cum repente partus erupit. Ita nata est nobis filia, partus uxoris decimus septimus. Quod jam tanta facilitate et felicitate ἡ τριπόθητος sit liberata, tui unius hoc, Deus æterne, est muneris. Tu ancillam tuam benignus respexisti, et ad meas τοῦ οὐτιδανοῦ preces aures inclinasti. Tibi igitur, ὦ σῶτερ, gratias ago habeoque quantas possum maximas. Quod superest ego atque uxor supplices toto animo totoque pectore tuum, Deus sancte, Numen oramus, obtestamur, fortunes id quod est natum; des nobis parentibus in timore tui nominis et hanc filiolam et reliquos omnes liberos nostros educare, et veram illos pietatem docere, et quæ alia eorum variis ætatibus conveniunt. Exaudi, Deus Opt. Max., per Dominum

Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit honos, laus et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

III. *Non. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια ut poteramus, τῷ Θεῷ χάρις.

*Prid. Non. Oct.* Omissa τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις quod valet uxor. Amen.

*Non. Oct.* Et hoc die τὰ ἐγκύκλια magna ex parte omissa, dum uxori adsideo. Deus æterne, serva hanc domum. Amen.

VIII. *Eid. Oct.* Plane hodie egi nihil eorum quæ optavi. Ἐλέαιρε ὁ Θεός. Amen.

VII. *Eid. Oct.* Hoc demum die aqua καθαρτικῇ lota et in ecclesiam Dei est recepta nuper nata filia, et Maria est appellata. Deus Opt. Max., per Jesum Christum Filium suum, qui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, illi benignitatem suam dignetur impertiri et efficere ne vana sit hæc gratia sed vere salutis conciliatrix. Amen.

VI. *Eid. Oct.* Mane solum aliquid egimus: sed postea diem fere totum amisimus. Deus domui et ceptis nostris benedicat. Amen.

V. *Eid. Oct.* Hodie ad pensum Polybii serio rediimus: vel potius hodie primum illud serio inchoavimus. Det Dominus exitum videre, et me, meam ac meos fortunet. Amen.

IV. *Eid. Oct.* Propter obscœnam tempestatem nemo nostrum ad sacram σύναξιν est profectus. Deus ignoscat, et nos regat. Amen.

III. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed tu, Domine, ceptis benedice. Amen.

*Prid. Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια serio per Dei misericordiam, cui sit honos et gloria. Amen.

*Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια mane: inde amicorum ἐπισκέψεις. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

XVII. *Kal. Nov.* Nihil pene hodie ob varias caussas, et quidem lætas nonnullas. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

XVI. *Kal. Nov.* Hodie vix quicquam profeci: adeo sum ab amicis impeditus. Accedit indignatio ob sororis amentiam in me et furorem, quem, O Deus, compone. Amen.

Preste a Mr. Herauld Tertullian Pater.

XV. *Kal. Nov.* Me vero curæ et molestiæ conficiunt, cum cogito, quam inique mecum agatur. Sed tu, O Deus, justo dolori facies medicinam. Amen.

XIV. *Kal. Nov.* Domi variis molestissimisque curis detenti remansimus. Tu, Domine, miserare, et da meliora. Amen.

XIII. *Kal. Nov.* Ne librum quidem hodie aspexi: sed ad amicos literas scripsi, gravissimo interim dolore afflictatus propter tristissimum de valetudine Josephi Scaligeri nuntium. O Deus, sana illum, et serva orbi tantum doctrinæ lumen per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, gloria et honos. Amen.

XII. *Kal. Nov.* Hodie quod velit Deus felix esse et faustum, Mericum filium studiorum et pietatis

caussa Sedanum misi. Ceptis benedic, Domine, ut curriculo peracto tibi serviat, et nos parentes ea re lætemur. Serva etiam, Deus σῶτερ, Josephum Scaligerum gravi ex morbo decumbentem. Serva et hanc domum totam. Amen.

XI. *Kal. Nov.* Amici, non studia. O jacturam! Sed laudetur Deus. Amen.

X. *Kal. Nov.* Corporis valetudini hic dies est datus, et pharmaco. Deus benedicat. Amen.

IX. *Kal. Nov.* Φλεβοτομίᾳ hodie sumus curati: cui Deus benedicat, et Josephum Scaligerum servet, et cum eo nos omnes. Amen.

VIII. *Kal. Nov.* Et hic dies θεραπεύσει corporis est datus. Deus benedicat. Hodie vidi quæ Gretserus scripsit adversus meas Notas in Gregorii Nysseni epistolam. Demiror hominis furorem, sed me ille non movet. Unum dolet mihi, contumeliam tam acerbam fieri Josepho Scaligero ab homine scelestissimo. O Deus σῶτερ, da longiorem Scaligero vitam, si placet, et me rege tuo Spiritu. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Pars familiæ ad sacram σύναξιν profecta, ego varie occupatus diem egi. Deus benedic mihi et meis: ac Scaligerum serva. Amen.

VI. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, sed de Scaligero, patere, O Deus, ut precibus te sollicitem meis assidue. Illum, si placet, serva, et nos simul nostrosque. Amen.

V. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi de Scaligero valde

solliciti et de rebus meis sane arctis. Deus illum servet, et me, ac meam et meos. Amen.

IV. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, sed magna cum sollicitudine de Scaligero. Tu, Deus æterne, illum, me, uxorem et nostros omnes serva. Amen.

*Prid. Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, sed quantis cum molestiis? quanta cum sollicitudine de Scaligeri valetudine? quem, O Deus, serva, et nos nostrosque cum illo. Amen.

*Kal. Nov.* Literas hodie de filio, qui Sedani agit, accepi; et cur Deo gratias agam, caussas habeo. Sed, O Deum immortalem, quid erit tandem de Josepho Scaligero? Nam undique rumor confirmatur illum fato functum. Et spero quidem, opto certe, falsum esse rumorem. Me tamen hic ipse rumor plane conficit. O tristem mihi casum! mihi privatim tristem, literis publice funestum. Sed exspectabo, et Deum Opt. Max. assidue orabo ut aliter sit, et virum summum ut nobis diutius concedat, qui etiam afflictissimam hanc domum servet. Amen.

IV. *Non. Nov.* Bene positus dies. Hodie enim duabus sacris συνάξεσιν interfuimus duorum summorum virorum Ferrerii et Durandi, quorum facundia et peritia sacrarum literarum vehementer sumus oblectati. Deo laus et honos, qui pro sua bonitate cura de Scaligero et rebus nostris nos liberet. Nam soror μαίνεται οὔκετ' ἀνεκτῶς. Tu sana, Deus. Amen.

III. *Non. Nov.* Quod felix esse Deus velit, uxor

rus profecta negotii caussa. Illam Deus præstet ἀπήμαντον. Non enim deest, quod metuam. Idem et Scaligerum sanum præstet. Amen.

*Prid. Non. Nov.* Utinam de Scaligero aliquid læti audiam. Sed res adhuc in incerto. De uxore nihil hodie, et jam certis de caussis tempus mihi longum. Deus Opt. Max. me et meos servet, et illum virum in quo spiritus meus vertitur publico servet. Amen.

Presté au precepteur du fils de M. de Rosni Polyb. Gr. Lat. de Basle.

*Non. Nov.* Vocatus ab uxore rus abeo cum bono Deo. Te, Christe, veneror ut euntem, redeuntem serves, et omnes meos mecum. Da etiam, si placet, ut reversus lætiora de Scaligero possim intelligere, et omnes ut tibi æternum serviamus. Amen.

VIII. VII. *Eid. Nov.* Hodie rure sum reversus, cætera lætus Dei beneficio. Sed una re vehementer afflictus, iniquitate, improbitate, scelere denique sororis in me. Hæc magnis beneficiis a me semper affecta nunc sævit, et jacturam ab aliis sibi illatam contra par ac jus vult sarcire mea jactura non exigua. O mentem improbam! O pectus κακοπραγμοσύνης γέμον καὶ ἀχαριστίας stupendæ! Sed fortasse inopia domabit furorem illius. Experiemur igitur hoc remedium, quando aliud nihil possumus. Deus ignoscat meis peccatis, quæ tantam calamitatem mihi conciliarunt. O exaudi, Deus, et ægram animi sana. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, sed inter summos animi cruciatus propter improbitatem hujus mulierculæ, quæ me et uxorem miris modis exercet. Cum venit parentum in mentem, cum pietatis erga Deum, tædet vitæ, et valde angimur. Sed Deo Opt. Max. rem permittimus. Ille nostra vulnera, si placet, et quando placet, sanabit. Amen.

V. *Eid. Nov.* Diem sacrum domi egimus: utinam inter fratres potius. O da, Deus æterne, hoc posse, et meam respice domum variis modis afflictam. Serva me, serva meam ac meos. Sed et Scaligerum ut morbo liberes, supplex te oro. Amen.

IV. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια· laus Deo, et honos, qui me, meam et meos servet. Amen.

III. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

*Prid. Eid. Nov.* Pensum hodie intermisimus, sed alia non aliena curavimus. Deus nostris malis medeatur, et me meam ac meos servet. Qui etiam de Scaligero læta det nobis audire. Amen.

*Eid. Nov.* Exspectabam hodie uxorem. Illa non venit: et sua mora me male habet. Video ruentem domum, et fulcire non possum. Tibi, Domine, me, meam, et meos humili mente commendo. Ego miris modis animi crucior ob varias caussas tibi, O Deus, notas. Miserere jacentis domus. Amen.

XVIII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια intermissa ex caussa.

Deus det brevi redire ad institutum, et domum hanc servet. Amen.

XVII. *Kal. Dec.* Uxorem *τὴν φιλτάτην* adhuc rusticantem hodie expectabam. Sed illam casus ibi detinuit, ut scripsit. *Τῷ Θεῷ χάρις.*

XVI. *Kal. Dec.* Pars domus ad sacram synaxim profecta. Ego remansi inter literas. Hodie a Scaligero literas accepi, sed quæ alias jucundissimæ sollicitudinem tamen de illo meam non leniunt. Sunt enim morbo illius priores. Sed bene adhuc speramus, et ut sit illi bene te, Deus æterne, supplices oramus. Serva et uxorem nobis, et illam mihi redde, serva et liberos ac domum universam. Amen.

XV. *Kal. Dec.* Uxor rediit rure valens ad valentem: tibi, Deus æterne, summas maximas gratias ago, et de cetero domum hanc tibi supplex commendo. Tu nos respice. Amen.

XIV. *Kal. Dec.* *Τὰ ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις.*

XIII. *Kal. Dec.* *Τὰ ἐγκύκλια,* sed paucas horas. *Θεῷ χάρις.*

XII. *Kal. Dec.* *Τὰ ἐγκύκλια·* mane saltem: nam a prandio amici, *τῷ Θεῷ χάρις. Ἀμήν.*

XI. *Kal. Dec.* Hodie non multum profeci; et literas ab affine Chabanæo accepi, Deum immortalem, quales! Tu, Domine, rebus nostris succurre. Amen.

X. *Kal. Dec.* Curæ variæ et literæ ad amicos pro re familiari, quam, O Deus, serva. Amen.

IX. *Kal. Dec.* Deus misereatur Ecclesiæ suæ.

Tristia undique audimus, et videmus; sive publica respicio, sive privata, omnia molesta; nisi quod in variis malis superest consolatio domestica in uxore et liberis, quos, O Deus, mihi serva. Amen.

VIII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια Dei beneficio, cui laus et gloria. Amen.

VII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις. Sed, O Deus æterne, quum de Scaligero tristia narrentur, quis meus est dolor? γενηθήτω δὲ τὸ θέλημά σου. Amen.

VI. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια ut potuimus. Sub vesperam uxor parum valuit. Sed in Deo bene speramus. Ille nos servabit. Amen.

V. IV. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Amen.

III. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, sed leniter. Deus det opus institutum perficere, et mihi meisque timorem sui nominis. Amen.

*Prid. Kal. Dec.* Hic dies Dei benignitatem erga me et meos est testatus. Jam per aliquot dies uxor parum valebat, sed adduci tamen ut medici opera uteretur non poterat. Mane, cum surrexi, sic mihi inventa, ut vix spiritum ducere posset, eratque præsens metus παρασυνάγχης, sed Dei beneficio medici πρὸς θεράπειαν advocati remedium attulerunt. Tu, Domine, benedixisti. Te supplex oro ut porro benedicas per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

*Kal. Dec.* Deo laus, honos, et gloria. Uxor, de

qua heri fui valde sollicitus, melius habet: et spero brevi tempore ad pristinum statum redituram. Tu velis, O Domine. Amen.

Angli hodie nos adierunt.

IV. *Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi nullo fere profectu. Deus adjuvet. Amen.

III. *Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια non mediocri profectu per Dei gratiam, cui supplex me, meam, et meos commendo. Amen.

*Prid. Non. Dec.* Librum hodie vix aspexi: sed plus feci; ivi enim ad sacram synaxim, etsi maximo meo incommodo, quo me ac meos Deus liberet. Amen.

*Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια saltem mane; sed uxor ægrotans me habuit admodum sollicitum. Tu, Deus, sanabis. Amen.

VIII. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια per Dei gratiam. Hodie accepi literas a Tornasio, qui Genevæ agit, de variis rebus; ibi etiam rerum sororis meminit; quæ si vera sunt, non plane ejus caussa tantum me stomachari oportuit. Deus Opt. Max. mihi meisque ignoscat, et nos clementia sua ad portum salutis perducat, per Dominum Jesum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

VII. *Eid. Dec.* Pars familiæ ad sacram synaxim profecta; ego cum uxore et libris mansi, sed a literis amici avocarunt, qui mea studia plane perdunt. Fiat Dei voluntas. Amen.

VI. V. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, sed nihil profecimus varie impediti. Deus benedicat domui huic et ceptis nostris. Amen.

III. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, sed leniter. Deus benedicat mihi, uxori, liberis, omnibus. Amen.

*Prid. Eid. Dec.* Quod Deus Opt. Max. bene vertat, hodie domum nostram immigraverunt τῶν μακαριτῶν domini Calignonis Cancellarii Navarræ et illustris heroinæ ejus uxoris liberi. Millies hoc a me cum viveret petierunt parens uterque. Ægre concessi. Sed amor et reverentia, qua prosecutus sum defunctos, item egregia indoles utriusque juvenis facilem me fecit esse. Te, Deus æterne, supplex veneror, ceptis benedicas, ut et illi et ego ac mei diem hunc prædicare lætum semper possimus. Fac ad tui nominis gloriam pertineat hoc consilium per Dominum Jesum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

*Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, sed lente admodum. Deus det finem videre. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Diem Deo sacrum domi egi variis de caussis. Deus ignoscat, et molestissimo negotio quod soror ingratissima exhibet det lætum finem. Amen.

XVIII. *Kal. Jan.* Hodie ne librum quidem fere inspeximus. Negotium cum sorore quod arbitrio fuerat permissum decisum est, et ejus amentia singularis viris bonis innotuit. Sententia edita est testis innocentiæ nostræ, illius κακοπραγμο-

*σύνης.* Quam vellem alio loco res essent. Dolet enim mihi hæc victoria. Deus nos omnes respiciat, et illi suæ amentiæ det sensum aliquem potiorem. Te, Deus Optime Maxime, oro per Dominum nostrum Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit regnatque æternum. Amen.

XVII. *Kal. Jan.* Conatus hodie mane sororis iram placare et sincerum affectum ostendere ac præstare, frustra fui. Deus illius mentem sanet et nostri misereatur.

XVI. *Kal. Jan.* Deus ceptis benedicat. Amen.

XV. *Kal. Jan.* Ad pensum intermittendum nos comparamus, ut alia agamus, si Deus volet, qui nos respiciat. Amen.

Preste a M. Junius biblia Latina.

XIV. *Kal. Jan.* Iterum ad sororem hodie misi, quæ nondum sanæ mentis est. Utinam Deus illam, me, uxorem, liberos suo Spiritu afflare dignetur, et sanare a nostris vitiis per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

XIII. *Kal. Jan.* Adhuc morantur nos multa priusquam incepto nos accingimus, in quo tua, O Deus, ope nobis opus. Ades nobis, O Deus. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Ad sacram synaxim ivimus hodie, et propterea librum non aspeximus. Deus nobis et nostris benedicat. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια et curæ susceptæ: sed

clausula diurni laboris, ob morbum uxoris repentinum, molesta. Tu, Domine, sanabis, et, ut sanes, supplex oro. Amen.

X. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, sed non in incepto, cujus O da, Deus, finem videre. Amen.

IX. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια pene omissa ex caussa. Da, Deus, redire in viam, et ut, valente uxore, mens ad studia mihi sit libera. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Sed O quam mihi tua, O Deus, ope est opus. Tu ades: in te spes recumbit mea. Amen.

VII. *Kal. Jan.* Hodie ad colligenda Polybii fragmenta ex Suida nos convertimus. Da, Domine, totius operis finem videre. Amen.

VI. *Kal. Jan.* Amici multum nos hodie occuparunt. Deus nos nostrosque servet. Amen.

V. *Kal. Jan.* Ad sacram synaxim et cœnam Domini pars familiæ est profecta. Ego cum uxore in alteram hebdomadam distulimus. Tu, Domine, da perficere propositum. Amen.

IV. *Kal. Jan.* Amici hodie, non libri; sed ita fere vivimus. Deus det meliora. Amen.

III. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια in Polybiana Chronologia, qui nos nunc exercet labor. Τῷ Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Jan.* Non periit plane hic dies studiis nostris, ut fere omnes solent; itaque eo nomine τῷ Θεῷ πολλὴ χάρις. Sed me alia incessit cogitatio dum reputo advenisse anni hujus diem ultimum, quem ego diem an essem visurus sæpe dubitavi. Adeo magnis cruciatibus atque iis fre-

quentibus hoc anno sum exercitus, cum chara mea. Orsi annum eramus gemebundi propter recentem obitum piæ matris, et amissas fortunas omnes nostras, quas Genevæ habebamus. Sed quæ secuta est calamitas, priorum dolorum memoriam pene in totum obruit. Tu nempe, charissima mihi et matri tuæ Philippa, abes, nec curas meas solaris tuis alloquiis. Deum immortalem! qualis illius diei fuit imago, cum tu, ὦ μακαρῖτι, mihi et matri es adempta? cum te extulimus, qui naturæ ordine efferri a te debebamus? O casum mihi tristem et lugubrem! Obversatur animo illa pietas tua, mea quondam suavissima filia, quæ incredibilem tui amorem apud parentes nos excitabat. Et tu quidem, uti spero ἐν τῷ Κυρίῳ atque confido, lota Christi sanguine, beata inter beatas animas nunc degis. Nos vero ut peccatorum nostrorum mole, ita etiam ærumnarum gravissimo pondere obruimur. Nam quæ nos exceperint mala post abitionem filiæ si commemorem, dies me deficiat. Secuta est uxoris in Delphinatum profectio, plena laborum, plena curarum, ut taceam quas ibi reperit uxor molestiæ caussas sane gravissimas. Vix illa redierat, cum domesticæ δυσχέρειαι recanduerunt quæ mihi aliquandiu vitam non vitalem reddidere, certe molestissimam et tristissimam. Nam soror pauca prætermisit quo posset aliquid mihi molestiæ creare. Horret meminisse animus luctuque refugit. Atque utinam rerum anni præteri-

tarum memoriam tempus obruat. Me illius plane miseret, quæ bonis omnibus evoluta suis nunc nihil non cogitur experiri, quo se misella sustentet. O Deus, illam adjuva, et, si lubet, da facultatem mihi necessaria ipsi ministrandi aut quoquo modo procurandi; da sarciri gratiam male interruptam. Quid referam alias curas et sollicitudines meas et uxoris? quid peccata liberorum? quid uxoris morbum quo ne nunc quidem satis liberata est? Ego vero illius potius diei memoriam ad animum revocabo, quo die tua, Deus æterne, infinita bonitas et ὑπεράρρητος benignitas præsenti periculo mortis in aquis obeundæ me et uxorem cum parte liberorum eripuit. Jam inter aquas eramus, ego præsertim et conjux; jam de vita periclitabamur, cum tua nos, O Deus, ὦ σῶτερ, salutaris dextra velut ab Orco revocavit, et quidem ἀπημάντους. O beneficium sempiterna memoria dignissimum. Postea etiam filiola liberorum nostrorum numerum auxisti; quod benevolentiæ tuæ erga nos pignus οὐ τὸ τυχὸν interpretamur. Hæ fuere lætorum et tristium vices, quas hoc anno sumus experti. Et secundas quidem res tuæ, O Domine, O Deus, ἀφάτῳ clementiæ et misericordiæ ferimus acceptas. Tristia esse nos meritos, et quæ sumus passi, et longe graviora, atque diriora, sincero animo apud tuam, τρισάγιε Θεὸς, majestatem confitemur. Tibi, Deus sancte, tibi peccavimus, te offendimus, et tuam iram nostris vitiis in nos provocavimus. Itaque

justus es, Domine, et justa sunt tua *κρίματα*, fatemur, confitemur, agnoscimus toto affectu nostro. Miramur adeo patientiam tuam qui tam ingratos, tam negligentes in tuo cultu, tam benigne habeas, tanta mansuetudine et indulgentia digneris. Certe nostra sunt, mea, inquam, *ἁμαρτήματα, σφάλματα, ῥᾳδιουργήματα*, quæ hæc mihi conciliant mala. Quid enim boni facio? quam multa quotidie aut dico ira incensus, *ἅπερ ἄρρητα ἀμείνω*, aut facio *ἅπερ καλλίω ἦν ἄπρακτα*? Sentio vulnera mea; sed medicinam *ὁ τάλας ἐγὼ* facere naturæ depravatæ non valeo. Itaque, O Deus salutis meæ, ad tuam confugio misericordiam; te oro, obsecro, miserere mei, miserere meorum. Da mihi sic præteritarum culparum meminisse, ut earum recordatio pro aculeo mihi sit, quo ad bona opera et ad pœnitentiam perpetuo stimuler. Da præesse huic domui *ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ*, ut pium patremfamilias decet. Da idem uxori beneficium; ut ego et illa *ταὐτὸ ἀεὶ φρονοῦντες*, et in vera pietate semper consentientes te assidue colamus, et omnia prudentium parentum munia erga liberos obeamus. Da etiam liberis in tui cognitione *καθ' ἑκάστην* proficere, et eas artes serio addiscere quæ ætatibus eorum conveniunt. Serva illis parentes suos, parentibus ipsos, et qui hic sunt, et qui alibi nunc degunt, ut omnes gloriæ tuæ pro virili promovendæ studio incensi dies noctesque flagremus. Pro exacto vero anno, grates tibi, Deus æterne, quantas possumus maximas et agimus,

habemusque, et habebimus, agemusque, dum terras colemus. O vota supplicis exaudi, Deus immortalis, per Jesum Christum, qui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sine principio sine fine vivit, vivetque. Amen.

### Annus Domini CIↃ IↃCIX.

En adsum, Deus immortalis, ad pedes Majestatis tuæ ter sanctæ supplex ἱκέτης: te veniam, te pacem, te opem et misericordiam votis omnibus totoque pectoris affectu orans, obsecrans. Scio, Πάτερ ἐπουράνιε, indignum me qui oculos sursum tollam, qui sanctissimum nomen usurpem tuum, nedum qui auxilium tuum aut mereri aut sperare ulla ratione, cum memet respicio, valeam. Arcent me nempe a tua Majestate, Deus æterne, λύμαι, primo, καὶ κῆρες ἔμφυτοι, etsi nihil postea secutum esset, perdere me idoneæ. Sed multo magis a Numine me repellunt longe longeque mea, mihi propria delicta. Nempe ego, et olim puer, et deinde juvenis, mox vir τέλειος, et nunc quoque ætate declinis peccata peccatis aggessi, neque tui offendendi ταλαίπωρος ἐγὼ finem feci; quum interea loci tua illa ἄφατος benignitas beneficia in me conferendo et modis omnibus ad timorem amoremque tui me alliciendo ταῖς εὐεργεσίαις nunquam defatigaretur. Itaque tuorum in me munerum inire rationem non magis possum quam meorum in te, Deus clementissime, peccatorum. Quid faciam? Scio, nec fugit me,

Deum esse te justum, qui omnem improbitatem non solum detestaris, sed etiam ulcisceris: scio fucum tibi fieri, aut verba dari non posse, cui minima, maxima, *τῶν ὄντων ἢ γενομένων* semper sunt præsentia. Parum dixi. Nam etiam cogitationes intimas hominum tu nosti, Deus *καρδιογνῶστα*. Nihil denique te fugit, quod secius ab infelici me fuerit factum, aut etiam dictum, vel cogitatum. Jam illa quam multa sint ipsa mea mihi conscientia suggerit. Merito igitur totus horreo, totus contremisco, cum venit in mentem illius diei quo reddenda erit ratio omnium quæ fecero, dixero, cogitavero. Sed enim, Deus Opt. Max., tua justitia, etsi perfecta sit et *ἀκριβὴς*, *ἀπότομος* tamen non est, neque ita præfracta, ut omnem statim miseris peccatoribus spem salutis præcidat. Heic enim illuxit tua illa alta sapientia, Deus æterne, prorsusque *ἀνεξιχνίαστος*, cum via est a te reperta, per quam et justitiæ tuæ satisfieret, et saluti pœnitentium consuleretur. Filium nempe tuum *τὸν μονογενῆ*, *τὸν ἄρνα ἄμωμον*, in mundum misisti, ut veniam delictorum consequeretur, et vitam æternam adipisceretur, qui suam spem et fiduciam in eo collocaret. Gratias tibi, Deus immortalis, quod dedisti mihi misero hujus tui in humanum genus beneficii tanti cognitionem, dedisti etiam velle eo beneficio uti, si modo pervincere pravam naturam meam possim, ut veterem hominem bona fide exuat, bona item fide novum induat. Quamobrem, Deus æterne,

immortalis, pro omnibus beneficiis unum te hoc supplex oro atque humili mente peto, ut et mihi, et uxori meæ, et liberis, et sorori, et omnibus meis largiaris posse, ac velle, mundo renuntiare, Christum tuum induere, et thoracem illius humeris nostris alacriter tollere. Munda tu, Domine Jesu, corda nostra, aut nova potius nobis inde; dele fontem delictorum, peccatum originale, quod nobis ἔμφυτον καὶ σύμφυτον; dele omnes mali ἐπιθυμίας malas; da te unum, O Deus, spirare, tibi uni velle placere qua factis, qua dictis, imo et cogitatis; da spem æternæ salutis in merito passionis Christi sic collocare, ut magis magisque in dies nos operaque nostra damnemus; da sic intentos esse bonis operibus, quasi ea solum ad salutem pateret via; da sacrosancto mysterio τοῦ ἁγίου δείπνου sic posse communicare proxima die dominica, ut fructus deinceps et toto anno, et per omnem vitam, edamus τῆς μετανοίας ἀξίους. O benedic, Deus Opt. Max., huic afflictæ domui. Mala nostra sunt tibi nota: illa tu sana, et quo melius de futura vita ego, uxor, liberi, soror, et omnes mei cogitare possimus hanc quoque caducam et ærumnosam da posse sustentare. Da mihi atque uxori sic regere hanc familiam, ut cum pietate perfecta par certet prudentia in educandis instituendisque liberis. Liberis nostris da Spiritum tuum, qui illos in viam rectam sistat, inque ea firmet. Da sorori meæ τὰ ἐπιτήδεια quibus misera caret, et mentem illius libera ab illis

vanis, vanissimis cogitationibus quæ hactenus ipsam a recta via transversum abripuerunt. Scis enim tu, Deus æterne, quæ mea in illam officia extiterint. Postremo da mihi opus, quod jam pro manibus habeo, brevi absolvere, et alia posse meditari, quæ ad gloriam tuam promovendam fortasse sint futura aptiora. O ades, O exaudi meas supplicis preces, Deus immortalis, per ego te Jesum Christum oro *τὸν μονογενῆ* Filium tuum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Amen. Amen. Amen.

*Kal. Jan.* Vocatus ad prandium hodie a Cancellario Fr. D. Silerio nonnulla cum spe sum reversus, fore ut Polybius noster Regi sit acceptus. Sed ego artes aulicorum novi, neque illis possum capi. Deus enim est unicus, cui fido, in quem spes mea incumbit. Illi honos et gloria. Amen.

IV. *Non. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια* ut potui per amicos. Laus Deo. Atque hodie sororem invisi, et nondum quidem sanatam, sed non plane abhorrentem a sanitate inveni. Deus nostris malis medeatur. Amen.

III. *Non. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια* in Chronologia Polybiana. Τῷ *Θεῷ χάρις*.

*Prid. Non. Jan.* Ad sacram synaxim et corporis Domini communicationem hodie ivimus. Deum immortalem! Quantum virum audivimus? Honorandum Pastorem hujus Ecclesiæ sane præstantissimum, qui visionem Jacobi et scalam

illam admirabilem admirabiliter tractavit *καὶ κατὰ τὸ ῥηθὲν καὶ κατὰ τὸ ἀλληγορούμενον.* O utinam tanto beneficio sæpius frui mihi uxorique et meis liceat. O utinam sic vivere, ut sumus docti, aggrediamur, et sic vivamus. Amen.

*Non. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια ut poteramus, τῷ Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Jan.* Male hodie valuimus, sed statim convaluimus Dei beneficio, cui honos et gloria. Amen.

VII. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια in penso Chronologiæ Polybianæ. Tu, Deus, da finem videre operis molestissimi. Amen.

VI. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια in perficienda Chronologia Polybiana quam sequetur alius labor, cui Deus det finem videre, et me ac meos servet. Amen.

Sadeelis opera ministro legati Anglici.

V. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις, qui et nos servet et Josephum Scaligerum, de cujus valetudine hodie cognovi. Iterum iterumque te supplex, O Deus, oro, illum serves per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto honos et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων.* Amen.

A. M. Drossard Pezelius et un autore astrologue de Lausane.

IV. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque, τῷ Θεῷ χάρις.

A Mons[r]. Lalle Zonaras Gr. sur les Conciles.

III. *Eid. Jan.* Hodie ad sacram synaxim ego et

uxor ac familiæ pars sumus profecti. Τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις. Amen.

*Prid. Eid. Jan.* Varie occupati fuimus. Τῷ Θεῷ τὰ ἡμέτερα μέλοι. Amen.

*Eid. Jan.* Tandem relictis rebus opellam aggredi constituimus cum bono Deo, quam det idem perficere ad sui nominis gloriam. Amen.

XIX. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, Deo laus et honos. Amen.

XVIII. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια. Hodie venit nuntius a sorore, miserias illius explicans. Utinam quo loco sit intelligeret. Utinam tam facile illi posset persuaderi, ut beneficiis nostris dignam se præberet. Quam facile τῇ φιλτάτῃ uxori persuasero, ut illi velit bene facere. Deus Opt. Max. liberet nos hoc æstu. Amen.

XVII. *Kal. Feb.* Ecce iterum ad ingenium rediit soror. Ego vero etiam in aliis et majoris quidem momenti rebus mihi molestiam creo. Te, Deus, oro, medearis meis malis ἐν ἀμηχανίαις. Amen.

XVI. *Kal. Feb.* Partem maximam temporis sororis caussa periit (*dies*), et aliorum amicorum. Te, Deus, oro, ut neque illius ferocia, neque aliorum, quos scis, blanditiæ transversum me abripiant. Amen.

XV. *Kal. Feb.* Ad sacram σύναξιν non sumus hodie profecti. Et det Deus hoc officio pietatis crebrius posse fungi. Amen.

XIV. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, sed oppido lente. Et O benedic tu, Deus. Amen.

XIII. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, hoc est nihil. Sed nondum tempus querendi. Specto te, O Domine, et in te spero. Tu ades. Amen.

XII. *Kal. Feb.* Deo gratiæ, quod viam ingressus jam videor; sed nondum recti fiduciam habemus. Itaque ad te, O Domine, convertimur. Tu ades. Amen.

XI. *Kal. Feb.* Dixeram nihil boni esse. Ita evenit. Deus, ades. Amen.

X. *Kal. Feb.* Refecimus, opinor, quod erat inchoatum, nihil amplius. Deus, ades. Amen.

IX. *Kal. Feb.* Aliquid, spero, hodie. Deus, ades, et otium ac vires largire: nam hac nocte febri tentatus sum, neque admodum belle toto die habui. Satis ego, satis mea et mei valebimus, si tu voles, O Deus. Amen.

VIII. *Kal. Feb.* Ne hodie quidem ad sacram synaxim potuimus proficisci. Deus Opt. Max. ignoscat, et ceptis benedicat. Amen.

VII. *Kal. Feb.* Si ita procedimus, ante natalem nostrum, volente Deo, finem attingemus. Quod faxit Deus. Nam difficillima restant. Ades ergo. Amen.

VI. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· nec frustra periit dies Dei beneficio. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· Deus, ades. Amen.

III. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque; sed non multum promovimus. Deus, ades. Amen.

*Prid. Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· satis utiliter, Deo

laus: ita mensis exactus. Πάλιν αὖ καὶ πάλιν Deo laus. Amen.

*Kal. Feb.* Deus bene vertat. Ad sacram synaxim filius et ejus cognatus sunt profecti: nos remansimus. Atque utinam Dominus ceptis adsit, et me, meam et meos servet. Amen.

IV. *Non. Feb.* Nihil hodie præter angi ob varias caussas. Tu, Domine, ades, et nos rege. Amen.

III. *Non. Feb.* Hodie descripsimus multa, nec quicquam promovimus. Θεῷ laus. Amen.

*Prid. Non. Feb.* Hodie rediimus ad pensum: sed non multum egimus, quia apud Cardinalem Perronium de rebus necessariis quibusdam egimus. Deum supplex veneror, ceptis meis adsit, eaque ad sui nominis gloriam dirigat, et salutem meam ac meorum. Amen.

*Non. Feb.* Et mane satis surreximus, et nihil egimus, et languore conficimur. Dominus Jesus nos respiciat, et caussas ægritudinis, quæ multæ sunt, detrahat. Amen.

VIII. *Eid. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· nec frustra, Dei beneficio. Amen.

VII. *Eid. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· nec frustra, Θεῷ χάρις. Amen.

VI. *Eid. Feb.* Hodie beneficio tuo, O Domine, sacræ interfui concioni, et τὸν ζῆλον pietatis nonnihil suscitavi. Redii pedes, qui iveram curru vectus nobilissimarum Arnaldarum. Sed volui antevertere, et corpus per occasionem exercere. Deus ceptis piis benedicat. Amen.

v. *Eid. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· sed per multa impedimenta. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

iv. *Eid. Feb.* Serius surreximus, et male diem inchoavimus, graviter filio irati, quod ipse quoque in hac juventute serius surgeret. Ars enim, quam instituit, longa est, et tota ratio studiorum negligentiæ est inimica. Ea res me sæpe ita graviter commovet, ut iræ vehementiori, ad verba quod attinet, loci plus dem quam par erat. Sentio quam meo corpori ea res noceat. Sentio quam multa sæpe ira æstuanti verba excidant, ἅπερ ἄρρητα ἀμείνω. Sed me profecto vel ingravescens ætas, vel assuetudo malarum ærumnarum quas ab altero fere jam anno continuas experior, iracundiorem multo reddiderunt natura in illud vitium valde pronum. O si mihi Dominus daret hoc vitium posse corrigere. Dabo posthac operam, volente Deo, ei rei, et curæ habebo eam curam. Tu, Domine Jesu, cæptis benedicere velis, et mentem nostram sorde peccatorum inquinatam purgare, et in via veritatis magis magisque in dies firmare. Amen. Amen.

iii. *Eid. Feb.* Pauca hodie. Deinde hæsit navis. Tu expedies, Domine, et, ut facias, supplex oro. Amen.

*Prid. Eid. Feb.* Plura hodie, quam ullo die hactenus. Deus fecit: qui sanet meos dolores et meorum. Amen.

*Eid. Feb.* Neque nihil, neque multum. Dominus finem det videre incepti. Amen.

XVI. *Kal. Mar.* Parum valui hodie, nec tamen penitus quievi. Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Mar.* Pars familiæ ad sacram synaxim ivit. Nos remansimus. Deus nostri misereatur. Amen.

XIV. *Kal. Mar.* Pauca hodie, ac pene nihil. Tenet nos quidam languor et amabilis inertia. Ita mane fere periit. A prandio alio ex occasione afuimus, et totum amisimus tempus. Domum inde reversi ab uxore intelleximus de obitu præstantissimi, illustrissimi et εὐσεβεστάτου, hei mihi, viri Josephi Scaligeri, quo nuntio excitatus ad amicos accurri, ut veriora intelligerem. Legatus Ordinum meliora spondebat. Molinæus affirmabat pro certo. Ego vero nimis vereor ne ita sit. Itaque lugeo et lamentor tui desiderio, mi Scaliger. Tu quidem beatus, qui nunc cum Deo vivis, ærumnis hujus vitæ defunctus. Sed me tanta hæc jactura movet tam incomparabilis, quam literæ meliores, atque adeo pietas ipsa fecit. Moveor et meo privatim detrimento, qui florem meorum omnium amicorum amisi, ac solatio nunc caream quo fere unico fruebar. O cæcas spes mortalium. Nam cum morbus illum invasit, videbatur optima, ut si unquam, frui valetudine. De exitu tamen morbi jam ab initio omnes fere medici desperarunt. Nos modo vana spes lactavit, modo certus metus sollicitos semper hactenus habuit, ex quo primum de ejus casu aliquid intelleximus. Beatum te ter et amplius,

magne Scaliger, qui mundum hunc vere immundum deseruisti, ubi etiam quæ munda videntur, sunt sordium plena. Bonum certamen certasti: cursum peregisti feliciter: metam assecutus es. O te vere beatum! Sed O nos, qui literas amamus, miseros! O me omnium miserrimum! Amisi ducem in studiis meis: amisi amicum incomparabilem: amisi dulce decus et præsidium meum. Quis mihi nunc languenti animos faciet? Quis me excitabit? Quis me docebit quæ non intelligo? Extincta est illa sæculi nostri lampas, lumen literarum, decus Galliæ, ornamentum unicum Europæ. Sed quia nondum scio, quid rei sit, querelarum modum facio, et Deum Opt. Max. supplex oro, ut similes Scaligero viros, aut illi proximos velit suscitare ad nominis sui gloriam, et rei literariæ incrementum. Amen.

XIII. *Kal. Mar.* Non multa hodie egi; atque adeo a prandio nihil. Per varias occupationes dies transactus. Imo vero annus vitæ meæ quinquagesimus ita est absolutus. Cujus anni finem, Domine, quod viderim, et inter tot mala duraverimus ego atque uxor, certe tui hoc muneris est, et tui beneficii. Nam ærumnæ quas hoc anno exantlavimus, et me et illam dudum absorpsissent, nisi tua, Deus æterne, dextra sustentati essemus. In primis filiæ charissimæ Philippæ heu quondam nostræ obitus, quanto, Deus bone, nos mœrore affecit? sic plane ut infirmitatem animi nullo unquam argumento gravius

sim expertus. Nec minor uxoris dolor. Tu tamen, Domine Jesu, nos sustentasti, et ad diem hanc perduxisti. Secuta est profectio uxoris, quæ me quantis cruciatibus exercuerit, dum literas minus crebras ab ea accipio, atque illi uterum gerenti metuo, piget meminisse. Quid commemorem molestias per sororem exhibitas? Id vero malum eo durius accidit, quo magis inopinatum. Ego qui de illa semper fui sollicitus ut pater de filia et pro mearum virium tenuitate illam adjuvi constanter, quibus poteram cunque rebus, nunc audio inhumanus, ferus, barbarus. Qui ad sanam mentem eam conatus revocare et iis officiis quibus poteram benevolentiam ipsi meam testari, frustra fui, et plane, ut ait prudens scriptor, illam irritavi. Quid faciam? quo me vertam? Unica placandæ illius ratio est, ut omnes meas spes a Rege præcidam, et ridendum me propinem. Quod quidem ne faciam, multæ justissimæ caussæ atque ipsa adeo pietas vetat. Angor tamen, et crucior animi, cum cogito non sine Dei Opt. Max. offensa hæc fieri, quam utinam, O utinam, liceat vitare. Sed hoc gravius hoc calamitatis genus est, quia nullum ei posse remedium a me afferri video. O Deus æterne, medere huic domus hujus malo. Viam aperi, quam ego nullus video; sana morbos animi nostros; in tui amore ac metu fac animi nostri conveniant. Mihi, si placet, rationem ostende, qua possim sorori prodesse, quod quum toto affectu discupiam, postquam ipsa a

nobis discessit, frustra optavi; compone, Domine Jesu, meum atque illius animum ad mutua præstanda officia, quæ tua Lex ab utroque nostrum exigit. Et scis tu, Deus æterne, quæ me hac in parte premant incommoda. Non quiescet animus donec aliquod levamentum hujus curæ contigerit. Continget autem, te faciente et rationem inducente, Deus æterne, qui mulieris illius animum sine caussa a me aversum potes ad me convertere: atque ut convertas, mihique ut illius adjuvandæ facultatem tribuas, iterum iterumque te supplex oro. Hæc præcipua sunt quæ hoc anno doluimus. Sed neque testimonio tuæ bonitatis interea penitus caruimus. Vel ille dies, quo ex aquis me, uxorem et partem liberorum servasti, quantum est tuæ erga nos benignitatis argumentum? Cujus memoriam ne ponamus unquam da mihi, Domine, da uxori, et liberis. Quod nulla re caruimus in tanta omnium rerum charitate, hoc quoque clementiæ tuæ certum argumentum; item quod plerumque valuimus, ac nunc quoque valemus. Quas ob caussas, quia non possum, quantas par est, tibi, Domine, gratias agere, quantas certe queo maximas, tuæ Majestati, Deus æterne, ago, habeo, æternumque, dum ero, agam et habebo. Cumulum hunc, Domine, beneficiis tuis in me ac meos adde ut meditatione jugi tuorum meritorum in nos crescamus in dies in vera pietate, tibi serviamus, te tota mente, animo, spiritu, affectu colamus, et

veritatis zelo magis magisque in dies inflammemur. Exaudi, Deus æterne, per Dominum Jesum Filium tuum *τὸν μονογενῆ*, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Amen.

### Annus vitæ li.

xii. *Kal. Mar.* Ingredior igitur, Domine, annum novum tuo beneficio, utinam novus ipse, et *τῆς παλαιᾶς σαρκὸς ἀπαλλαγεὶς*, quod quidem potius mihi optandum, quam ut hunc diem sæpius obeam. Utinam, igitur, iterumque utinam, Deus immortalis, fasce hoc peccatorum *ἐγκυκλίων*, quo premor, liberer. Quæ me reddere debebant meliorem, superioris anni mala, ea ne deteriorem reddiderint male metuo: *δυσάνιον* certe fecerunt, iracundum, et cui jam nihil sit gratum. Illa *εὐθυμία* prior abest, omnia displicent. Cura de liberis post fata mea me cruciat dies noctesque: jam neque animum, neque linguam in potestate habeo, et mirum quomodo toties *ὀργισθεὶς* hoc et superiore anno, et quidem *μάλα σφόδρα* præsertim ad mentionem eorum qui ad lacum Lemanum injuriis me et meos affecerunt, non in gravem aliquem morbum inciderim. Tua, nimirum, Deus æterne, bonitas illa *ἄφατος* dat tempus ad pœnitentiam. O hanc quoque da, Domine Jesu, et mutationem in melius. Sentio quam graviter peccem, qui de liberis supra modum sim sollicitus. Debeo enim hanc tibi, *τρισάγιε Θεὸς*, hanc

curam relinquere. Debeo quæ præterierunt et mutari non possunt oblivisci, et totum me divinæ providentiæ permittere. Sed homo sum, infirmus supra omnes, peccatis obrutus supra omnes. Itaque tua ope, Deus immortalis, supra omnes opus habeo. Tege, bone Deus, τὰ βεβιωμένα, dirige quod superest vitæ; firma gressus meos, et per omnem vitam et hoc anno οὐχ ἥκιστα. Quam gravia mihi incumbant certamina video jam, et totus horreo. Video necessitatem illa subeundi; video paratum πειρασμόν. Video ac sentio virium mearum τὸ μηδέν: amicorum præsidia me deficiunt. Quæ erant ostensæ spes a magnis Regibus et Principibus eæ turpiter nos deserunt. Premimur et aliis quidem gravissimis oneribus, sed nullo in præsens graviore quam dolore τῷ ὑπὲρ τῆς ἀδελφῆς, quæ misella suis jam malis impar remedia nulla potest pati, et me tamen sic illius miseret, ut vel ob illam solam mihi sit vita acerba. En præsentem meum statum. Accedit languor in studiis, et ille pristinus vigor pene exstinctus: nunc utique post nuntium de obitu viri illius cujus recordatione solitus sum animari, Josephi Scaligeri τοῦ μακαρίτου, si vera sunt, quæ audimus. Certe etiam ille dolor nos afflixit, et alacritatis siquid supererat in nobis infregit. Tu, Deus æterne, recreato: absterge omnes curas humanas: da nihil velle, nihil optare, nihil sperare, nisi quod ipse volueris. Animum compone meum, meæ, ac meorum ad tui timorem. Una cura nos habeat, unus metus nos sollicitet, nequid aga-

mus, quod tibi displiceat. Firma nobis mentem adversus omnes *πειρασμούς*. Fac unius veritatis amore flagremus. Liberis da, ut institui in vera pietate possint, in ea proficiant, in ea suas omnes spes collocent. Quæ molimur in literis, da referri, Deus æterne, ad nominis tui gloriam. Da vires ingenio iis perficiendis. Si quid recte inchoatum in studiis, da totam ejus rei laudem uni tibi referre, quæ certe uni tibi debetur. Nam nostrum quidem ingenium hebet, tot rebus asperis retusum et tantum non exstinctum. Redde animo meo, meæque pristinam alacritatem, *δὸς ἡμῖν ἐν τῷ ὀνόματί σου ἀγαλλιάσασθαι*. Hæc ego, Deus æterne, et quæ alia tua divina providentia scit mihi, meæ, ac meis esse necessaria, ut *κατά τε τὸ σῶμα καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν ἀπήμαντοι* quod superest vitæ degamus, supplex te posco, orans, obsecrans, obtestans, per Dominum Jesum *τὸν μονογενῆ* Filium tuum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit et nunc et æternum honos, laus, gloria et omnis potestas. Amen. Amen. Amen.

Æneæ descriptio.

XI. *Kal. Mar.* Ad sacram concionem ego et uxor cum parte liberorum sumus profecti difficili ob ventum et nivem tempestate. Atque hic dies est quo ante annum ego et uxor Philippam nostram ægrotantem apud Legatum Angliæ, domum reduximus, magnitudinem morbi, hei mihi, nondum intelligentes. Deus nostri misereatur per Dominum Jesum. Amen.

X. *Kal. Mar.* Ergo verum est obiisse magnum Scaligerum. O dolorem incomparabilem! O caput lacrymis omnium bonorum dignissimum! Quis literarum jacturam poterit æstimare? Quis magnitudinem illius viri capere? Tu, Deus æterne, tot tantisque ipsum dotibus ornaveras, ut neque ante fuerit ei quisquam similis, et, an sit futurus, haud sciam. Tibi debetur honos, tibi gloria prima. Ille ita sensit, qui pie vitam semper instituit, et virtutem eximie coluit. O virum in exemplum natum, qui etiam testamento suo, quo affectu nos prosequeretur non mediocri legato est testatus! O triste mihi legatum! O acerbam recordationem obitus tanti viri! Sed nimirum in tua, Deus æterne, acquiescendum est voluntate. Te supplex oro, da mihi, da meis, virtutes Scaligeri meminisse, et ᾗ δύνατον illum posse imitari. Amen.

IX. *Kal. Mar.* Paucas hodie studiis horas impendi. Deus firmet nos in amore et studio veritatis. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Ad sacram synaxim hodie non ivimus, et Deus nostri misereatur. Amen.

VII. *Kal. Mar.* In Æneæ descriptione pergebamus, mœsti morte Scaligeri et aliis multis de caussis. Deus nos servet nostrosque. Amen.

VI. *Kal. Mar.* Neque multum in descriptione Æneæ promovimus, neque nihil fecimus. Sed admonet me hic dies meæ, heu quondam meæ, Philippæ, quæ ante annum facta est μακαρῖτις.

O meos et uxoris suspiritus! Dominus mei, meæ, et meorum misereatur. Amen.

V. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια in describendo hoc auctore. Θεῷ χάρις, qui mei misereatur, et servet ex ingenti periculo. Amen.

IV. *Kal. Mar.* Domine, respice servum tuum et mentem illumina, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos et gloria. Amen.

III. *Kal. Mar.* Miserere, Domine, neque aversare *τὸν οὐδένος ἄξιον.* Amen.

*Prid. Kal. Mar.* En, Domine, languentem servum tuum. O solare, et dirige. Amen.

*Kal. Mar.* Quod bene vertat, mensem inchoavimus ab auditione verbi divini. Atque utinam Dominus Deus det adhærere verbo suo, mentem illius capere, facere et dicere quæ ipsi futura sunt grata. O ignosce meis peccatis, Deus æterne, per Jesum Christum *τὸν μονογενῆ σὸν υἱὸν*, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

VI. *Non. Mar.* Deus, miserere tui servi *τοῦ οὐτιδανοῦ.* Amen. Amen.

V. *Non. Mar.* Domine, respice *τὴν ἀμηχανίαν* tui inutilis servi. Amen.

IV. *Non. Mar.* Domine, restitue errantem in viam, et indulge misero veniam. Scis quid me angat. In te spero. O ades, Deus. Amen.

III. *Non. Mar.* O libera, Domine, mentem meam omni errore humano, et *τὰ θεῖα δὸς ὀρθῶς φρονεῖν.* Amen.

*Prid. Non. Mar.* Apud Cardinalem Perronium hodie aliquot horas accitus ab ipso, nomine Regis, sed qui tamen illubenter ivi. Multi fuerunt inter nos graves de religione sermones. Te oro, Deus æterne, per Dominum Jesum τὸν μονογενῆ Filium tuum infundas in animum meum veritatis studium et amorem, servesque ab omni in re religionis errore. Amen.

*Non. Mar.* Serva, Domine, languentem, et dirige ad portum salutis. Amen.

VIII. *Eid. Mar.* Ad sacram synaxim hodie profectus postea sum accitus ab iis, quos non quærebam. Deus æterne, serva me ac meos. Amen.

VII. *Eid. Mar.* Da verum pietatis veræ sensum, O Deus, O Domine. Amen.

VI. *Eid. Mar.* Domine Jesu, revela viam, me doce, firma, dirige. Amen.

V. *Eid. Mar.* Deus immortalis, ades, et ceptis benedic, ut brevi hac Polybiana cura liberatus alia cogitem. Amen.

IV. *Eid. Mar.* Deus, respice hanc domum et serva. Amen.

III. *Eid. Mar.* Diem varie transegimus, dum adornamus Chronologiam Polybianam, sed mox distulimus, et ad Æneam quem nostræ editioni adjicimus, nos convertimus. O ades, Deus æterne, in re magis seria. Amen.

*Prid. Eid. Mar.* Domine Deus, serva servum tuum. Amen.

*Eid. Mar.* Domine, vias tuas me doce et me serva ac meos. Amen.

XVII. *Kal. Apr.* Da, Domine, veritatem tuam amare, et in ejus cognitione totam spem salutis ponere, et ejus potiri. Amen.

XVI. *Kal. Apr.* Casus hodie ad magnum heroem Ducem Bullioneum me adduxit. Fueram enim rogatus illi Græculum quendam commendare. Sed ea occasio fuit sermonum gravissimorum quos una habuimus. Inaudiverat ille de colloquiis meis cum Cardinali Perronio. Rogavit ut bono publico sustinerem assensum in iis quæ pertinent ad D. Plessiacum, qui etsi minus interdum fuit oculatus damnari tamen sine caussæ condemnatione haud potest. Porro si inter nos multa jure desiderantur, at corrigant isti, et perficiant quod nos tentavimus. Dedere autem sese illis quid aliud quam caussam Dei et salutem suam perdere. Hæc Bullioneus sane graviter et vere. Atque hic meus fuit semper sensus. Te, Deus æterne, supplex oro, regas me, tum in omni vita, tum in hac potissimum parte; fac serio mediter quæ ad honorem tuum pertinent; cogitem quam alieni sint a reformanda ecclesia tua isti qui soli videntur posse. Da pergere, da vitam finire in his cogitationibus; et ut omnes etiam sermones meos ad nominis tui gloriam referam per Dominum Jesum Christum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

XV. *Kal. Apr.* Deus adsit, servet a malo, dirigat ad bonum. Amen.

XIV. *Kal. Apr.* Domine, dirige gressus meos. Amen.

XIII. *Kal. Apr.* En, Domine, viam tuam et veritatem me doce, ac virtutis amorem inde. Amen.

XII. *Kal. Apr.* Etiam veni, Domine Jesu. Amen.

XI. *Kal. Apr.* Ad sacram synaxim ego, uxor et filius ivimus, ac diei partem cum pastoribus Montignio et Molinæo egimus. Deus adsit nobis. Amen.

X. *Kal. Apr.* Notas ad Æneam hodie cum Deo inchoavimus, operam paucorum, si modo Dominus faverit, dierum. Ita velit ὁ Θεός. Amen.

IX. *Kal. Apr.* O firma, Domine, in via veritatis meos et meorum omnium gressus. Amen.

VIII. *Kal. Apr.* Deus æterne, pater et auctor lucis, illumina mentem meam, ut quotidie in tui cognitione proficiam. Amen.

VII. *Kal. Apr.* Cum Molinæo verbi divini pastore partem diei egi. Utinam hæreant animo æternum sermones quos una habuimus, et Dominus noster firmet nos in veræ fidei confessione. Amen.

VI. *Kal. Apr.* Deus Opt. Max. adsit, et a malo me servet meosque. Amen.

V. *Kal. Apr.* Deus adsit, et omnia bona aderunt. Amen.

IV. *Kal. Apr.* Dei gratia ad sacram synaxim hodie sum profectus, et inde reversus, ubi non

optabam, plures horas consumpsi. Deus nos servet. Amen.

III. *Kal. Apr.* Deus adsit, et suscepti laboris toties intermissi nunc cum maxime calentis det felicem exitum videre. Amen.

Notæ in Æneam.

*Prid. Kal. Apr.* Diem fere totum jacui; toto certe die febri laboravi. Deus est misertus. Illi honos et gloria. Amen.

*Kal. Apr.* Certe misertus est Deus; nam hodie ad solennia redii. Illi laus, honos, et gloria. Amen.

IV. *Non. Apr.* Nonnihil hodie egi. Deo meo laus, honos, et gloria. Amen.

III. *Non. Apr.* Nonnihil et hodie. Deo Opt. Max. laus, honos, et gloria. Amen.

*Prid. Non.*, *Non.*, VIII. VII. *Eid. Apr.* Repetiit nos febris et gravior quidem. Nam erat simul λειεντερία medico Arbaldo molesta. Dei beneficio non defuerunt levando dolori molestissimo remedia, et qui illa præscriberent medici: ejusdem Dei beneficio ea remedia vana non fuerunt. Itaque diem sabbati quum ægerrimi in lecto egerimus, hesterna melius habere cepimus φλεβοτομηθέντες. Hodierna vero ποτισθέντες, nisi quid novi accidat, plane convaluimus. Deo Opt. Max. laus, gloria, et honos. Amen.

VI. *Eid. Apr.* Valetudinem hodie magis quam studia curavimus. Deus nobis adsit. Amen.

Celso Xenophontem meum tradidi utendum.

V. *Eid. Apr.* Hodie ad studia serio redire cepi-

mus: utinam ad bonam mentem: utinam tibi, O Domine, placere, tua jussa facere tandem incipiamus ego et mei. O exaudi per Dominum Jesum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

IV. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια in notis Æneæ, ut poteramus. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Apr.* Parum aut nihil hodie. Sed da, Domine, tibi vivere. Amen.

*Prid. Eid. Apr.* Non parum hodie in penso promovimus. Deo laus, gloria, et honos. Amen.

*Eid. Apr.* Uxor et pars familiæ ad sacram synaxim ivit. Ego partem diei in libris posui ad pietatem ducentibus, quam, O Domine, da mihi et meis veram. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* Etsi varie impediti aliquid tamen promovimus in isto Notarum in Ænean penso. Θεῷ χάρις qui det pietatem toto corde diligere. Amen.

XVII. *Kal. Mai.* Hodie corpus pharmaco purgavi. Tu, Domine, benedic, et serva hanc domum, καὶ κατὰ ψυχὴν καὶ κατὰ σῶμα ἀπήμαντον. Amen.

XVI. *Kal. Mai.* Da, Deus æterne, suscepti oneris finem videre, et te laudare; ac nos interea serva ἀπημάντους. Amen.

XV. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Amen.

XIV. *Kal. Mai.* Hodie ad sacram synaxim adiimus ego, uxor, liberorumque pars. Audivimus Molinæum quem ego sæpe magna cum voluptate

audivi, nunquam cum tanta: et utinam Deus mihi det perficere quod hodie dum illum audirem statui volente Numine. Nam, si potest fieri, redire in gratiam cum Genevensibus hostibus meis cupio, paratus sum omnia condonare, et omnia facere quæ pastores suaserint, si modo illi potuerint adduci ut injuriam mihi factam agnoscant, et redire ipsi quoque in gratiam mecum velint. Dolet mihi quod non prius idem sim conatus; etsi video quantum in hoc incepto periculi propter τὸ δυσάγωγον Genevensium. Domine Deus, peccatis meis ignosce et meorum, et ipsorum quoque Genevensium. Amen.

XIII. *Kal. Mai.* Deus, benedic ceptis et vitæ meæ ac meorum. Amen.

XII. *Kal. Mai.* Gratias tibi, Domine Jesu, quod sanctæ cœnæ tuæ mysterio nos participasti, et beasti. Accessit auditio verbi, quod duo nostri pastores Molinæus et Durandus exposuerunt non solum docte sedet diserte ac vere. O firma, Domine, animos nostros, et semel libera ἀπὸ παντὸς πειρασμοῦ. Amen. Amen.

XI. *Kal. Mai.* Quod bene vertere Deus Opt. Max. velit, rus hodie proficiscimur, ego, uxor et pars liberorum. Est animus, si Deo placuerit, Æneæ versionem ibi elucubrare. Sed neque ego optime valeo, et uxor languet ἐξ ἀσθενείας. Itaque quid simus ruri facturi, Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται. Tibi, Domine, et nos qui proficiscimur et cæteros qui remanent, curæ esse opto, et, ut sint, supplex

oro. Da quotidie in vera pietate proficere, et libera nos *ἀπὸ παντὸς πειρασμοῦ.* Amen.

X. IX. VIII. VII. VI. V. IV. *Kal. Mai.* Hodie e rusticatione sum reversus, et caussas plures Deo gratias agendi mecum attuli. Nam ego et uxor, quam ibi reliqui, valemus, et liberos valentes habemus, nisi quod una e filiabus parum valet. Cætera quoque ex animi sententia mire successerunt. Nam de Æneæ versione ita transactum, ut paucioribus horis eum Latinum fecerim, quam e codice regio Græca descripsi. Tibi, Domine, laus et gloria, qui pro tua infinita bonitate dabis exitum huic incepto, dabis et domesticis curis levamen, quas affert mirificum istud sororis ingenium. O monstrum mulieris! O crucem meam! Sed taceo, et te, Deus æterne, supplex oro, ut mihi meisque adesse velis, atque uxorem in primis solari, per Jesum Christum *τὸν μονογενῆ* Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et honos. Amen.

III. *Kal. Mai.* Lente rediimus ad studia, *τῷ Θεῷ χάρις,* qui nos servet, regat, et ad omne bonum opus informet. Amen.

*Prid. Kal. Mai.* Τὰ *ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις.* Amen.

*Kal. Mai.* Hodie uxor rure rediit. O da, Deus æterne, et illi, et meis omnibus in timore tui nominis et hunc mensem et reliquam vitam exigere. Amen.

VI. *Non. Mai.* Τὰ *ἐγκύκλια* paucis horis, Deo laus, honos et gloria. Amen.

v. *Non. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια ut die sacro, sed mane tantum. Nam a prandio non momentum unum temporis liberum habui. Deus det plus otii ad studia. Amen.

iv. iii. *Non. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque, Θεῷ χάρις. Amen.

*Prid. Non. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Amen.

*Non. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque, et det Dominus finem videre hujus laboris. Amen.

viii. *Eid. Mai.* Hodie, ut fere semper, miserrime inter amicos avocatus a libris vitam egi. Itaque morior cum cogito quam nihil agam, aut aliud agam. Tu, Deus, me respice, et da meliora. Amen.

vii. *Eid. Mai.* Ne hoc quidem die melius est mecum actum. Deus miserere. Amen.

vi. *Eid. Mai.* Ad sacram synaxim hodie sum profectus, atque utinam det Deus ita vivere, ut pastor præivit. Amen.

v. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια leniter mane: deinde amici, et nihil in studiis. O dolorem! sed fiat tua, O Deus, voluntas. Amen.

iv. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια per multa avocamenta. Sed quid agerem? Ita tu, O Deus æterne, voluisti, ut cupiditatem sciendi haberem, facultatem non haberem. Tibi honos et gloria. Amen.

iii. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια, sed non felicius hodie quam superioribus diebus: et horret animus, cum cogito imminere occasiones amittendi temporis in re molestissima. Tu, Domine, scis meum dolorem: scis meas ærumnas, meos πειρασμούς. Tu

medere meis vitiis, et bene erit: *ναὶ Κύριε*, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et gloria. Amen.

*Prid. Eid. Mai.* Præter solitum otii aliquantulum hodie nactus, ab aliis studiis ad sacras literas deverti. Legi aliquot capita in I Regum; in his XVIII. cujus versum adnotabam miræ elegantiæ et emphaseos adversus nutantes in negotio religionis. Ibi igitur Elias populum ita alloquitur: עַד־מָתַי אַתֶּם פֹּסְחִים עַל־שְׁתֵּי הַסְּעִפִּים אִם־יְהוָֹה הָאֱלֹהִים לְכוּ אַחֲרָיו וְאִם־הַבַּעַל לְכוּ אַחֲרָיו *μέχρι τίνος ὑμεῖς χωλανεῖτε ἐπὶ δυσὶ διαλογισμοῖς; εἰ ὁ Κύριος Θεός ἐστι, πορεύεσθε ὀπίσω αὐτοῦ· εἰ δὲ ὁ Βαὰλ, πορεύεσθε ὀπίσω αὐτοῦ·* plane eleganter. פסח quo ex verbo dictum est *πάσχα* varia in sacra scriptura significat, bis vertitur verbo *χωλαίνειν*. סְעִיף varia item significat. Vertitur hic *ἐπ᾽ ἀμφοτέραις ταῖς ἰγνύαις*. Sed *λογισμοὺς* ea vere intelligi consentiunt critici Hebræorum. Est igitur venustissime dictum. Atque ego te supplex oro, Domine Jesu, ut in via veritatis gressus meos firmes meorumque, et des grata tibi sentire et facere. Amen.

*Eid. Mai.* Ne hoc quidem die multum promovi. Deus det meliora. Amen.

XVII. *Kal. Jun.* Τὰ *ἐγκύκλια* utcunque. Θεῷ *χάρις*. Amen.

XVI. *Kal. Jun.* Hodie uxor ad sacram synaxim cum meliore parte familiæ ivit pedes, rediitque

curru amici vecta. Ego in studiis fere melioribus egi. Deo laus, honos, et gloria. Amen.

XV. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque: Deo laus et honos. Amen.

XIV. *Kal. Jun.* Studia, amici, nugæ. Deus meliora. Amen.

XIII. *Kal. Jun.* Studia fere neglecta ob morbum ex stultitia. Deus det mentem ad omnia sufficientem. Amen.

XII. *Kal. Jun.* Ne nunc quidem ad studia satis rediimus. Deus nos regat. Amen.

XI. *Kal. Jun.* Neque nihil, neque multum. Deus benedicat. Amen.

X. *Kal. Jun.* Uxor hodie rus est profecta, quam, Domine, serva euntem, rusticantem, redeuntem. Amen.

Preste un vieux Synagoga Jud. a Holmes.

IX. *Kal. Jun.* Deo Opt. Max. grates maximæ, quod ad sacram synaxim hodie sum profectus, et per obscenam tempestatem pedes ivi, redii ἀπήμαντος, concione magna cum voluptate audita, accepto etiam de uxore nuntio. Iterum tibi, Domine, gratias. Tu nos serva. Amen.

VIII. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Deo laus et honos, qui me, meam et meos serva. Amen.

VII. *Kal. Jun.* En veteres curæ redeunt. Uxor remissura hodie filium non remisit. Itaque sum sollicitus de utroque. Sed tu, Domine, nos servabis. Amen.

VI. *Kal. Jun.* De uxore sum liberatus cura et rediit filius. Deo laus. Amen.

V. *Kal. Jun.* De uxore nuntium accepi; cum Cardinali Perronio fui rogatu ipsius, non infeliciter, ut spero. Deum supplex veneror, servet me, meam ac meos. Amen.

IV. *Kal. Jun.* Uxor Dei beneficio hodie rediit. Laus Deo. Amen.

III. *Kal. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Jun.* Filius ad sacram σύναξιν ivit: nos domi remansimus. Deus omnium animis veram pietatem insinuet, et verum sui timorem. Amen.

*Kal. Jun.* Quod mensem inchoaverimus, Deo laus, honos et gloria. Atque idem pro sua bonitate det mihi, meæ, et meis absolvere. Amen.

IV. *Non. Jun.* Qui per aliquot menses de uxoris valetudine lætatus eram, repentino ejus morbo non leniter sum perculsus hodie. Spero tamen omnia bene cessura, et ut ita sit Deum Opt. Max. supplex oro per Dominum Jesum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

III. *Non. Jun.* Gratias tibi, Deus, quod uxor meliuscule habere videtur. Perfice quod superest, O Deus. Amen.

*Prid. Non. Jun.* Uxor Dei beneficio melius hodie. O Domine, serva hanc domum. Amen.

*Non. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια, τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

VIII. *Eid. Jun.* Paucas horas studiis dedimus,

reliquum tempus omne literis scribendis, et amicis visendis. Habemus in animo ego atque uxor, si Deus volet, cras ad sacram σύναξιν et Domini cœnam proficisci, atque inde villam visere. Tu, Deus æterne, serva et nos qui paramus ire, et eos qui sunt mansuri per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos, et gloria. Amen.

VII. *Eid. Jun.* Imus, Domine, etsi afflictissima valetudine usa uxor est per totam noctem. Sed tua bonitas vires dat et dabit. Amen.

VI. V. *Eid. Jun.* Post diei unius rusticationem domum summo mane sum reversus, relicta uxore ruri, quam, O Domine, serva, qui servasti hactenus, et nos omnes cum illa per Jesum Christum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus et gloria εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

IV. *Eid. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια quantum per amicos licuit et non amicos; nam utrique nobis incommodarunt. Deus nos servet et nominatim τὴν φιλτάτην. Amen.

III. *Eid. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Sollicitudo de uxore, quam, O Deus, serva, et nos cum illa. Amen.

*Prid. Eid. Jun.* Rediit uxor tuo, O Deus, beneficio: tibi honos, et gloria, qui et illam serva et nos omnes per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

*Eid. Jun.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Τῷ Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Jul.* En veteres angores meos. An-

gitur enim uxor dolore capitis, et gravissime cruciatur. Tu, Domine Jesu, illam subleva, nos respice. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Deum immortalem! Qualem sum expertus noctem præteritam. Uxor e dolore, ego ὑπὸ τῆς συμπαθείας miserrime perpetuam noctem sumus cruciati. Da, Deus æterne, meliorem hanc per Jesum Christum Filium tuum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto honos, laus, et gloria. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια aliquantum. Τῷ Θεῷ χάρις.

XV. XIV. *Kal. Jul.* Neque nihil, neque multum. Deus benedicat. Amen.

XIII. *Kal. Jul.* Notas in Æneam, toties intermissam opellam, hodie absolvi. Gratias tibi, Domine Jesu. Amen.

XII. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια leniter. Te, Deus æterne, veneror, des exitum molestissimi laboris videre, et mihi, uxori, liberis, sorori et quidem omnibus meis benedicas. Amen.

XI. *Kal. Jul.* Ad sacram σύναξιν hodie sum profectus cum parte familiæ. Deo laus sit, gloria, et honos. Amen.

X. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, et cum Molinæo ministro graves et grati sermones. Deus pietatem nos doceat veram, aut potius in ea firmet. Amen.

IX. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια ἱκανῶς. Deo laus, honos, et gloria. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Etiam hic dies per summum Dei

Opt. Max. beneficium querelis caret. Datus enim est studiis, et cum uxore atque amicis συνουσίαις jucundis. Tu, O Deus æterne, hæc otia nobis facis: tibi honos, laus, et gloria. De cætero da, ut tuum nomen timeamus ego, uxor, liberi. Amen.

VII. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια et aliæ curæ, ac de meis rebus ad Frontonem in aulam literæ. Deus benedicat. Amen.

Preste au Polandis Atlas Mercatoris.

V. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, et dies varie positus. Tu, Domine, serva nos ἀπημάντους ad tui nominis gloriam. Amen.

IV. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια ut die sacro; etsi ad sacram σύναξιν ipsi non ivimus, sed pars familiæ. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

III. *Kal. Jul.* Versionem Æneæ describere hodie absolvimus. Ita properamus ad finem hujus editionis. Sed tu, Domine, da finem lætum videre. Da tibi serviamus ego, uxor, liberi, soror, et omnes. Amen.

*Prid. Kal. Jul.* Pauca hodie: nam amicis fere diem hunc dedi. Deus nos servet, qui servavit adhuc. Amen.

*Kal. Jul.* O Domine, qui dedisti inchoare, da perficere hunc mensem, et in timore tui nominis nos firma. Amen.

VI. *Non. Jul.* Literæ ad amicos. Deus det proficere in studio virtutis et veræ pietatis. Amen.

v. *Non. Jul.* Nihil, nisi literas ad amicos. Deus det sui timorem. Amen.

iv. *Non. Jul.* Et hodie amici varie subripuerunt. Deus det veram pietatem. Amen.

iii. *Non. Jul.* Ad sacram synaxim hodie profectus Ferrerium hominem eloquentissimum audivi. Deus det suæ ecclesiæ fideles pastores. Amen.

*Prid. Non. Jul.* Chronologiam Polybianam hodie sum aggressus. Deus ceptis benedicat.

*Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui peccata nostra nobis condonet. Amen.

viii. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια si per amicos liceret. Θεῷ χάρις, qui uxorem rus hodie profectam servet, et nos omnes. Amen.

vii. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια· Deus ceptis adsit, et me, meam, et meos servet. Amen.

vi. *Eid. Jul.* Parum hodie profecimus; nam et valuimus parum belle. Deus servet me, uxorem et universam domum. Amen.

v. *Eid. Jul.* Pene intermissa studia ob ἐπισκέψεις amicorum. Hodie accepi ἀργύρωμα quod ὁ μακαρίτης Scaliger testamento legavit. Erit cimelium vita charius ob memoriam viri maximi. Dominus det mihi et meis virtutes illius imitari et nos servet omnes; οὐχ ἥκιστα δὲ uxorem. Amen.

iv. *Eid. Jul.* Ad sacram σύναξιν hodie profecti non sumus. Deus ignoscat, et mihi, meæ ac meis benedicat.

iii. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια negligenter, quia domo

fere totum diem afuimus. Deus uxorem reducem sistat; et nos omnes servet. Amen.

*Prid. Eid. Jul.* Deo Opt. Max. laus et honos. Uxor hodie rediit salva et læta. Tibi, Domine Jesu, gratias ago, et, ut nos serves, oro. Amen.

*Eid. Jul.* Nunc sane properamus in incepto. Deo laus et honos.

XVII. *Kal. Aug.* Hodie cepta edi præfatio ad Polybium, quam ut absolveremus nondum aliæ curæ permiserunt. Tu da, Deus æterne. Amen.

XVI. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui nos servet. Amen.

XV. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque, Deus ceptis benedicat. Amen.

XIV. *Kal. Aug.* Ad sacram synaxim filius ivit. Deus Opt. Max. huic domo benedicat. Amen.

XIII. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Deus benedicat. Amen.

XII. *Kal. Aug.* Hodie fere dies periit. Dominus huic domo benedicat et nos servet. Amen.

XI. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Amen.

X. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed a literis me avocat creditor sororis, pro qua fidem interposui meam. Deus ades. Amen.

M. Calignon Hieron. Gr. MS.

IX. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις. Sed, O Domine, ades, et curis me libera. Amen.

VIII. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια omissa per occasionem, et erat alias dies festus. Te, Domine, supplex oro, adsis mihi, me regas. Amen.

VII. *Kal. Aug.* Diem cultui divino consecratum ut bene collocaremus, ad sacram synaxim sumus profecti, et quidem pedibus per tempestatem obscenissimam. Multum sumus compluti, multum sudavimus. Sed erat tanti. Nam præter communem piis caussam, quia superiore die Dominica non interfueram concioni Dominicæ, stimulavit me memoria evasionis e summo periculo ante annum et paucos dies, cujus diei memoriam ut recolerem, et Deo gratias agerem, feci lubens, ut illuc irem. Deo Opt. Max. honos, laus et gloria. Amen.

VI. *Kal. Aug.* Mane aliquid: hoc solum. Deo laus. Amen.

V. *Kal. Aug.* In recognoscendo indice Polybiano diem totum posui. Deus nobis et nostris benedicat. Amen.

IV. *Kal. Aug.* In pertexenda Chronologia Polybiana pars magna diei posita. Tu, Domine, da finem videre molestissimi laboris et tibi servire. Amen.

III. *Kal. Aug.* In Chronologia occupati finem attigimus. Deo laus et honos. Amen.

*Prid. Kal. Aug.* Ad finem imponendum operi instituto me comparo. Sed, O Deus salutis meæ, tu me adjuva. Amen.

*Kal. Aug.* Quod bene vertere Deus velit faxitque, ad reliqua pensi admodum molesti nos accingimus: cujus finem videre det Dominus Jesus, qui et uxorem hodie rus euntem et nos omnes servet.

IV. *Non. Aug.* Pars familiæ Hablonem ivit. Ego varie occupatus hæsi. Tu, Deus, ades. Amen.

III. *Non. Aug.* In incepto aliquid promovimus. Domine Deus, da perficere, et me, meam, ac meos serva. Amen.

*Prid. Non. Aug.* Domine Deus, curis obruimur, neque hilum proficimus: tibi vota facimus.

*Non. Aug.* Et nunc obruimur, Nam curæ curas excipiunt, nec finis ullus. Sed omnis mea spes in te, O Deus. Amen.

VIII. *Eid. Aug.* Hodie uxor sacræ interfuit concioni. Ego in penso fui assiduus, et promovi nonnihil: denique unicum superest caput tractandum, quod quum sit omnium gravissimum, tua cum primis, O Deus, ope opus. O ades. Amen.

VII. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια in molesto penso, nec multum promovimus. Deus, ades, da perficiendi facultatem. Amen.

VI. *Eid. Aug.* Totum diem misere fui impeditus. Itaque nihil agimus, et eo acrius opem tuam, O Deus, te oramus. Amen.

V. *Eid. Aug.* Dei beneficio sacræ synaxi hodie interfui. Deus det in pietate proficere et me et meos. Amen.

IV. *Eid. Aug.* In instituto aliquid hodie. Sed quando finem videbo? A te, Deus æterne, hoc beneficium expecto. Amen.

III. *Eid. Aug.* Ne hic quidem dies periit inutilis: sed restant multa: et te, Domine, respicimus, a te opem petentes. Amen.

*Prid. Eid. Aug.* Et hoc die aliquid. Domine, ceptis ades, et da absolvere. Amen.

*Eid. Aug.* Etiam hoc die aliquid. Sed totum fere diem afui, et multa restant, quæ ut des pertexere, Domine, supplex te oro; atque ut in pietate me, meam, et meos serves. Amen.

XVIII. *Kal. Sept.* Aliquid hodie, sed non multum. In te, O Domine, spes omnis mea. Amen.

XVII. *Kal. Sept.* Aliquid et hodie, licet maximam diei partem domo abfuimus. Deinde aliam opellam sumus aggressi paucarum horarum si vacaret. Deus nos servet. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Aliquid, imo multum, hodie in altera hac opella, et jam, nisi fallor, portum tangimus. Laus Deo.

XV. *Kal. Sept.* Male hodie valuimus, clystere corpus juvimus, et profecto languor nos occupat. Sed in te, Domine, vires recipiemus. Amen.

XIV. *Kal. Sept.* Hodie melius valuimus. Tibi, Domine, tibi gratias. Amen.

XIII. *Kal. Sept.* Domine Deus, jam videor otiari incipere: jam delicias gusto, quas libera vita affert. Sed tu, Deus salutis meæ, ades nobis. Amen.

XII. *Kal. Sept.* Sane otiari incipio a penso pene jam prœlis emisso; sed alias formido curas molestissimas: quæ me admonent, ut in tua, O Deus, sola benignitate solatium ponam. Hodie obiit Josephus Quercetanus medicus clarissimus, et obiit in purioris religionis confessione con-

stans. Da, O Deus, vivere, morique bene. Amen.

XI. *Kal. Sept.* Uxor rus est profecta, quam tu, Deus æterne, serva, et reduc. Amen.

X. *Kal. Sept.* Ad sacram synaxim hodie sum profectus Dei beneficio, cui me, meam et meos supplex commendo. Amen.

IX. *Kal. Sept.* Aliquid hodie fecimus, etsi non multum. Deus mihi, meæ, et meis adsit. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Jam vacare incipimus, et nihil agimus. Hoc die accidit ut quum exspectarem uxorem e rure, adveniens summus amicus Josephus Mercerus narraret illam non venturam. Repente ita iratus sum, ut verba exciderint ἀπευκτὰ præter morem et voluntatem. Miserum me! qui tam grandis natu elementa sapientiæ nondum didici. Deus Opt. Max. ignoscat mihi, illam servet et nobis ac nostris det in vera pietate, vera sapientia et omnibus virtutibus proficere. O exaudi, Domine, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto honos, laus et gloria. Amen.

VII. *Kal. Sept.* Errata vel mea vel operarum in Polybio colligere hodie cepi, nedum absolvi. Deus errores vitæ meos et meorum corrigat. Amen.

VI. *Kal. Sept.* Jam incipit esse longa uxoris expectatio, quam Dominus reducat et nos servet Amen.

Presté a M^r. l'Amb. d'Angl. Chronicon Eusebii, edit. Scal.

v. *Kal. Sept.* Uxor rure hodie est reversa, sed minus belle habens. Sanabitur, spero, tua ope, O Deus. Hic vero dies finem imposuit Polybianis meis curis, primæ certe partis. Quo nomine, Deus æterne, optime, maxime, quas ego tibi gratias agam? Plures jam in eo opere fueram occupatus, et erat onus jam grave. Quod illi non succubuerim, quod etiam inter gravissimas curas, et luctus etiam, dederis finem imponere, tuæ hoc est, O σῶτερ, benignitatis, tui muneris. O da, Pater cœlestis, ut hac cura liberatus alia agam, quæ ad nominis tui gloriam referantur, ad ecclesiæ tuæ ædificationem, ad salutem meam et meæ ac meorum, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

iv. *Kal. Sept.* Nihil serio: multa impedimenta: multa a literis avocamenta : illud τεράστιον quod mihi accidit. Italus quidam venit ad me, qui se ministrum Regis Hispani dicebat. Ait se velle de re secreta mecum agere. Ingreditur museum, incipit proloqui, et me suspensum tenet, quid velit. Peto dicat, quid me velit. Tandem cunctabundus arcanum profert, et ait velle se a me impetrare ut diaboli familiaris (horresco referens) per me fiat sibi copia, velle enim se non mali finis caussa, sed curiositatis tantum gratia consequi. Obstupui, steteruntque comæ, et hominem corripui, atque ad sanam mentem revocare sum conatus. Cum in his essemus, superveniunt Cap-

pucini duo (M. Emanuel Cappucinus cum socio), viri simplices et linguarum valde studiosi. Ille Italus me reliquit: ego rem illis narro, et anxietate liberatum me gaudeo quam sum expertus, quamdiu solus cum illo furioso in meo museo fui. Dominus respiciat imperitos veræ pietatis, et eos suas vias doceat. Amen.

Iste Italus dixit se fuisse Romæ, tota Italia, Coloniæ, ibi vidisse Cardinales inter alios, qui aut delenirentur artibus curiosis, aut paterentur alios deleniri.

III. *Kal. Sept.* Ad sacram synaxim hodie sum profectus, et Gigordum ministrum Mompeliensem pie docentem audivi. Laus Deo Opt. Max.

*Prid. Kal. Sept.* Noctem superiorem pene insomnem egimus, ob gravissimam uxoris valetudinem. Domine Jesu, medere nostris malis, et illam sana pro tua infinita misericordia. Amen.

*Kal. Sept.* Deum veneror, ut, qui dedit exigere priores anni hujus menses, det hunc feliciter inchoare, feliciter perficere, et conatibus nostris in procurandis familiaris rei commodis adsit, detque ita humana curare ut ante omnia *τῶν οὐρανίων ἀπρὶξ ἐχώμεθα*. Amen. Interim quod uxor hodie purgata melius habet, immortales tibi, O Deus, ago gratias. O serva hanc domum. Amen.

IV. *Non. Sept.* Nihil prorsus hodie. Deus regat, servetque hanc domum. Amen.

III. *Non. Sept.* Paucas hodie ad amicos in Germaniam epistolas. Deus det rectam et firmam mentem.

*Prid. Non. Sept.* Etiam hodie aut nihil, aut literas ad amicos. Θεῷ χάρις.

*Non. Sept.* Ne hodie quidem aliud quidquam egimus, nisi quod literis scribendis et amicorum colloquiis vacavimus. Deus respiciat hanc domum. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Dies erat Deo sacra, et præterea celebratione S. Cœnæ celebris. Quum præcedentem noctem uxor charissima per cruciatus perpetuos egisset, non putabam vel cogitandum esse me posse tanto beneficio frui. Sed uxor pietatis respectu omnes dolores oblita, et me hortata est, ut ne differrem, et ipsa magna cum mea admiratione decrevit ad sacram synaxim ire. Ivimus, ἐκοινήθημεν, rediimus. Deo Opt. Max. laus immortalis. Quod superest, te, Deus æterne, oro per Dominum nostrum Jesum Christum, ut misere afflictam respicias, et cruciatus capitis illi leves. O exaudi, Deus Opt. Max., per Dominum Jesum, cui una tecum et Spiritu Sancto laus, honos et gloria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

VII. *Eid. Sept.* Uxor bene, certe melius valuit. O quas ego tibi, Domine, gratias agam? Te celebrabo, tuum nomen prædicabo, sicut æquum et justum est. Amen.

VI. *Eid. Sept.* Ad sacram synaxim cum filio Johanne sum hodie profectus Dei Opt. Max. beneficio, qui pro sua infinita bonitate uxorem sanet, ac nos servet. Amen.

V. *Eid. Sept.* Noctem præteritam inter gemitus

et lacrymas egi ob morbum uxoris charissimæ et εὐσεβεστάτης. Illa familiari sibi morbo capitis ita est cruciata sine ulla intermissione, ut ambo mortem tantis ærumnis libenter essemus prælaturi. O Pater, O Deus immortalis, sublevamisellam, et respice languentem, et jam cruciatibus tantis imparem. Sana illam, aut dolorem illam inter et me partire. Denique respice nos et lamentabilem hanc domum solare. Dele peccata in nobis, da vivere vitam tibi gratam, et sine perpetua hac cruce quod superest vitæ exigere. Scimus, Domine, et fatemur ex animo meritam esse illam, meritum me præcipue, μυριάκις graviora his mala. Sed si sumus indigni, quos respicias, digna tamen bonitas tua quam omnes mortales celebrent. Et, O Deus, respice nos, non quales sumus in nobis, verum quales sumus Christo tuo ἑνωθέντες, ut corporis illius membra. O exaudi, Deus æterne, preces meas ex animo humillimo proficiscentes et contrito, atque uxorem jube valere bene aut saltem melius, et semper velle nos, quæ tua Majestas voluerit. Oro, obsecro, veneror per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen. Non possumus prætermittere ἀνεπιστάτως tempestatem præsentem cui similem nullam recordantur peritissimi viri hujus aëris et climatis. Nam ab eo die qui dicitur de la S[t]. Jehan ad hunc diem nulla prorsus sine pluvia præteriit dies. Fuere

qui dicerent quoniam pluisset die sacra memoriæ nescio cujus divi, fore ut per continuos deinceps dies plueret. At jam ex eo tempore non quadraginta sed amplius quinquaginta lapsi dies et adhuc cælum ita horridum, ut nunc demum videatur initium habere pluvia tempestas. Itaque exspectamus, quid erit futurum. Futurum id certe scimus, quod Deus jusserit.

IV. *Eid. Sept.* Nihil prorsus hodie egimus; non librum saltem aspeximus. Deus det sui timorem. Amen.

III. *Eid. Sept.* Nihil ne hodie quidem. Deus, ades. Amen.

*Prid. Eid. Sept.* Rus hodie ego et uxor proficiscebamur. Tu, Deus æterne, nos serva. Amen.

*Eid. Sept.*, XVIII. *Kal. Oct.* Hodie sum rure reversus; sed non integer. Partem enim mei ibi reliqui, optimam uxorem, quæ propter morbum cogitur ad tempus ἀποδημεῖν. Ego ibi casu ægrotavi; sed beneficio Dei sanior sum reversus. Te, Deus æterne, veneror, serves uxorem, me, et meos omnes, per Jesum Christum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

XVII. *Kal. Oct.* Hodie Cancellario oblatus est a nobis Polybius, quem gratissimo animo suscepit. Dedimus et aliis Proceribus. Deus benedicat, et ad sui nominis gloriam omnia dirigat. Amen.

XVI. *Kal. Oct.* Nihil aut parum! et spes regia labascit, ut sunt hodie mores. In Deo spes omnis

mea. Ille pro sua bonitate meam servet, me, et meos. Amen.

XV. *Kal. Oct.* O vitæ hujus τὰ κενά. Nam quid ago? Certe nihili, et inutilis vivo. Aulicus enim sum factus, et jam dies aliquot nugas ago. Domine, da meliora et me serva, meam, ac meos. Amen.

XIV. *Kal. Oct.* Male habebamus hodie, et graviora metuebamus. Sed aderit, spero, Deus. Ad Ronium profecti hodie ὑστερήσαμεν τοῦ καιροῦ. Ab uxore literas accepimus, quam nobis, O Deus æterne, serva, et me ex istis molestiis aulicis libera. Amen.

XIII. *Kal. Oct.* Noctem per magnos cruciatus egi. Dies paullo commodior; et non neglecta cura valetudinis, etiam adhibita φλεβοτομία. Deus et me et uxorem sanet, et ceptis benedicat. Amen.

XII. *Kal. Oct.* De valetudine cur tibi, O Deus, gratias habeam agamque, caussa est. Accedit beneficium insperatum, quod uxor audita valetudine mea statim accurrit. O tu illam, Domine, sana, et nos pietatem doce. Hodie in arcem iveram, ut Polybium Regi offerrem. Postea consilium amicorum fuit ut differrem donec Rex rediisset. Nos ita a Deo pendemus ut omnia ab eo speremus, aliunde nihil. Non confundet nos, scio, spes ista. Amen.

XI. *Kal. Oct.* Literæ et valetudinis cura me diem totum tenuerunt. Θεῷ χάρις.

x. *Kal. Oct.* Metaphysicis studiis mane est impensum: deinde amici totum diem eripuerunt. Deus servet corpus et animum ἀπήμαντον mihi ac meis. Amen.

ix. *Kal. Oct.* Amici vix respirare me sinunt. Itaque perit tempus miserrime. Sed parum hoc, si modo reliquæ vitæ Deus benedixerit: quod, O Deus, facito. Amen.

Hodie Petro τῷ τροφεῖ Merici 200 fere ll. datæ mutuo; quæ utinam bene sint collocatæ. Perierunt.

viii. *Kal. Oct.* Ad sacram synaxim hodie sum profectus: deinde amici nos habuerunt. Θεῷ χάρις.

vii. *Kal. Oct.* Neque mane neque a prandio meus fui. Deus me et meos respiciat. Amen.

vi. *Kal. Oct.* Quod Deus consilium fortunet, ego, uxor, et universa fere domus hodie rus proficiscimur ad dies aliquot. Utinam et ibi veræ pietatis memores semper vivamus, et reversi ad omnia pietatis officia ego et omnes mei nos comparemus. Deum veneror, ita velit esse per Jesum Christum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

Presté aujourdui a Monsr. Hubert ma charte Geographique Turquesque. Presté a Monsr. Estienne le Thesorier mon comment. en le premier et 2 tomes de Baronii Annales.

v. *Kal.—Prid. Non. Oct.* E rure huc excurrimus. Quantum refecti simus hac rusticatione, quantum tibi, Domine, debeamus, ne exprimere

quidem verbis queam. O fac, Deus æterne, ad gloriam tui nominis omnia referantur, et otia et negotia. In hoc secessu oblata occasione usus sum discendi linguam Anglicam, in quo studio nactus eximium præceptorem et accurate doctum tantum paucis horis profeci, ut videar mihi posse aliquid assequi mediocri labore. Sit utinam fausta hæc accessio ad nostra studia. Me certe nihil æque stimulavit, quam quod sciebam et Rainoldum et alios summos Theologos in ea lingua multa exquisite scripsisse. Deus benedicat et universæ domui et studiis per Jesum Christum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus et gloria. Amen.

*Non. Oct.* Quod Deus fortunet, rus redimus ego atque uxor. Tu, Domine, ceptis et consiliis benedice. Amen.

XIII. *Kal. Nov.* Hoc demum die rusticationi finem imposuimus, et urbem repetiimus. Tibi, Domine Jesu, gratias agimus, quod profecti urbe ἀπήμαντοι, ἀπήμαντοι rediimus. Da nunc novis viribus refectis in procurationem τῶν πρὸς τὴν σὴν δόξαν συντεινόντων strenue incumbere. Dum rure sum, aliquot saltem horas quotidie melioribus literis et linguæ Anglicanæ dedi. Regem etiam adii ad Fontem Ebledi profectus, et Polybium illi obtuli. Sum exceptus a maximo nunc Regum humanissime, benignissime: sed meum opus ita est exceptum, ut par erat ab eo suscipi qui literarum est τελέως rudis. Culpa fuit et quidem

insignita τοῦ τὴν σφραγῖδα κατέχοντος, qui egregie mihi fucum fecit. Nam qui receperat sexcenties se de ea re cum Rege verba facturum ne γρὺ quidem illi dixerat. Quid multa? Vanitatem aulæ et rerum humanarum vidi ac risi, lætus interim quod eodem plane tempore Rex Angliæ suam benevolentiam publice mihi significandam curaverit. Ego me, meos, et meam, tibi, Deus æterne, permitto et committo. Tibi in τρισαγίᾳ trinitate uni Deo sit honos, laus et gloria. Amen.

XII. *Kal. Nov.* Vix rediimus, et molestias urbanas diversi generis experiri incipimus. Deus, ades. Amen.

XI. *Kal. Nov.* Siquando amici nos acervatim inviserunt, certe hodie. Deus omnia regat. Amen.

Presté a M. Arpennius Proverbia Arab. cum interpr. Scal. item folia Arabica ex versione Merceri; item τύπους declinat. Arabicarum.

X. *Kal. Nov.* Ne hodie quidem melius nobiscum est actum. Deus, ades. Amen.

IX. *Kal. Nov.* Nihil, nihil. O libera me, Deus.

VIII. *Kal. Nov.* At dies certe hodiernus non periit, quo audivimus Durandum pastorem de divina et humana Christi natura erudite in cœtu piorum disserentem. Deo laus, honos et gloria. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Deum immortalem! Quis me liberabit ab his molestiis? Nam dies toti sine ulla exceptione mihi pereunt, et quidem ab iis occupati qui σκευωρεῖν ἡμετέραν τὴν πίστιν cupiunt.

Tu, Deus æterne, firma animum meum in via veritatis. Amen.

VI. *Kal. Nov.* Plane exulis vitam ago. Exulo enim dies totos a libris. O Deus, meliora. Amen.

V. *Kal. Nov.* O ærumnas! Ego nihil ago: uxor hodie rus profecta. Quid cætera enumerem? Itaque te respicio, O Deus, qui me firma in amore veritatis. Amen.

IV. *Kal. Nov.* Ad priores cumulus accessit, qui ne me tandem obruat, cautio est: idque ne fiat, te, Deus æterne, veneror, et supplex oro. Amen.

III. *Kal. Nov.* Hodie et paucas horas studiis dedi, et paucas item negotiis: frustra: et Deus benedicat. Amen.

*Prid. Kal. Nov.* Minus hodie valuimus, et domo non exiimus. Sed non defuerunt qui averterent. Θεὸς ἐλεαίροι. Amen.

*Kal. Nov.* Deus bene vertat, diem hodiernum bene posuimus, et sacram concionem utramque audivimus cum universa familia, quæ quidem hic adest. Nam uxor interim rusticatur; quam, et nos cum illa, ac nostros omnes tu serva, Deus æterne. Amen.

IV. *Non. Nov.* Dies hic certe benignitate tua, Domine, erga me ac meos est insignis. Nam qui nuper vidissem non sine animi morsu munus meum a Rege satis, uti interpretabar, frigide excipi, hodie reapse sum expertus, quam gratum illi hoc fuisset. Mane enim per D. de Gourges libellorum supplicum magistrum mille aureos

sive librarum 3000 in sericea crumena ad me misit non sine honore verborum. Tibi, Deus Opt. Max., tibi hoc ego beneficium fero acceptum. Debeo et Regi, quem voluisti studia mea fovere. Meum est pro tanto beneficio tuum nomen dies noctesque celebrare, et omnes rationes diligenter quærere probandi animum meum Regi et quibuscunque potero rebus illi inservire. Da, Pater ἐπουράνιε, mihi, da meis ut in vera pietate, quæ fons est omnium officiorum quotidie proficiamus, per Dominum nostrum Jesum Christum, cui una cum Deo Patre et Deo Spiritu Sancto τῇ παναγίᾳ ἐν τριάδι μονάδι sit laus, gloria et honos. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* Uxor hodie rediit, et me graviter ob ipsius absentiam mœstum mirifice recreavit. Deo meo laus et honos εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

VII. *Eid. Nov.* Etiam hodie multum temporis et quidem matutini amisi. Sed, Deus, ades. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Quum universæ Galliæ ecclesia jejunium celebraret sacræ συνάξει interfuimus, et tres conciones audivimus, incredibili omnes cum voluptate, Molinæi, Faucherii, et Durandi, qui quidem cum omnia ad diei circumstantiam aptaret mirifica industria et pietate sic me affecit, ut vix apud me essem. Itaque periculorum quæ mane eramus experti ego atque uxor in pessima navicula facile obliti, hoc Deum oravimus ut similis solennitatis dies plures in anno agere liceat. Atque utinam cum fructu nostro hujus

tanti beneficii simus facti participes. Ita Deus Opt. Max. velit, cui una cum filio ipsius Domino nostro Jesu Christo et Spiritu Sancto sit laus et honos εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

V. *Eid. Nov.* Pauca hodie, sed aliquid tamen. Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Nov.* Cur ad synaxim hodie non irem caussæ fuerunt plures. Sed male cessit. Nam a prandio habuit me vir quidam, optimus ille quidem, sed incredibiliter fervens cupiditate traducendi me ad alias partes, qua in re tam strenue operam ponit, ut jam nullam amplius sperare quietem queam. O molestias omni cruciatu molestiores! Tu, Deus æterne, serva me et meos in timore tui nominis et vera pietate. Amen.

III. *Eid. Nov.* Aliquid hodie, etsi non multum. Deo laus et honos. Amen.

*Prid. Eid. Nov.* At hodie nihil, et plane crucem passurus sum ab istis interpellatoribus curarum. Deus det meliora. Amen.

*Eid. Nov.* Hodie aliquid Dei beneficio, cui sit laus. Amen.

XVIII. *Kal. Dec.* Aliquid hodie. Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Dec.* Parum, aut nihil. Deus, ades.

XVI. *Kal. Dec.* Non alia, imo deterior fortuna hujus diei. O ades, Domine. Amen.

XV. *Kal. Dec.* Ne hodie quidem ad sacram synaxim sum profectus ob tempestatem obscenissimam. Deus hanc domum protegat. Amen.

XIV. *Kal. Dec.* Aliquid hodie, quum summo

mane surrexissem. Sed partem magnam diei afui. Deus, ades. Amen.

XIII. *Kal. Dec.* Aliquid hodie, sed minimum illud quidem. Deus, me respice et meos. Amen.

XII. *Kal. Dec.* Aliquid, etsi non multum. Deo laus. Amen.

XI. *Kal. Dec.* Aliquid hodie: non enim exii: sed uxor, ex negotio rus est profecta quam Deus serva et totam domum. Amen.

X. *Kal. Dec.* Aliquid, etsi non multum. Deus, ades. Amen.

IX. *Kal. Dec.* Hodie aliquid Dei beneficio, qui nos respiciat. Amen.

VIII. *Kal. Dec.* Ad sacram synaxim pene universa domus est profecta, uxore excepta, quæ abest, et me, qui varie sum impeditus. Deus nos respiciat, et verum sui timorem nobis largiatur. Amen.

IX. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed de uxore solliciti admodum esse incipimus. Deus nos omnes servet. Amen.

Hodie Tacitum σὺν Θεῷ explicare institui.

VIII. *Kal. Dec.* Uxorem hodie expectabam, sed illa non venit. Deus reducat salvam et incolumem.

VII. *Kal. Dec.* Ne nunc quidem uxor venit, non sine aliqua sua culpa. Sed brevi, spero, reducet ipsam Deus. Γένοιτο, γένοιτο.

VI. *Kal. Dec.* Necdum venit uxor. Ἀδικεῖς, ὦ φιλτάτη. Nam hæc longior mora mihi moles-

tissima est. Sed benedicat huic domui Deus. Amen.

v. *Kal. Dec.* Venit ἡ φιλτάτη; eoque nomine magnas tibi, Deus æterne, gratias ago. Tibi honos et gloria. Amen.

iv. *Kal. Dec.* Aliquid mane hodie, sed parum, et a prandio nihil. Θεῷ χάρις.

Preste Menda a M. Heraud.

iii. *Kal. Dec.* Ad sacram synaxim ego atque uxor hodie sumus profecti. Deo laus et honos. Amen.

*Prid. Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

*Kal. Dec.* Deus ceptis benedicat. Mensem hodie inchoavimus, quem da, O Deus, absolvere mihi, meæ, ac meis ad nominis tui gloriam. Amen.

iv. *Non. Dec.* Ad Cardinalem Perronium hodie sum profectus accitu ipsius. Te, Deus, oro, adsis, verba suggeras, omnia dirigas ad tuam gloriam, ædificationem Ecclesiæ et salutem meam. Amen.

iii. *Non. Dec.* Deus liberet me ab his angustiis. Scis tu, Deus καρδιογνῶστα, quid me angat, et quam assidue vexer ob caussam religionis. Tu respice me, et mihi ac meis benedice per Dominum Jesum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et honos. Amen.

*Prid. Non. Dec.* Vix hodie egi aliquid. Tu respice nos, Deus æterne. Amen.

*Non. Dec.* Aliquid hodie. Θεῷ χάρις.

viii. *Eid. Dec.* Deo laus, honos, quod ad sacram synaxim ego, tota fere domus hodie ivimus. Ille

nos servet καὶ κατὰ ψυχὴν καὶ κατὰ σῶμα ἀπημάντους. Amen.

VII. *Eid. Dec.* Adhuc Theologica nos habent, ut possimus τοῖς ἐξ ἐναντίας respondere. Deus Opt. Max. adsit mihi, meæ et meis. Amen.

VI. *Eid. Dec.* Adhuc Theologica nos habent: atque utinam huic studio Deus Opt. Max. benedicat et cæteris quoque meis ac meorum. Amen.

V. *Eid. Dec.* Deus benedicat studiis hisce meis ad nominis sui gloriam et salutem meam. Amen.

IV. *Eid. Dec.* Apud Cardinalem Perronium hodie fui: multa de religione egimus. Testor tuum, Deus æterne, Numen, invitum me illud tempus perdere quod istiusmodi συζητήσεσιν impendo. Itaque quam sim ἄστρεπτος in re pietatis quotidie illis ostendo. Sed me necessitates graves huic conditioni alligant. Te supplex veneror, Deus immortalis, ut et animum et corpus serves ἀπήμαντον, per Jesum Christum Filium tuum μονογενῆ, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et honos ac gloria εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

III. *Eid. Dec.* Etiam hodie cum Cardinali gravissime contendimus. Tu, Domine Jesu, libera me ab his ærumnis. Amen.

*Prid. Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις.

*Eid. Dec.* Ad sacram σύναξιν pars familiæ ivit: pars remansimus. Deus Opt. Max. in timore suo nos velit firmare. Amen. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια leniter. Sed tu, Domine, nos respice. Amen.

XVIII. *Kal. Jan.* Hodie parum, quum ad D. Desdiguerium essem mane profectus. Certe nihil video in quo spem ullam ponam κρειττόνων nisi Deum unum, cui sit sine fine honos et gloria. Amen.

XVII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια· Deus me, meam, et meos servet. Amen.

Presté a M^r. Castraies Fr. Patricius sur Polyb. Castram.

XVI. *Kal. Jan.* Aliquid hodie, sed obruor curis: et Dominus nos sublevet. Amen.

XV. *Kal. Jan.* Hodie ad solita studia sum reversus omissis illis gravioribus in quibus ut possim majore otio degere, da, O Domine. Amen.

XIV. *Kal. Jan.* Vix paucas horas meas habui. O miserum me! Sed satis est, si timorem sui nominis Deus mihi et meis dederit. Amen.

XIII. *Kal. Jan.* Ad sacram synaxim Dei beneficio ivimus hodie ego atque uxor quum amicissimus Heraldus me rogasset ut filii recens sibi nati esse vellem ἀναδόχος. Deus et illi et nobis omnibus benedicat. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Ab illustrissimo Principe Anhaltino hodie vocati ad prandium ivimus, et aliquot horas amisimus. O vitam molestam! Illud vero molestius, quod quiescere nobis per eos non licet, qui σκευωρεῖν τὴν ἡμετέραν πίστιν satagunt. Hoc illud est, quod vitam nobis molestam reddit. Nam quæ est amentia velle nobis persuadere Ecclesiam illam suam non posse errare? Horret

animus ad illam vocem. Domine Deus, da exitum his molestiis. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Apud Cardinalem Perronium hodie fuimus sæpius ab eo acciti, et det Dominus omnibus in rebus voluntati suæ obtemperare. Amen.

X. *Kal. Jan.* Deus ceptis benedicat. In recognitione characterum Theophrasti et editione Suetonii dudum inchoata occupamur. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Jan.* O miserias! Hic tamen dies totus fere est occupatus, sed in nugis, et non ex animi sententia. Deus, ades. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Ad sacram synaxim profecti cum uxore Domini natalem celebravimus. Laus Deo. Amen.

VII. *Kal. Jan.* In Theologicis hodie sumus versati. Deus adsit, et nos regat, ac dirigat. Amen.

VI. *Kal. Jan.* Deo laus, honos, et gloria, qui dedit hodie mihi, uxori, sorori, et aliis meorum sacræ eucharistiæ fieri participes. Ivimus igitur et rediimus, etsi per obscenam tempestatem, et quidem pedibus, nec grave est visum. Iterum Deo laus. Amen.

V. *Kal. Jan.* Apud Cardinalem Perronium hodie fui, virum certe magnum; utinam bonæ semper doctrinæ propugnatorem. Illum Deus fingat promovendæ suæ gloriæ utilem, et nos omnes. Amen.

Presté a Mons[r]. de Moulin Velserus de Augusta, et Mariana de institutione Principis.

IV. *Kal. Jan.* Ad Suetonium recensendum hodie redii. Deus ceptis benedicat. Amen.

III. *Kal. Jan.* Et hodie Suetonius me habuit. Θεῷ χάρις. Amen.

*Prid. Kal. Jan.* Non multa hodie, ac pene nihil, ab amicis diem totum impeditus. Hæc nostra est conditio. Atque ita anno huic finem imposuimus. Quem annum, Domine, quod dederis exigere, quodque tot argumenta tuæ ἀφάτου bonitatis dederis experiri, quas ego tibi grates agam? Ubi aut quæ verba tuis paria meritis inveniam? paria dico? imo vero quis dabit mihi ut partem aliquam beneficentiæ tuæ verbis possim exequi? τί πρῶτον, τί δ᾽ ἔπειτα, τί δ᾽ ὑστάτιον καταλέξω; Valetudo mea, uxoris, et liberorum etsi aliquando titubaret, ab aliquot tamen mensibus sic satis commoda: studia non plane infeliciter procurata, et molesto labori finis ex parte impositus. Res familiaris, quæ prioribus annis tot clades acceperat, non solum non deterior facta, sed etiam munere haud pœnitendo Regis aucta. Denique quid potissimum querar, nihil habeo: absit dicto invidia. Tua nimirum, Deus æterne, tua inenarrabilis bonitas, benignitas, χρηστότης καὶ ἀνεξικακία hæc mihi, meisque bona præstitit. Quæ tuæ erga me ac meos clementiæ argumenta dum revoco ad animum, et me respicio, terrore corripior maximo ne longam patientiæ tuæ expectationem cum fœnore tandem ego ac mei luamus. Quid enim est in nobis, quod ulla ex parte tantis bene-

ficiis tuæ Majestatis, Deus æterne, respondeat? Friget zelus meus ac meorum, pietas lenta, opera bona plane nulla. Quid igitur sperare possumus, si nos et nostra respicimus? Nos vero, Domine, fatemur, profitemur, ac serio et ex animi interiore sensu agnoscimus nihil esse in nobis, nihil proficisci a nobis, aut omnino posse proficisci, quod ferre βάσανον tui conspectus valeat. Nos lutum et argilla sumus, nos παντοδαπῶν γέμομεν ἁμαρτημάτων. Si sumus ipsi nobis Suffeni, at extinguere tamen interiorem testem non possumus. Peccavimus igitur, Deus immortalis, peccavimus, et quotidie peccamus adversus te, et tua clementia aut venia sumus indignissimi. At nihilo secius tamen ad te confugimus, tuam opem imploramus, tuum nomen invocamus, te veniam supplices poscimus. O respice nos propitius, Pater ἐπουράνιε, Deus misericors, unica spei nostræ anchora. Da Majestatis tuæ ἀνεξιχνίαστον magnitudinem magis magisque in dies suspicere: da tuum nomen revereri: da puris animis te colere, et voluntate sincera adorare. Infige cordibus nostris tuorum beneficiorum memoriam. Fac jugi illorum recordatione ad novæ et melioris vitæ desiderium serio excitemur, te unum sitiamus; te unum quæramus; et quærentes inveniamus. Benedic animis corporibusque nostris: valetudinem bonam et vitæ necessaria præsidia indulge nobis, mihi, inquam, uxori, liberis et sorori meæ atque omnibus τοῖς ἐν γένει. Benedic ceptis et

consiliis nostris: serva mentem puram, et ab omnibus nos libera erroribus. Imprimis da hoc nobis, ut muneribus tuis utamur bene, iisque accendamur ad veræ pietatis amorem in dies vehementiorem. Nam quæ nos circumstent pericula, scis, Deus omniscie. Certe quod stamus, quod agnitam virtutem retinemus, totum hoc tui esse muneris, non virium nostrarum, ingenue agnoscimus: et hoc vel præcipue nomine tibi, Deus æterne, ego meique gratias agimus. Iterum igitur, iterumque, vel potius *μυριομυριάκις* tibi, Domine Jesu, grates gratissimæ, tibi, qui una cum Patre et Spiritu Sancto sine principio vivis, regnas, sine fine vives, regnabis. Amen.

*Κύριε βοήθει.* ANNUS DOMINI CIƆ IƆCX.

Quem quidem annum ut feliciter inchoemus, et ut ad finem lætum perveniamus, ego, uxor, liberi, soror et omnes mei, supplex ego te, Deus immortalis, per tuam ipsius misericordiam, per merita Jesu Christi *τοῦ μονογενοῦς* Filii tui, te supplex, inquam, veneror, et tuum adoro Numen. Nunc certe si unquam alias, et plus quam unquam alias, tuo mihi, imo meæ, et omnibus nobis opus est præsidio et subsidio. Nunc quippe eo devenimus ut *τοῖς πνευματικοῖς ἀγῶσιν ἐνδελεχῶς ὁμιλεῖν* cogamur. Non dies, non hora, non fere momentum ullum *ἀπὸ τῶν πειρασμῶν* conceditur vacuum. Neque vero cum iis antagonistis res est nobis quos aut negligere facile queamus aut

repellere. Cum maximæ dignitatis viris assidua nobis lucta. Cum illo ipso frequentes διαλέξεις cui sine controversia inter τοὺς ἐξ ἐναντίας par nemo doctrina, ingenio vix aliquis secundus. Supra omnes urget nos ille ipse qui in Galliarum regno est supra omnes, qui tot jam annos Dei voluntate alit fovetque nos, et hæc nobis præstat otia. Itaque eo res rediit, ut si voluntati ipsius pergimus resistere, gratia excidere et beneficiis carere debeamus. Quod si contigerit, quid restat nobis quo minus simus, κατ' ἄνθρωπον λέγω, omnium miserrimi? Quæ spes aut propinqua, aut longe posita? Nam equidem multo ante id futurum prospiciens, quod jamjam videtur eventurum, ut parum firma præsens hæc nostra conditio foret, omnia sum expertus quo possem in alium parietem me inclinare. Sed me spes, quæ erant ostensæ, omnes defecerunt. Me denique omnes deseruerunt, a quibus opem aliquam et auxilium, si ferrent tempora, stultus ego mihi eram pollicitus, imo vero ipsi magni maximique Principes ultro mihi fuerant polliciti. Accedit privatarum fortunarum status afflictus. Nam, ut alia taceam, sororis miseriæ quam me angunt? quæ tantæ sunt, ut Iro longe sit pauperior, spe omni rerum meliorum in æternum nudata, non quia illi non debeantur multa, sed quia recipiendi vel nummulum unum spes ipsi restat nulla, cum interim ad me adeatur ab iis quibus ipsa debet, ut taceam alia onera grandia, quæ ipsius cala-

mitas meis imponit humeris. Hæc sunt incommoda, quæ me urgent, e multis pauca, sed oppido gravia, imo omnium longe gravissima. De quibus quoties cogito, Deus immortalis, subit animum horror e metu, ne in hoc statu positus aliquid faciam, quod Numini Majestatis tuæ ter sanctæ displiceat, quod abominor, quod tota detestor mente: *πρίν μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.* O recipe me ad te, Domine, priusquam ullis succumbam tentationibus; quin potius succende pectus meum et omnium meorum nova subinde cupiditate veritatis tuæ cognoscendæ in dies magis magisque. Sint nobis levia *τὰ χοϊκὰ* aspirantibus ad cælestia: sit certa spes et fiducia opis tuæ quando erit opus. Deme mihi, deme et meis tenebras naturæ nostræ *συμφύτους*, ut cælesti luce tua illustrati Filium tuum *τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν* amplectamur, ita ut separari ab ejus dilectione non queamus. O ades, *Πάτερ ἐπουράνιε, ἐλέαιρε, ὁ Πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν*: solare, *ὁ Θεὸς πάσης παρακλήσεως.* Imperiti sumus. Tu nos doce. Infirmi sumus, et *τὸ μηδέν.* Tu firma et robora. *Ὀλιγόπιστοι* sumus. Tu da *πίστεως τῆς ἀληθινῆς πληροφορίαν.* Postremo quum scias, Deus æterne, omne humani cordis figmentum esse malum, aliud nihil, nostra ipse corda mundato, et mentibus nostris cæcis et depravatis gratias Spiritus tui infunde, et propter unum te, propter merita Filii tui *τοῦ μονογενοῦς*, qui pretioso sanguine suo nos redemit, *ὁδήγησον ἡμᾶς διὰ τοῦ Πνεύματός σου εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν*, saltem quantum

nobis satis erit ad procurandam pro virili nostra gloriam tuam, Ecclesiæ ædificationem et salutem nostram. O exaudi mea supplicis vota e corde sollicito manantia, et neque me, neque meos supra vires nostras tentari sinas per Dominum Jesum Christum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus, gloria et imperium *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Amen. Amen. Amen.

*Kal. Jan.* Inter amicos horas etiam matutinas, proh dolor, magna ex parte perdidimus. Da melius collocare, O Domine. Amen.

IV. *Non. Jan.* Magnam diei partem apud Cardinalem posui, bene an secus, nescio. Deum veneror, regat dicta, facta, cogitata mea et meorum. Amen.

III. *Non. Jan.* Ad sacram synaxim filius ivit. Ego in studiis theologicis quod fuit vacui temporis impendi. Deus me et meos regat. Amen.

*Prid. Non. Jan.* Apud Cardinalem hodie fui. Deus in amore veritatis et me et meos firmet. Amen.

*Non. Jan.* Τῷ Θεῷ χάρις, quod aliquid hodie etsi non multum. Deus meliora. Amen.

VIII. *Eid. Jan.* Hodie horas plures solito studiis impendi. Deo laus.

VII. *Eid. Jan.* Aliquid et hodie. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Jan.* At hic dies totus periit. Deus misereatur mei et meorum. Amen.

V. *Eid. Jan.* Totum fere diem apud Cardinalem Perronium egi, ejus accitu. Dominus dicta, facta,

cogitata nostra regat, et ad gloriam suam, salutem nostram dirigat. Amen.

IV. *Eid. Jan.* Ad sacram synaxim per obscenam tempestatem ire non potuimus: et titubat uxoris valetudo, quam tu firma, O Deus. Amen.

III. *Eid. Jan.* Aliquid hodie, etsi etiam mane valde occupatus. Deus benedicat mihi ac meis. Amen.

*Prid. Eid. Jan.* Aliquid hodie. Θεῷ χάρις.

*Eid. Jan.* Obruimur curis, et diversissimis quidem. Sed ades, O Deus. Amen.

XIX. *Kal. Feb.* Hodie adhuc Polybii exemplar unum dedi, et quidem amico homini sed nulla necessitudine mihi conjuncto. Itaque non tam sponte mea et ultro id fui, quam ipso postulante, et ut debitum exigente. Credo hunc esse quinquagesimum quintum librum a me donatum. En sortem duram eorum, qui grandes libros edunt. Nam quasi jure agitur a plerisque. Hic nempe studiorum meorum est fructus. Quin illud potius cogitandum, quanta Dei benignitas extiterit erga me, qui finem ejus editionis videre dedit. Illi honos et gloria. Amen.

XVIII. *Kal. Feb.* Aliquid, sed non multum hodie. Deus det meliora. Amen.

XVII. *Kal. Feb.* Aliquid hodie. Deo laus, gratia et honos. Amen.

XVI. *Kal. Feb.* Concioni sacræ hodie adfui, et incredibili cum voluptate inde sum reversus. O

Domine, firma et me, et meos, in studio veræ pietatis. Amen.

xv. *Kal. Feb.* Et sero surrexi, et partem maximam matutini temporis in quærendo libro Notarum in Euripidem et Sophoclem a Stephano editum frustra impendi. O jacturam temporis! O studia! Tu miserere, Deus.

Annot. in Eurip. H. Steph. amissæ, postea recuperatæ. D. b.

xiv. *Kal. Feb.* Aliquid hodie. Deo laus, et honos, qui nos regat. Amen.

xiii. *Kal. Feb.* Aliquid hodie, sed non multum. Deus det veram pietatem. Amen.

xii. *Kal. Feb.* Aliquid hodie. Deus Opt. Max. adsit mihi meisque. Amen.

xi. *Kal. Feb.* Pauca hodie. Deus me et meos regat. Amen.

x. *Kal. Feb.* Domine Deus, rege nos, firma et dirige ad gratum tibi finem. Amen.

ix. *Kal. Feb.* Ad sacram synaxim hodie non sumus profecti: sed Parisiensem quendam concionatorem deducti ab amicis in quodam privato oratorio audivimus. Nihil fuit quod miraremur. Homo mediocris ingenii, facundiæ nullius. Modus ipse instituendi conciones visus longe apud nostros et melior et gravior. Deus Spiritu suo Sancto nos nostrosque regat per Dominum Jesum. Amen.

viii. *Kal. Feb.* Et hodie egimus aliquid Dei beneficio. Sed quum evitare non possumus quin

assidue nos urgeant qui alio traducere cupiunt, casu librum hodie in manus sumpsimus, quem Hilarius quidam novus inquilinus τῆς κατὰ πνεῦμα Βαβυλῶνος nudiustertius nobis dedit: is liber inscribitur Officium B. Mariæ. Liber est excellenter compactus, et plures preces pias continens, in his unam Thomæ non vulgarem ut erat illius viri admirandum ingenium. In hoc igitur libro quum casu in illum incidissem, et forte aperuissem, duo statim deprehendi quæ visa mihi nefanda cum impietate conjuncta. Prius est quod Papa in præfatione diserte vetat omnem precum id genus usum in vernacula lingua. At, Deus bone, quoties mihi contrarium affirmatum est? Quoties dictum moneri viros fœminasque ut preces vernacula lingua scriptas usurpent? Sane negari non potest in Gallia hodie multum earum esse usum. Sed hoc profecto nos ab invitis pudore quodam expressimus. Qui si hodie non essemus, periret miseris libertas aliquid cognoscendi eorum quæ ad pietatem pertinent. Et diserte Papa superstitionem id vocat. O monstrum iniquitatis! O vere hac quidem in parte ἀντίχριστον. Alterum fuit, quod sum abominatus, in Decalogo, unde totum de imaginibus præceptum est sublatum. Euge fidelis Pastor. Hoc est Dei mandata servare. Deum supplex veneror, det mihi hanc mentem, meæ et meis, ut hanc scelestissimam impietatem ita semper, uti nunc facio, detester, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una

cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus et gloria *εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Amen. Scripseram superiora cum venit ad me venerandus Molinæus vulgi rumores afferens de nostra instabilitate. Puto datam occasionem hominibus loquendi, quia heri sivimus nos abduci licet invitos ad illam recitationem. Deum supplex oro ignoscat mihi, si quid hic feci præter officium pietatis. Cæterum qui videam quanto scandalo res illa sit, ut nulla per me creetur offensa, constituo hodierna die, et te, Deus æterne, oro, ut des perficere, non posthac ad ullum qualemcunque conventum *τῶν ἑτεροδοξούντων* me venturum hujus D. Gourges suasu, aut blandis compellationibus impulsum. Hoc ego, Domine Deus immortalis, sancte juro, sancte polliceor, si vires tua gratia suffecerit resistendi tot vexationibus, quæ meam mihi vitam reddunt ærumnosam. O ades, et indignissimo mortalium, peccatorum omnium maximo, dignare vires et prudentiam sufficere adversus tot, tam assiduas, tam graves tentationes. Ita velis, Domine, ita faxis, per merita passionis Christi qui una tecum, Deus Pater, Deus ipse Filius, et Spiritu Sancto ipso quoque Deo in æternum regnat et vivit. Amen.

VII. *Kal. Feb.* In nostris et adversariorum scriptis de Purgatorio hodie fui, et væsaniam, stuporem, vafritiem et quid non in Bellarmino deprehendi. O doctorem mendacii! Te oro, Domine Jesu, serva me ab illa mendaciorum doc-

trina purum et mundum: da te noscere, et in tua unius voluntate acquiescere. Amen.

VI. *Kal. Feb.* Magnam diei partem apud Cardinalem Perronium fui, accitus sæpe ab ipso. Te, sancte Deus, veneror, serves animum meum ab omni falsa doctrina circa rem pietatis, et me, meam, ac meos regas. Amen.

V. *Kal. Feb.* Hoc quidem die nihil fere egi mearum rerum. Sed, O Deus, respice me. Amen.

IV. *Kal. Feb.* Aliquid hodie, sed parum. Deus, ades. Amen.

III. *Kal. Feb.* Aliquid hodie. Deo laus et gloria. Amen.

*Prid. Kal. Feb.* Ad sacram synaxim hodie profectus pedibus Molinæum audivi, cui et universæ Ecclesiæ atque in ea domo huic Deus benedicat. Amen.

*Kal. Feb.* Quod lætum sit et faustum læti inter amicos apud Stephanum cognatum hunc mensem inchoavimus, quem det Deus mihi, meæ, et meis ἀπημάντως exigere, et ulterius fines vitæ extendere. Amen.

IV. *Non. Feb.* Et dies, et vita misere perit et simul omnia studia. Deus nostri misereatur. Amen.

III. *Non. Feb.* Aliquid hodie, sed parum. Det melius pietatem et studia curare Deus. Amen.

*Prid. Non. Feb.* Aliquid et hodie, Deo laus et honos. Amen.

*Non. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια in Suetonio. Deo laus et honos. Amen.

VIII. *Eid. Feb.* Hodie apud Cardinalem multas horas accitus ab ipso egi. Multa de religione egimus. Ille vetustatem doctrinæ τῶν ἐξ ἐναντίας urget: ego abusus, quos longa dies introduxit. Te, Deus æterne, oro, dirigas mentem, linguam et gressus meos ad nominis tui gloriam, ædificationem Ecclesiæ, salutem meam. Amen.

VII. *Eid. Feb.* Hodie constitui, Deo propitio, doctrinam de sacramentis accurate expendere. Te veneror, Deus æterne, libera mentem meam ab errore, et veritatem mihi misero velis illucescere et ejusdem amorem, per Dominum Jesum Christum. Amen.

VI. *Eid. Feb.* Aliquid hodie promovimus fortasse. Deus studia nostra dirigat. Amen.

V. *Eid. Feb.* Molinæus pastor noster venerandus ad me hodie venit, et aliquot horas mecum fuit, quas optime positas putavi. Deo laus et honos. Amen.

IV. *Eid. Feb.* Aliquid hodie. Deo laus et honos, qui studia nostra benignus dirigat. Amen.

III. *Eid. Feb.* Nihil fere hodie: aliquid tamen profeci. Nam de Anglia exitus apparuit, quem putabam futurum. Deus me, meam et meos servet. Amen.

*Prid. Eid. Feb.* Aliquid hodie, sed perpusillum. Deus me, meam, et meos regat. Fuit hodie apud me Molinæus, et præclare est solatus. Deo laus.

*Eid. Feb.* Aliquid etiam hodie, etsi curæ animum exedunt, quas tu eripe mihi, Deus æterne,

per Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit et regnat. Amen.

XVI. *Kal. Mar.* Ad sacram concionem hodie ivi et Montignium audivi. Deo laus et honos. Atque hodie cepi cogitare de panegyrici cujusdam scriptione; sed ἐν νυκτὶ βουλή. Et det consilium Deus. Amen.

XV. *Kal. Mar.* Aliquid hodie in tot varia pensa animo tributo, ut mirum sit nobis constare mentem. Sed in te, Deus, spes omnis nostra. Tu nos rege. Amen.

XIV. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια in variis pensis. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Mar.* Et mane amisimus magna ex parte, et reliqui temporis multum. Atque ita annum hunc, Deus æterne, vitæ meæ quinquagesimum primum exegi, cujus si rationem inire velim et illud ἀσκεῖν aureum præceptum πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; latissimus se mihi præbet campus accusandi mei, et severissimas a me ipso pœnas exigendi. Nam quid ego miser recte feci? aut quid egi in quo tuum, Deus æterne, Numen τρισάγιον non offenderim? Cogito dicta, cogito facta mea. Omnia displicent. Non laudavi Deum meum, ut oportuit. Non feci bona quæ oportuit. Quin potius et dixi, et feci ταλαίπωρος ἐγὼ multa, quæ Deo displicuisse non dubito. Quo me vertam? Quid de me statuam? Quid de mea, et meis? quibus, ad omne bonum opus quum deberem præire,

malo potius exemplo ne nocuerim vereor, et scio fecisse. Peccavi, Deus immortalis, peccavi in te gravissime. Dignus sum, quem tua bonitas destituat, quem tua severa justitia prehendat. Vel in mentione Genevensis negotii, quoties me ira præceps abripuit, et ea dicere coegit, quæ Christianum parum decerent. Sunt illi quidem de nobis male omnino meriti. Sed tua, O Deus, majora sunt in me et meos beneficia, quam illorum maleficia: et tuum est jussum oblivisci injuriarum, quod etsi facio, aut facere certe conor ut plurimum, tempora tamen interveniunt cum ego mei non sum juris, et continere linguam non queo. Jam istæ cum Cardinali Perronio collocutiones etsi nunquam a me nisi invito et reluctante sunt obitæ, ne tamen in illis Deum aliquando offenderim vehementer dubito. Nam postquam semel animadverti non id agi ut Ecclesiæ malis fiat medicina, sed ut omnia ἐξ ἴσου probentur, quid potui, aut nunc possum ab hujusmodi congressibus boni sperare? Quare etiam hoc nomine, Domine Jesu, si quid deliqui, supplex te veniam posco, et ut præteritam vitam tegas, omne quod superest regas, dirigasque, etiam atque etiam a te vehementer oro. Taceo beneficia hoc anno a te accepta, quorum eram indignissimus: taceo alia peccata mea mole et numero maxima. Iterum iterumque, Deus immortalis, fateor, et coram numine tuo profiteor, peccavi hoc anno assidue, peccavi ex quo natus sum

assidue. Nulla vitæ meæ pars, ad normam verbi tui exacta, potest satis proba videri. Sed qui peccatores bono animo esse jussisti, cur me respuas? Cur gemitus meos et preces in nomine Domini Jesu factas non exaudias? O exaudi igitur, et hyssopo me munda; riga atque ablue sanguine illius immaculati agni qui peccata omnium hominum quod in ipso fuit delevit. Exaudi, Deus ὑπεράρρητε, et mei, meæ ac meorum miserere, per Jesum Christum tuum unicum Filium, Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

## Annus vitæ lii.

xii. *Kal. Mar.* O Pater ἐπουράνιε, O fons veræ sapientiæ, O largitor omnis bonæ donationis, Deus τρισάγιε, ἡ ἐν μονάδι σεβασμιωτάτη Τριάς, veneror supplex Numen tuum, oro, adoro, petoque quanta maxima devotione et humilitate mentis possum, ut me, miserum peccatorem, e tuorum numero esse velis: deleas mea infelicis peccata; exuas veterem hominem mihi, induas novum. Σάρκα παλαιωθεῖσαν ἐν ἁμαρτίαις facias revirescere ad bona opera, purges hunc animum omni cupiditate prava: luce divina collustres mentem: des clare percipere voluntatem tuam: des in percepta παγίως et firme stare. O scis tu, Deus καρδιογνῶστα, quæ me procellæ interdum agitent, certe quidem singulari beneficio tuo id videor hactenus constanter servasse, ne terrena divinis

miscerem; neve aurem præberem iis, qui occasione meorum domesticorum incommodorum et gravium damnorum tentare animum meum et σκευωρεῖν τὴν πίστιν sunt conati. Sed me nonnunquam τὸ διάφορον τῆς πάλαι καὶ τῆς νῦν ἐκκλησίας commovet ac reddit attonitum, ut cogar aliquando in magnis viris qui tenebras sæculorum priorum disjecerunt, multa aut mirari, aut etiam desiderare. Quod equidem non levitate quadam animi facio, verum admiratione pietatis veteris Ecclesiæ. Omnino lubricus hic locus esset, nisi referrem statim animum ad ea quæ hodie οἱ ἐξ ἐναντίας docent, et veteribus illis incognita, et nisi fallor, e diametro tuæ, O Deus immortalis, voluntati repugnantia. Te iterum, iterumque, ter sancte Deus, oro, venerorque, succurras militanti in terris Ecclesiæ tuæ: des illi fidos pastores, qui non φιλαρχίᾳ studeant, sed quibus unicum sit votum, opus unicum, tuam veritatem in verbo a te revelato dies noctesque inquirere, et populos Christianos eandem veritatem ἀφελῶς remotis partium præjudiciis docere. Cesset hæc fœda Ecclesiæ tuæ laceratio. Nemo dicatur hujus aut illius tuorum ministrorum doctrinam sequi: omnes tuam sequantur, et sint omnes vere Christiani. Quod bonum incomparabile dum expectatur adhuc, Deus Pater misericordiarum, hærentes in bivio variarum opinionum firma, et simplicitatem fraudi esse iis, qui tuam veritatem sitiunt, pati noli. Mihi misero da intellectum,

da cor sapiens, da robur et alias virtutes necessarias, ut et ipse veritatem intrepide constanterque profitear, et meæ ac meis præire dictis factisque ad pietatem queam, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen. Post officium pietatis me sollemnes curæ habuerunt, et hæc studia consueta. Dominus benedicat huic domui. Amen.

XI. *Kal. Mar.* Et hodie feci aliquid tuo, O Domine, beneficio. Tibi laus. Amen.

X. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Mar.* Hodie ad sacram σύναξιν ire non potuimus: fuimus tamen totum diem occupati. Deus nostri misereatur. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια, præsertim in Suetonio. Deo laus. Amen.

VII. *Kal. Mar.* De morbo Philippi Canaii vehementer solliciti et mœsti te, Deus æterne, pro salute illius et corporis et animæ supplices veneramur, per Dominum Jesum, cui una tecum et Spiritu Sancto laus et honos. Amen.

VI. *Kal. Mar.* Hic est ille tristis dies, qui ante biennium Philippam nostram nobis abstulit. Beatam te, mea suavissima Philippa, quæ tot πειρασμοῖς, tot diversi generis molestiis es exempta, quas ex illo tempore ego et pia mater tua sumus experti. O quiesce, mea chara, et quod desieris mature Numen offendere, tibi gratulare. Te Dominus sua infinita benignitate pro-

sequatur. Ναὶ, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, υἱὲ Θεοῦ, Θεάνθρωπε, ᾧ μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος χάρις καὶ δόξα εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

v. *Kal. Mar.* Angor curis, et auget dolorem morbus veteris amici. Deus, ades.

IV. *Kal. Mar.* Eram nescio quomodo alienus a studiis curandis libros meos componens, ut paullo commodius habeantur, cum ecce nuntium ab amicis de obitu veteris amici, viri amplissimi, D. Philippi Canaii a Fraxinis. Amisi virum arcta amicitia ab annis viginti quatuor conjunctissimum. Prima notitia nostra fuit Genevæ. Deinde illum vel rationes vel necessitates domesticæ in Romanam Ecclesiam transtulerunt. Mansimus tamen amici et quidem non propterea minus conjuncti. Opto ut moriens in gratia Domini spiritum exhalaverit: et spero ita esse: nam vir certe fuit optimus, et qui de abusibus τῆς νῦν ἐπιπολαζούσης ἐκκλησίας quam optime sentiebat. Dominus Jesus pro sua infinita misericordia suscipiat ad se venientem, et viduæ ac liberis prospiciat, detque nobis in eo exemplo proficere. Nam mors hæc in illud cum maxime tempus incidit, quando a Rege erat jussus legationem magnam ad Imperatorem et Principes Germaniæ suscipere. Hæc vanitas rerum humanarum, quam agnoscere magis magisque da mihi, Deus æterne, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

III. *Kal. Mar.* Hodie vix versum unum legimus occupati in componendis libris et bibliotheca tota, quam novis armariis instruximus. Deus det frui hoc otio ad nominis sui gloriam. Amen.

*Prid. Kal. Mar.* Ne hodie quidem ad sacram synaxim sum profectus, et pars magna diei male posita inter nimis sedulos amicos. Deus benedicat. Amen.

*Kal. Mar.* Domine Deus, et mensi huic et reliquæ vitæ meæ ac meorum benedice. Nam in te spes omnis mea inter curas infinitas. Amen.

VI. *Non. Mar.* Pauca hodie, et periit misere tempus. Deus, ades. Amen.

V. *Non. Mar.* Ne hodie quidem multa; sed non illubenter fui apud Ducem Bullioneum. Deus illi et nobis benedicat. Amen.

IV. *Non. Mar.* Aliquid hodie beneficio Dei, cui honos et laus. Amen.

III. *Non. Mar.* Apud Thuanum fui, quem Deus servet, et nobis benedicat ac nostris. Amen.

*Prid. Non. Mar.* Pauca hodie ac fere nihil. Adeo curis et negotiis alienis obruimur. Accedunt molestiæ ob meorum calamitates quæ in me recidunt. Deus meis malis medeatur. Amen.

*Non. Mar.* Hodie concionem Molinæi audivi, et Deum laudavi: cui honos et gloria.

VIII. *Eid. Mar.* O asperam vitam! Filium habeo, quem opto parentibus esse lætitiæ caussam: sed multa video, quæ displicent. Deus solare dolentem eo nomine uxorem, et illum corrige

per Jesum Christum Filium tuum unigenitum, cui una tecum et Spiritu Sancto laus et gloria. Amen. Sane filius statim ad officium rediit Dei beneficio.

VII. *Eid. Mar.* Pauca hodie. Deus benedicat. Amen.

VI. *Eid. Mar.* Pauca etiam hodie. Domine, peccata mea et meorum nobis condona.

V. *Eid. Mar.* Filius parum valet. Ὁ ἀδελφιδοῦς ægrotat, et filia natu maxima. Tu da ῥαΐσαι, et nos omnes serva, O Deus. Amen.

IV. *Eid. Mar.* Omnes mei meliuscule habent. Deo laus et honos.

III. *Eid. Mar.* Hodie venit ad me ὁ καλὸς Gurges. Deum immortalem! Quo pacto animatus? Nam acribus convitiis mecum expostulavit, quod sibi obtemperare nollem in re omnium maxima. Dominus me ex his angustiis liberet. Amen.

*Prid. Eid. Mar.* Ad sacram synaxim hodie ire non potui: casu audivi de ambone declamantem hominem infruitum. Deus suæ Ecclesiæ misereatur et nostri. Amen.

*Eid. Mar.* Uxor rus hodie profecta ad filiolam leviter ægrotantem. Tu, Domine, matrem, filiam, et nos omnes serva. Amen.

XVII. *Kal. Apr.* Uxorem et filiolam bene valere hodie literis ipsius didici. Deo laus et honos. Amen.

XVI. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Apr.* Hodie operæ, quam ante aliquot menses institueram, recensendi Suetonium, finem imposui; quo nomine immortales tibi, O Deus, gratias ago. Puto aliquid me præstitisse, non plane inutile iis futurum, qui literarum illud genus amant. Sed multo plura poteramus, nisi totum illud tempus quod in recensendo posuimus, per gravissimas curas et sollicitudines egissemus, coacti in alio genere diversissimo literarum nos plurimum occupare. Itaque Suetonium in tantis angustiis non potuimus relegere, sed pauca duntaxat, quæ ad oram nostri codicis adnotaveramus, prioribus animadversionibus raptim et properanter assuimus. Quicquid id est, tibi, Deus æterne, gratias agimus, teque supplices oramus, ut quod superest nobis vitæ digneris regere et ad nominis tui gloriam dirigere. Nos certe multum terrent dura et aspera quæ videntur imminere. Ut alia taceam, hodie de ære alieno sororis appellatus, quia pro illa spospondi et coactus sum polliceri, nisi illa ante mensem prospexerit, me curaturum et de meo soluturum. Tu scis, Domine, quam non id ferant rerum mearum rationes. Itaque te respicio, et in te spem omnem meam colloco. Tu ades, Pater cælestis, per Jesum Christum, Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto laus sit, honos et gloria in æternum. Amen. Hodie uxor rure rediit citius quam sperabam; itaque etiam eo nomine πάλιν αὖ καὶ πάλιν tibi, Deus, gratias ago.

XIV. *Kal. Apr.* Literis scribendis diem totum impendi. Θεῷ δόξα καὶ χάρις.

XIII. *Kal. Apr.* Et hodie aut literas scripsi, aut apud Cardinalem Perronium fui. Multum de multis rebus disseruimus. Deus ceptis aspiret. Hodie autem fere constitui, si dabit Dominus, Italiam visere Venetias usque, ut et regionem videam et viros doctos qui ibi sunt, et nominatim Paulum illum περιβόητον virum maximum. Ardenti etiam desiderio videre cupio Ecclesiam Græcam et fidem illius gentis atque ritus pernoscere. Te veneror, Deus æterne, ut, si facit ad promovendam gloriam tuam et salutem meam ac meorum illud iter, omnia reddas facilia, sin est aliter, avertas hoc propositum. Me hæc res sollicitat, quod nunc vaco, absoluto Suetonio, brevi, et mox inchoando commentario in Polybium, si Deus volet. O ades, Domine, et me dirige ac consilia mea. Amen.

XII. *Kal. Apr.* Ad sacram synaxim hodie profectus Molinæum audivi. Deus ecclesiæ suæ prospiciat. Amen.

XI. *Kal. Apr.* Inter amicos pars magna temporis periit. Hodie postremum folium est editum nostrarum in Suetonium Animadversionum. Deo Opt. Max., qui dedit hujus tumultuariæ opellæ finem videre, laus sit, honos et gloria. Nunc quid suscepturi simus nondum plane constituimus, et cupiditas suscipiendi itineris nescio quomodo nos invasit. Tu, Domine, nos rege, et dirige. Amen.

x. *Kal. Apr.* Pauca hodie ante prandium, pauciora post prandium. Apud D. de Vicq fui, qui de negotio sororis nihil ne promittit quidem. Itaque spes de viatico ad cogitatum iter periit. Deus nos serva. Amen.

ix. *Kal. Apr.* Ad Cardinalem Perronium hodie ivi: caussa erat sola et unica, ut meo rogatu caussam miserrimæ sororis Regi commendaret. Tu scis, Domine, quam non lubens facio, ne homines de nobis serant sermones. Deus cœptis benedicat meis et meorum. Amen.

viii. *Kal. Apr.* Erat dies festus Annuntiationis, uti vocant, B. Virgini Mariæ factæ. Rogatus multoties ab optimo viro D. de Gourges hodie apud illum sum pransus, et post prandium casu veni in ædem, quæ vocatur Divi Pauli. Habuit ibi concionem Varaderius quidam, olim Jesuita, nunc liber ab illo ordine. Quia dies erat B. Mariæ dicatus, totus illius sermo de laudibus fuit B. Mariæ; et adversus illos qui aliter sentiunt. Horret animus, cum recordor eorum quæ audivi auribus meis. Solent Pontificii cum illis objicitur illud, *Nostra pians scelera jure matris impera redemptor*, negare hoc illis unquam excidisse. Et sæpe mihi affirmavit illustrissimus Cardinalis Perronius hoc esse commentum Calvini aut similium, neminem Catholicorum ita loqui. Ecce ego audivi hodie μυριάκις deteriora; audivi hominem declamare in hæc fere verba. *Posse beatam virginem imperare Filio, et illi dicere, Mon fils, faites*

*cela, ou rendes moi ce que Je vous ai donne: rendes moi ce que vous aves de moi. C'est moi, qui vous ai fait ce que vous estes; sans moi vous ne series pas. M'aves vous pas obei estant jeune? a plus forte raison deves vous maintenant m'obeir. Quand vous esties jeune, Je vous commendois, faites cela, vous le faisies, Je vous disois, baises moi, vous me baisies. Je vous disois, alles querir de l'eau, ou portes cela a nos voisins, vous le faisies; pourquoi donc aujourdui ne le feres vous pas?* Dixit postea B. Mariam, dum in utero matris erat, doctiorem fuisse, sapientiorem, et visiones plures ac nobiliores vidisse, quam ullos unquam ulla ætate prophetas vel Apostolos. Dixit *Maria* dictam esse quidem *maria*, quia hoc more benignitatis hæc nostra advocata, nostra mediatrix, te invito, hæretice Genevensis, illa nostra est bona et propitia advocata: nam Christi justitia et severitas terribiles sunt: hæc tota bona. Quadam parte sermonis sui comparavit Deum Patrem cum B. Virgine in hæc fere Verba. *Quis potest potentiam B. Virginis mente complecti? Huic tantundem in Jesum Christum juris est, quantum Deo Patri. Potest Deus Pater dicere mihi Filius est æternus. Mater sancta potest dicere, mihi Filius est æternus. Potest Deus Pater dicere, mihi Filius est Deus. Potest S. M. dicere, mihi Filius est Deus, par tibi, O Deus, rebus omnibus. Potest Deus Pater dicere,* etc. Diu enim hæsit in hac comparatione, ex qua visus est hoc velle efficere, et plane effecit, ut populum doceret

B. Mariam parem esse Deo Patri. Horresco referens. Certe nihil fere Deo Opt. Max. potest tribui, quod non B. Mariæ tribuerit. Sed facetissimus fuit cum asseruit pro certo prima in orbe facta templa illi fuisse dicata. Argonautas e suscepto itinere reversos ait e pretiosissimo marmore statuam fecisse, et templum ædificasse, deinde oracula consuluisse cujus honori templum illud dicarent, responsum esse datum, Templum illud conservandum esse honori virginis venturæ quæ esset futura mater Dei magni: eique virgini nomen esse Mariam. Dixit in urbe Athenarum antiquissimum Templum Mariæ; item alibi multis locis eam fuisse religiosissime cultam. Nam homo phreneticus quæcunque legerat vel audiverat de Pessinuntia Matre Deum, ea vecors transtulit ad beatissimam Virginem. Jam inter Christianos templa illi posita cum enumeraret, quot deliria, quot mendacia protulit? Dixit Apostolos a morte Christi convenisse, et communi nomine aram illi et templum posuisse; Jacobum in Hispaniam venientem, tum alibi, tum in ipsa Hispania, ædificasse illi sacras ædes. Piget ineptias persequi quas ille effudit sane quam liberalissime, ut cum sexcenta S. S. loca prophetias de Christo continentia traduxit obtorto collo ad beatam Virginem, imprimis illa verba e Genesi *ipsa est, quæ conteret caput serpentis* item multa alia; sed tandem hæsit in istis e Cantico III. 10. *Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum,*

*ascensum purpureum* etc. hic singula verba expendit Hebraice fere, Græce et Latine, et more ineptissimo hodiernorum rhapsodorum quæcunque viderat, legerat, audiverat de columnis, de reclinatorio, de auro, etc. omnia commemoravit, et B. V. attribuit. De auro multa dixit, et de arte mirabili bracteas ducendi e minimo auri frusto quam plurimas. Hæc est doctrina qua ille populum ab ore suo miserrime pendentem pavit. Omitto declamationes contra hæreticos, ut cum dixit se audivisse a ministro *beatam V. non pluris faciendam quam aliam quamlibet nostrarum muliercularum;* quod falsum puto; ut cum de Genevensibus multa ridicula commemoravit, subinde Deum testem appellans se verum dicere, et multis ὅρκοις hoc confirmans. Postrema pars concionis fuit, qua ad gemitum et suspiria vocem componens et gestum corporis, Beatæ Virgini regnum Francorum commendavit his fere verbis, *Sainte Mere, vous aves tousjours heu soing de cestui votre Rojaume; c'est vous, qui l'aves garde jusque a present. Sans vous il seroit peri mille fois. Sainte Mere, gardes le encore. Il a plus besoing de votre aide que jamais. Pauvre Rojaume de France, tu es miserable, tu es en grand dangier. Croies le peuple de Paris, car il est ainsi. Combien qu'on ne le veult pas croire, on ne veult pas qu'on en parle? Il est ainsi toutes fois. Les Hæretiques ne se contentent pas, qu'on les tolere, ils passent bien plus outre, ils veulent nous perdre et la foi catholique. Sainte Mere,*

*gardes ce Rojaume, il est vostre: c'est vous, qui l'aves protege jusque a ceste heure.* Alia multa in hanc sententiam dixit, simul populum contra nos efficacissime concitans, ut vix tandem aliquando desineret. Non male tempus posui, habeo quod respondeam Cardinali Perronio et aliis qui calumniæ crimen nobis impingunt. Deus et cæcos illuminet, et nos regat.

VII. *Kal. Apr.* Hodie rem miram didici. Medicorum sententia est, lapidem maximum, qui in corporibus τῶν λιθιώντων generetur esse unciarum octo. Ante sex dies cuidam regio Satelliti lapis exemptus est, qui pendebat uncias octo, et præterea alius pendens uncias viginti. Res miraculi plena; cum præsertim ille homo corpore valeret, et in pilæ lusu assidue se exerceret. Rex tanti rem fecit ut deferri ad se utrumque lapidem jusserit, cum omnium qui adfuerant testificatione. Homo cui lapis est exemptus post quintum diem obiit. En quantis malis natura humana est obnoxia. Tu, Domine, miserere nostri. Amen.

VI. *Kal. Apr.* Feci hodie rem quam invitus admodum feci. Illustrissimum Cardinalem de negotio miserrimæ mortalium sororis meæ per literas conveni, et de Genevensibus sum questus, ut ille apud Regem me juvaret. Tu, Domine, inceptis benedicito. Amen.

V. *Kal. Apr.* Dies erat Κυριακή. Uxor et alii Charantonem iverunt. Ego detentus sum nego-

tio sororis, quod negotium Deus dirigat ad finem sibi gratum. Amen.

IV. *Kal. Apr.* Multum temporis in quærendis Zonaræ epistolis ms. posui. Deo laus. Amen.

III. *Kal. Apr.* Necdum Zonaram reperi: et hodie domum invisi Caieri nuper fato functi, hominis curiosis artibus, quod certo scimus, addictissimi et miserrimi. Deo laus.

*Prid. Kal. Apr.* Mensis Dei gratia exactus: at curæ in dies crescunt, et vix illis par sum. De Anglia quædam accepi hodie. Deus me, meam et meos regat, et in omnibus dirigat. Amen.

*Kal. Apr.* Quod bene Deus vertat, mensem inchoavimus nostris rebus fortasse fatalem. Nam in eum locum redacti sumus, ut oporteat semel statuere de futuro. Scis tu, Deus *καρδιογνῶστα*, meas curas, meos æstus, et ingentes sollicitudines. Scis quam premar, et quibus de caussis. Te veneror, mentem firma, et dirige consilia nostra ad finem tibi gratum. Ac quoniam de itinere non Venetias, ut cogitaveram, sed in Angliam necessario cogitare compellor, da id videre et exequi, quod tibi futurum est gratum. Fert animus plures ob caussas illuc excurrere, et omnia de quibus mihi scriptum est explorare. Tu, Deus æterne, ades per Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit ac regnat *εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Amen.

IV. *Non. Apr.* De profectione in Angliam tandem quid esset faciendum statui. Metus offen-

dendi Regis, lis cum occupantibus bona Lotaringica, metus amittendi temporis, metus multiplex alius cogit me per literas omnia agere. Dominus benedicat, Dominus nos regat et dirigat. Amen.

III. *Non. Apr.* In studiis Theologicis plusculas hodie horas posui. Te, Deus æterne, veneror, adsis et meos conatus ad tui nominis gloriam dirigas. Amen.

*Prid. Non. Apr.* Ad sacram synaxim hodie profectus Deum oravi, et nunc iterum iterumque oro, et supplex adoro, tegat peccata mea, et me luce sua illustret ac meos per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

*Non. Apr.* Aliquid hodie, sed non multa. Deus benedicat. Amen.

VIII. *Eid. Apr.* Domine Deus, in angustissimas angustias sum redactus, et agnosco vires meas plane nullas. Te supplex adoro, serva mentem mihi rectam: libera me a tentationibus istis tam diuturnis. Ades, O Deus, et sustine mentem per Dominum Jesum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto honos, laus et gloria. Amen.

VII. *Eid. Apr.* Domine Deus, ades sollicito, et mentem libera ab omni errore; da veram sententiam super legitimo tuo cultu cognoscere, illi adhærere, et, si opus est, immori. O ades, Deus immortalis, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo honos, sit laus, et gratia. Amen.

VI. *Eid. Apr.* Ades, Domine, et me ac meos serva. Amen.

V. *Eid. Apr.* Hodie interfui passioni Christi Servatoris in æde B. Virginis expositæ per unum e Prædicatoribus Pontificiorum. Non poteram ad sacram synaxim ire ob tempestatem obscenam, et alias caussas. Mihi vero fuit suavissimum ἀκρόαμα audire exponentem mysteria salutis nostræ cum affectu et puritate doctrinæ. Nam si excipias illas ad Crucem et Crucifixionem apostrophas, nihil audivi non consentiens veritati. Dominus Jesus nos in vera pietate firmet, nos calefaciat zelo devotionis, et ab omni mala cogitatione servet. Amen. Cæterum etsi doctrina passionis recte exponebatur, me tamen tria gravissime offenderunt, I. quod initio concionis dixit se non memoraturum hodie B. Virginem ut semper ante fecerit, sed crucem ejus loco precaturum quod et fecit toto populo in genua procumbente, et ad Crucem sese convertente. II. Illud detestatus sum, quod dixit, Dominum Jesum, priusquam ad passionem se accingeret, colloquium de ea re habuisse cum B. Virgine, et procumbentem ante ejus genua benedictionem ab illa et petiisse et accepisse. Hoc vero ego et dictu et creditu puto impium, quum expresse dicat Paulus majorem esse eum qui benedicit, eo cui benedicitur, III. fuit quod postquam Domini passionem satis commode exposuisset, et mortem Christi narrasset statim quasi morte adhuc Christus detine-

retur, hæc dixit, *Quando igitur Christus est mortuus, quo mediatore utemur ut Deum Patrem intrepidi adeamus?* deinde post aliquot periodos, quibus mortem Domini deflebat, repente producto crucifixo ligneo cubitali, adorabundus illud populo ostendit, et hunc esse Christum dixit, hunc Deo Patri offerri, hunc se colere, venerari, adorare. Itaque per horæ quadrantem capite nudo oculis in lignum defixis ipsum quasi Christum verum, quasi verum Deum compellavit. Hoc quid est? si non est, creaturam et opus manuum pro Deo colere? Itaque abominor. Te, Deus æterne, oro supplex, ut ad veritatem tuam et agnoscendam magis magisque et ad generoso animo illam defendendam, ingenium et vires suggeras, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen. Amen. Amen.

VI. *Eid. Apr.* Pene diem totum amisi. Tu, Domine, scis inter quæ et in quibus studiis. Te, Pater Sancte, veneror, des veram pietatem, et quia crastina dies ad sacram Cœnam tuam nos vocat, solve animum a peccatis, libera me ab ignorantia, da proficere in tui timore et reverentia per Jesum Christum Filium tuum τὸν μονογενῆ, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria לְעוֹלָם. Amen.

V. *Eid. Apr.* Ad sacram synaxim hodie profectus sacrosanctæ Domini cœnæ communicavimus, ego et uxor. Dominus Jesus velit bene-

dicere nobis et omnibus nostris; illi cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos et gloria. Amen.

IV. *Eid. Apr.* Misere diem perdidi inter amicos et negotia aliena. Deus miserere. Amen.

III. *Eid. Apr.* O miserere mei et meorum, Domine, et cæcam mentem illustra veritatis luce, et in agnita firma. Amen.

*Prid. Eid. Apr.* Pridie accitus ad Cardinalem Perronium hodie veni, et de rebus magnis egi. Miratus sum doctrinam et acumen viri. Multa ostendit ille mihi, quæ a nostris contra veritatem afferuntur ab antiquis, vel quia antiquos non capiunt, vel quia lubet antiquorum mentem dissimulare: neutrum probo. Deus suæ Ecclesiæ misereatur per Jesum Christum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, gloria et honos. Amen.

*Eid. Apr.* In studio isto, cujus mihi quodammodo necessitas imposita, versor; sed plane ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ. Deus benedicat. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* Pergo adhuc in studio pœne per vim suscepto, cujus exitum tibi gratum, O Domine, da videre, et mentem illustra. Amen.

XVII. *Kal. Mai.* Te, Deus immortalis, respicio, et opem a te uno expecto. En ades, Domine. Amen.

XVI. *Kal. Mai.* Ad sacram synaxim hodie sum profectus, et cum fructu, spero, audivi Molinæum. Deus benedicat. Amen.

XV. *Kal. Mai.* Accitus a Cardinali Perronio apud

illum hodie fui. Vidi multa nostrorum peccata quæ nolebam videre. Sed me ille adigebat collationem instituere eorum, quæ ab iis scribuntur, cum scriptis veterum. Dominus Jesus nos luce sua illustret. Amen.

XIV. *Kal. Mai.* Te, Deus Opt. Max., opem auxiliumque rogo: da ingenium, da veram lucem agnoscere, et strenue illam propugnare per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

XIII. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια· hoc est molestæ istæ occupationes et amicorum colloquia nos habuerunt. Deus nos et nostros servet. Amen.

XII. *Kal. Mai.* Hodie in Angliam literas scripsi, etiam ad Regem, justam nactus occasionem. Tu, Deus æterne, benedic studiis ceptisque meis. Amen.

XI. *Kal. Mai.* Amici fere tempus omne eripuerunt, deinde paucæ horæ positæ in studio, quod nos nunc habet. Te oro, Deus æterne, respice nos, et vera luce illustra. Amen.

X. *Kal. Mai.* Vix librum aspexi. Dominus me respiciat. Amen.

IX. *Kal. Mai.* Uxor ad synaxim ivit. Deus benedicat mihi et meis. Amen.

VIII. *Kal. Mai.* Domine Deus, da pietatem da veram fidem, da zelum, et ut omnia verbo complectar da tibi placere. Amen.

Presté a Mons[r]. du Molin Vittaker de Rom. Pontif.

VII. *Kal. Mai.* Varie agitatus, varie affectus, te, Deus æterne, oro supplex, ut, peccatorum meorum veniam mihi indulgens, veritatis tuæ amorem mihi instilles, et in ea me ac meos firmes. Te, Deus æterne, unum specto, unum adoro, et peccatis meis facilem precor per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit, regnat, et nutu omnia temperat. Amen.

VI. *Kal. Mai.* Domine, miserere. Amen.

V. *Kal. Mai.* Uxor rus hodie profecta cum parte familiæ. Deus illam reducat et nos servet. Amen.

IV. III. *Prid. Kal. Mai.* Deo laus, mensis exactus est. Domine peccata mea, meæ et meorum tege, ac quod superest rege. Amen.

*Kal. Mai.* Mensem hunc a scriptione literarum ad amicos Hollandicos inchoavimus. Dominus Deus det mensem exigere *ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ*, denique mihi, meæ, liberis, et omnibus meis benedicat. Amen.

VI. *Non. Mai.* Ad sacram synaxim hodie profectus audivi D. Utenbogardum pastorem Hagensem qui Legatos ordinum comitatur. Audivi et probavi. Deus pietatem veram animo instillet meo ac meorum. Amen.

V. *Non. Mai.* Domine Deus per Jesum Christum, te supplex oro, serves me ab errore in hoc studio, in quo nunc versor, et Spiritus Sancti inspiratione me regat. Amen.

IV. *Non. Mai.* Uxorem hodie exspectabam: illa non venit, et vix ventura est die crastina. Tu, Domine, et me, et illam serva et omnes nostros καὶ κατὰ ψυχὴν, καὶ κατὰ σῶμα. Amen. Amen.

III. *Non. Mai.* Nec venit uxor, et ego sollicitudinis magnitudine premor. Tu, Deus immortalis, respice me, et dirige in viam salutis per Jesum Christum τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria.

*Prid. Non. Mai.* Uxor ἡ τριπόθητος rediit: hoc quidem recte, et magnæ tibi, Deus mi, grates. Cætera dispone ad nominis tui gloriam. Amen.

*Non. Mai.* Domine Deus, ἐλέησον. Ἀμήν.

VIII. *Eid. Mai.* Domine Deus, ades, Κύριε ἐλέησον. Ἀμήν.

VII. *Eid. Mai.* In tantis curis et æstu animi te, Deus, veneror, adsis mihi, et dicta, facta mea dirigas ad tui nominis gloriam. Amen.

VI. *Eid. Mai.* Rus hodie venimus, quum me urbe pellerent assiduæ interpellationes, quæ mihi ad studia nullum plane tempus liberum sinebant. Te veneror, Deus æterne, vera lux, veritas ipsa, adsis mihi, et in his studiis mentem meam dirigas ad ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, firmes in eadem adversus omnis generis πειρασμοὺς et pro tua bonitate ab omni errore liberes. O ades, Deus æterne, per Jesum Christum Filium tuum τὸν μονογενῆ, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

v. *Eid. Mai.* Deus, ades, et lucem affulge tenebris ingenii mei, ac nos serva. Amen.

iv. *Eid. Mai.* Te, Domine, respicio, te βοηθὸν ἐπικαλῶ et Spiritus tui Sancti opem imploro. O ades, et me ac meos serva. Amen.

iii. *Eid. Mai.* In proposito pergimus, et te, Deus æterne, speramus adjutorem. O ades. Amen.

*Prid. Eid. Mai.* Hæc scribere paranti affertur nuntius tristissimus de Regis vulnere. Quid actum sit, non satis scio. Te supplex oro, Deus æterne, serves Regem, serves Reginam, et liberos ipsorum, serves et regnum, atque in eo omnes pios. Domine Deus, miserere Regis quem hactenus tot beneficiis affecisti, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una tecum et cum Spiritu Sancto sine principio, sine fine regnat regnabitque æternum. Uxor hodie abiit et urbem repetiit: ego cum ipsa iturus fui, nisi retinuisset Præses Rotomagensis vir amplissimus. An hoc quidem οὐκ ἀθεεί; Dominus Jesus et me et meam et omnes nostros servet. Amen.

*Eid. Mai.* Constitueram heri ad amplissimum Præsidem hodie reverti, et cum ipso urbem repetere, sed me hic infaustus nuntius terret. Ut quid facturus sim nesciam, adibo tamen ad Præsidem, et ibi consilium capiam, volente Domino, quem supplex oro, ut sive eo, sive maneo, ab ipsius Spiritu Sancto regar, ab eo dirigar ad omne opus bonum, impediar ab omni scelere et peccato vel cogitando, nedum suscipiendo; idemque do-

mum vitamque meam sua benignitate dignetur. Me angit cura de Rege, quem O Deus restitue in integrum et serva. Amen. Amen. Amen.

Scripsi postquam misso certo homine uxor me fecisset eodem die de omnibus certiorem.

O tristem! O lamentabilem nuntium! Ergo occisus est scelere et perfidia ille magnanimus, ille clementissimus Regum, Rex Henricus IV. fulmen belli, terror hostium suorum? Tantus bellator, tantus victor scelesti hominis malo et improviso ictu concidit? Adoro, Deus æterne, judicia tua, et taceo. Sed ille profecto impius et consceleratus fuit, qui tantum facinus aut concepit mente aut executus est manu. O tuum, Gallia, infortunium! O diem bonis omnibus funestum! mihi eximie, qui, tot annos, tanto Principe usus sum Mæcenate. Hei mihi cur ego vulnus non excepi, quod illum peremit, nos miseros fecit? Sed nimirum Θεοῦ ἐτελείετο βουλὴ, illi sic placuit, quem speramus et cædem magnanimi Principis ulturum, et novo Regi, quem hodie coronatum esse intelleximus, adfuturum, et suum illi vere ἡγεμονικὸν Spiritum esse communicaturum. O ita velis, Deus æterne, et regnum hoc, quod fuit semper hactenus, fove, protege, serva per Jesum Christum Filium tuum, qui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit regnat εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

XVII. *Kal. Jun.* Rure hodie reversus omnia in Urbe tranquilliora inveni, quam sperabam post tanti Regis cædem. Mirus omnium ad pacem

consensus: mira Principum concordia, atque ut putant omnes boni, θεόπνευστος. Ego interim more solito ab amicis premor. Dominus Deus et publicam omnium salutem, et meam, ac meorum curæ habere dignetur. Amen.

XVI. *Kal. Jun.* Hodie accitus a Cardinali Perronio sermones varios de rebus ad religionem pertinentibus ex occasione habuimus. Multa ab eo intellexi, quæ pretium operæ sit meminisse et expendisse. Quædam hic adnotabo, pauca e multis. Illa verba *non rei veritate sed significante mysterio*, quæ ex Augustino a nostris citari solent, non sunt Augustini, sed Lanfranci contra Bereng. ut vel eo nomine, quod ejus auctoris sint, certum sit aliter esse interpretanda. Præterea non de corpore ibi sermo est, sed de immolatione, quæ non vere fit, sed repræsentatur. Eusebii Emessemi verba in Canone p. 1174. stultissime trahuntur in argumentum a nonnullis contra præsentiam Christi. Vide totam homiliam quæ in bibliotheca Patrum sub Cæsarii nomine habetur. Origenis duæ homiliæ extant et pars tertiæ, ab Erasmo editæ, quas nostri ut præcipuum caussæ firmamentum afferunt. Sed unde illas expiscatus sit Erasmus, scit nemo. Præterea manifestum est ibi illum ex professo disputare contra fidem Ecclesiæ Catholicæ. Nam ait, ut *simpliciores* credunt. Semper autem Origini *simplices* aut *simpliciores* sunt Catholici, ut observant Hieronymus et Epiphanius. Adde quod Origen Spiritum,

Sanctum, cujus virtute hoc opus peragitur, Deum esse non credidit, neque putavit ille Spiritum Sanctum operari unquam in res ἀψύχους; itaque doctrinam de opere operato ne poterat quidem credere, et eo nomine in epistola Theophili reprehenditur. Illa enunciatio, *Ex pane fit corpus Christi*, vera est, si *ex* accipitur successive, ut cum ait Aristoteles, ἐξ ἡμέρας γίνεται νύξ, ἐκ Διονυσίων γίνεται πλοῦς: falsa est, si *ex* accipias materialiter, ut *e ligno fit mensa, e spermate embryon.* Hæc distinctio in scholis observata, postquam Aristoteles in scholas receptus. Apud patres pristinos usurpantur ista, *de pane fit corpus Christi,* quod Scholastici damnant, et, *ex pane fit corpus Christi.* In generationibus naturalibus terminus, qui conjungit rem quæ esse desinit, cum ea quæ esse incipit, est materia prima. In mutatione Eucharistiæ est τὸ φαινόμενον εἶδος. Persæpe Patres mutationem, quæ fit in Eucharistia, illustrant comparatione ejus mutationis, quæ fit in baptismo et regeneratione nostra. Id longe aliter accipitur a Calvino, quam a catholicis. Nam ille nullam in nobis mutationem realem sentit fieri, sed per imputationem mysterium illud explicat. Pontificii credunt per baptismi aquam animam reformari, et quasi refingi, idque non minus miraculosum esse quam sit illa mutatio, quæ fit in Eucharistia, nisi quod in hac mutatio fit substantiæ, in illa fit mutatio accidentium. Patres tanti hanc, quæ in baptismo fit, muta-

tionem fecerunt, ut dixerint Deo facilius fuisse hominem creare quam regenerare. Rationem afferunt, quia in creatione nihil fuit, quod Dei voluntati repugnaret; at in reparando lapsu erat pugna certa et manifesta. Hæc et alia multa disserebat Cardinalis Perronius. Dominum supplex veneror mentem meam illustret, et ab errore liberet, servetque hanc domum. Amen.

XV. *Kal. Jun.* Te, Deus æterne, veneror, serves me, meam, et meos, atque omnes ad ea facienda dirigas, quæ tibi futura sunt grata. Amen.

XIV. *Kal. Jun.* Rusticatum hodie redii. Quæ me curæ exerceant, quæ studia habeant scis tu, Deus immortalis. Te veneror, Deus misericors, benedicas ceptis, et ab errore mentem meam, pro tua infinita bonitate, liberes per Jesum Christum, qui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat. Amen.

XIII. *Kal. Jun.* Domine Deus, ades, et ab his angustiis animum meum libera, ut te, dum vivo, cum omnibus meis laudem, tibi serviam, te animo toto adorem. Amen.

XII. *Kal. Jun.* Te, æterne Deus, in arctis spectamus, et auxilium in æstu animi speramus. O ades, neque peccatorum nostrorum velis meminisse. Amen.

XI. *Kal. Jun.* Crescunt dubitationes, dum scripta nostrorum cum scriptis veterum contendo. Itaque te unum, Domine Jesu, oramus, te obtestamur, mentem ab errore liberes, et ad gloriam tui

nominis et salutem nostram hæc studia dirigas. Amen.

x. *Kal. Jun.* Ad priorem curam, cui par non eram, accedit alia cura ob librum τοῦ μακαρίτου Scaligeri, qui Lutetiæ editur, et ad meam curam pertinet. Tu, Domine, ades, qui dedisti hunc sacrum tibi diem saltem ex parte inter preces et cogitationes pias agere. Laus Deo. Amen.

IX. *Kal. Jun.* Diem in literis actum singulari Dei beneficentia tristem effecit levis tristitia, sed quæ et me parum leniter et mentem illius gravissime commovit, unde orsum irasci, magna cum violentia erumpentem in verba adusque ἀπτύειν. Dominus Deus pro sua bonitate tegat nostra omnium peccata. O miserere, bone Jesu, et nos serva. Amen.

VIII. *Kal. Jun.* Uxor hodie urbem repetiit, et sanctæ cœnæ Domini caussa et negotiorum. Dominus Jesus illam servet et universam domum. Amen.

VII. *Kal. Jun.* Rus concesseram, ut otium captarem: sed venerunt hucusque amici ut mecum colloquerentur. Deinde multas accepi literas. Dominus per Jesum Christum me servet et meos, ac veram pietatem animis nostris instillet. Amen.

VI. *Kal. Jun.* O Domine, O benigne parens, respice tuum servum, illum quidem inutilem; sed qui non sine morsu peccatorum suorum vivit, et convertere sese ad te ex animo cupit. Ego

ille sum servus nequam et inutilis, qui nunc in solitis animi angustiis deprehensus, te supplex oro, veneror, obtestor, ut his me difficultatibus, quas ipse optime nosti, expedias, et æstum mentis sistas fine tibi grato. Miserere, Domine, da ἀμηχανοῦντι consilium, ἐπεὶ ἐπὶ ξύρου res ἵσταται ἀκμῆς. O exaudi, per Dominum Jesum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

V. *Kal. Jun.* Cogitabam Lutetiam, et me uxoris charissimæ epistola urgebat. Sed secutus sum viri prudentissimi Josiæ Merceri consilium. Tu, Deus æterne, καρδιογνῶστα, respice ærumnam meam, et Spiritum Sanctum tuum mihi impertire, meæ et meis. Amen.

IV. *Kal. Jun.* Literas ab uxore accepi: etiam Chabanæus meus venit. Domine Deus, respice me et meos, ac spiritu tuo rege. Amen.

III. *Kal. Jun.* Tristem et lugubrem diem. Ego hic sum, et celebrationi sacræ Pentecostæ non adsum. Equidem in lectione et privata recitatione verbi Dei magnam diei partem egi: sed te, Deus, supplex veneror des exitum hisce meis curis. Amen.

*Prid. Kal. Jun.* Etiam hodie literas ab uxore accepi, sed molestas propter illius anxiam de me sollicitudinem. Domine Jesu Christe, serva me, illam et totam domum. Amen.

*Kal. Jun.* Mensem hodie inchoavimus, quem det Dei benignitas exigere ad nominis sui glo-

riam, et salutem nostram et nostrorum. Me certe multa valde sollicitum habent, et supra modum anxium, quorum tu mihi, Deus æterne, et *καρδιογνῶστα*, es conscius. Te oro, te supplex veneror, des ea sapere, ea sentire, quæ ad tui nominis gloriam pertinebunt, ea loqui, quæ pium decent et expediunt. O exaudi vota mea, Deus immortalis, per Dominum Jesum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos, et gloria. Amen.

IV. *Non. Jun.* Gravissimos cruciatus passi tota nocte præterita ex capitis et dentis dolore hodie urbem repetimus. Nunc mihi, Deus æterne, auxilio opus. Nam et corpore languido sumus, et sententia stat nobis servare jejunium quod Parisiensis Ecclesia hodie observat. Sed alia majora sunt, quæ me sollicitum habent. Tu scis, Pater *ἐπουράνιε*, meas ærumnas, et mentis cruciatus. O libera me his curis, et da sapere ac sentire quod tibi est gratum, per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Amen.

FINIS FASCICULI QUINTI.

---

INCIPIT FASCICULUS SEXTUS.

III. *Non. Jun.* Heri domum rure reversus ne literam quidem unam aspexi ut legerem. Ita perit vita, perit dies. Deus, miserere. Amen.

*Prid. Non. Jun.* Quod Deus vertat bene, non

sine voluptate locutus sum hodie cum Duce Bullioneo. Te, suprema Trinitas, veneror, ceptis benedicas, et Spiritu tuo Sancto me regas. Amen.

*Non. Jun.* Hodie potione sum purgatus: bene erit, Deo volente et faciente; qui in gravissima deliberatione me et meam ac meos regat per Jesum Christum Dominum nostrum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, gloria et honos. Amen.

VIII. *Eid. Jun.* Φλεβοτομίᾳ hodie curatus, raptim hæc exaravi, ut te, Deus æterne, orarem, dares salutem maxime, deinde et sanitatem corporis mihi meisque. Amen.

VII. *Eid. Jun.* Iterum πόσις adhibita hodie, qui spem omnem omnis boni in tua, Deus æterne, benignitate pono. Amen.

VI. *Eid. Jun.* Hodie melius habeo. Deo sit laus et honos. Amen.

V. *Eid. Jun.* Domine Jesu, miserere mei et meorum. Amen.

IV. *Eid. Jun.* Domine Jesu, miserere nostri. Amen.

III. *Eid. Jun.* Domine Jesu, miserere nostri: nam equidem sine tua ope, sine tua opitulatione et auxilio, adeo me meosque regere non valeo, ut ne verbum quidem unum in studiis recte locare aut proferre queam. Itaque te supplex oro, ades, et hujus quam paro opellæ perficiendæ da facultatem. Amen.

*Prid. Eid. Jun.* Domine Jesu, da bonam men-

tem, da rectum consilium, da vivere et mori in tui nominis timore et reverentia. Amen.

*Eid. Jun.* Ad synaxim sacram hodie profectus Ferrerium audivi, virum disertissimum, de cæde Regis nostri τοῦ μακαρίτου disserentem. Dominus Jesus et Regem, et regnum et nos omnes cum regno servet in Ecclesia sua.

XVIII. *Kal. Jul.* Domine Deus, miserere nostri. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Quoties ad me redeo, et jacturam temporis cogito, quam facio miser quotidie, toties infelicitatem meam intelligo, et cruciatus maximos experior. Dies totos et quidem omnes eripiunt mihi amici, et studia mea perdunt. Itaque langueo, accedente præsertim hac molestia ad gravissimas alias. Te itaque, Deus æterne, veneror, des vitam exigere mihi meisque ad tui nominis gloriam et salutem nostram per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto regnat sine principio sine fine. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Hodie ad sacram σύναξιν ivi: neque in opella instituta multum potui tempus ponere. Itaque nihil profeci, et misere tempus perdidi, eo excepto, quod in auditione verbi divini posui. Deus me et meos respiciat. Amen.

XV. *Kal. Jul.* An fallor? an opellæ institutæ κατεβλήθη ἡ ἀρχή? Tu, Domine, miserere mei et meorum. Amen.

XIV. *Kal. Jul.* Uxor rure hodie reversa bene valens Dei beneficio, qui nos servet *καὶ τὴν ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα ἀπημάντους*. Amen.

XIII. *Kal. Jul.* Hodie mortem Regis *τοῦ μακαρίτου* deflevi in epistola ad Thuanum. Deus Opt. Max. et uxorem in pietate confirmet ac liberos. Amen.

XII. *Kal. Jul.* Uxor ad sacram synaxim hodie profecta: ego domi detentus ad Archiepiscopum Cantuariensem scripsi. Deus res omnes publicas et privatas ad sui nominis gloriam componat. Amen.

XI. *Kal. Jul.* Gravissime vexatus superiore nocte totum diem fœde amisi. Dominus mei et meorum misereatur. Amen.

X. *Kal. Jul.* Noctem quietam habui, mane surrexi; et multum in opella instituta promovi. Deus mihi et meis benedicat. Amen.

IX. *Kal. Jul.* Et hanc noctem habui quietam, et promovi aliquid Dei beneficio, cui sit honos et gloria. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Hodie apud Cardinalem fui, et bene cessit, licet iveram invitus: sed casu quodam chartam Arabicam geographicam meam recepi, quæ magno in periculo versabatur. Dominus Jesus adsit, et nos regat. Amen.

VII. *Kal. Jul.* Aliquid promovi hodie, sed inter varias occupationes haud ita multum. Deus est, qui cepta nostra promovet aut moratur. Illi honos et gloria. Amen.

VI. *Kal. Jul.* Aliquid etiam hodie, et spero brevi me omni hac cura fore liberatum. Dominus Jesus adsit mihi meisque. Amen.

V. *Kal. Jul.* Ad sacram synaxim hodie profectus Ferrerium audivi, non Montignium. Vox ad aures vix pervenit. Deus me meosque regat. Amen.

IV. *Kal. Jul.* Vexatus dolore dentium partem maximam noctis in museo egi, et inceptum non segniter Dei beneficio urgens, dolorem aut amisi aut non sensi. Sed non respondit labor diei, qui inter ἀμηχανίας duriter actus. Te respicimus, Deus æterne. Tu ab hoc languore nos libera. Amen.

III. *Kal. Jul.* Hunc diem posui in re, quam minime omnium vellem. Cepit enim hodie duci funus Henrici Magni, et corpus ejus delatum est ex arce in ædem Divæ Mariæ; idque solenni pompa, servatis omnibus ordinibus. Res speciosa visu, sed longe omnium tristissima, quas vidi unquam. Dominus Jesus regiæ domui benedicat perpetuo et omnibus bonis. Amen.

*Prid. Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια in opella suscepta. Deo gratiæ. Amen.

*Kal. Jul.* Mensem inchoamus, cujus exitum da, O Deus, videre, sed ita ut tibi serviamus, te colamus ego, mea, et mei. Amen.

VI. *Non. Jul.* Opellam ante plures dies inchoatam, deinde per valetudinem aut alias curas aliquando omissam, aliquando intermissam, hodie

absolvi, et Josephi Scaligeri manibus hoc postremum officium præstiti. Det Dominus Jesus sic vivere, sic reliquam partem vitæ exigere, ut omnia mea, meæ, et meorum dicta, facta ipsi sint grata. Amen.

v. *Non. Jul.* Uxor rus hodie est profecta, quam Deus servet ac nos cum illa. Amen.

iv. *Non. Jul.* Ad sacram σύναξιν hodie profectus sum, et mane ad uxorem scripsi. Reliquum diei in Patrum lectione posui. Deo laus et honos. Amen.

iii. *Non. Jul.* In Beato Chrysostomo horas posui, quas surripere potui. Dominus mei, meæ et meorum misereatur.

*Prid. Non. Jul.* Ad Cardinalem Perronium hodie profectus rogatu cognati Stephani multa didici quæ audire noluissem. Dominus Jesus nos Spiritu suo regat. Amen.

*Non. Jul.* Hic mihi illuxit dies miserrimus studiis meis: nam cum museum mane sum ingressus, ita opprimi cepi ab amicis, ut toto die ne aspexerim quidem libros. Atque hac parte misere vitam dego. Dominus adsit mihi, meæ, et meis. Amen.

viii. *Eid. Jul.* Paullo amplius hodie quam heri profeci. Deus benedicat mihi, meæ, et meis. Amen.

vii. *Eid. Jul.* In Theodoreto hodie fui, et illius de sancta Eucharistia dicta expendi, quem laborem Deus ad suam gloriam dirigat et salutem

nostram, idemque me, ac meam, et meos servet. Amen.

VI. *Eid. Jul.* Uxor ἡ φιλτάτη rure hodie est reversa cum filiabus majoribus. Dominus Jesus universæ domui benedicat. Amen.

V. *Eid. Jul.* Ad sacram synaxim pars familiæ ivit Dei beneficio; ego quicquid habui liberi temporis, Chrysostomo dedi, et pietatem illius viri sum demiratus. Deus huic domui benedicat. Amen.

IV. *Eid. Jul.* Totum diem amisi, et neque mane, neque a meridie, neque vesperi momentum fere ullum posui in literis. Dominus mei misereatur. Amen.

III. *Eid. Jul.* Hodie constitui, si Dominus Jesus dederit, librum edere brevi de proverbiis, et centuriam unam eorum. Atque ego hodie ceperam de his serio meditari, cum rapuit me e museo morbus uxoris, cui totum tempus pomeridianum adfui. Tu, Deus æterne, medere illi ægrotæ, et nostris incommodis, quæ varia sunt, affer medicinam. Amen.

*Prid. Eid. Jul.* Hodie, si quid studiis datum, B. Cyrillo Hierosolymitano datum. Deus et domui et studiis benedicat. Amen.

*Eid. Jul.* Aliquid hodie, sed inter multas curas. Dominus ceptis benedicat, et servet hanc domum in timore sui. Amen.

XVII. *Kal. Aug.* Uxor meliuscule hodie valuit. Hodie Princeps Condæus in urbem reversus in-

genti ille quidem cum comitatu et longe alius quam abierat. Sed præterita Deus velit oblivisci, qui nos omnes servet. Amen.

XVI. *Kal. Aug.* Aliquid hodie in lectione Nathanaelis Græci scriptoris sane eruditi, nec tamen hodie vel doctis noti. Dominus me et meos servet. Amen.

XV. *Kal. Aug.* Quum propter meam et uxoris valetudinem non potuerim ire ad sacram synaxim in lectione Patrum multus fui, præsertim Isidori Pelusiotæ. Deus studiis et universæ domui benedicat. Amen.

XIV. *Kal. Aug.* Inter panicos terrores viserunt ad me plures amici: ita fere nihil factum. Deo laus et honos. Amen.

XIII. *Kal. Aug.* Etiam hodie panici terrores multos agitarunt. Nos Deo permittimus omnia et ipsius prudentiæ. Sed hodie ab Archiepiscopo Cantuariensi Præsule illustrissimo literas accepimus, super quibus deliberandum mihi, et Deus orandus, ut rectum consilium suggerat: quod ut facias, te supplex oro, O ter sancta Trias. Amen.

XII. *Kal. Aug.* Pergunt isti terrores, plane ut spero in Domino panici. Hodie cum Legato Anglico de rebus meis egi. Oro Deum immortalem, servet me et meos. Amen.

XI. *Kal. Aug.* Pauca hodie, non tamen nihil. Deo laus et honos. Amen.

X. *Kal. Aug.* Nullus tam felix est dies quo solum matutinas horas vindicare mihi possim.

Hodie venit ad me Legatus Ser. Ducis Urbini cum literis ipsius honorifice et amanter scriptis: deinde amici totum diem eripuerunt. Deus nos servet. Amen.

IX. *Kal. Aug.* Aliquid hodie. Dominus Jesus mea et meorum peccata tegat. Amen.

VIII. *Kal. Aug.* Ad sacram synaxim hodie profectus Molinæum audivi eruditum quidem virum, sed qui videtur in S. Theologia id habere propositum ut nova omnia proferat. Nam hodie quam multa dixit vere nova, potius quam vera; ut, S. Scripturam nullo opus habere interprete, quod etsi aliquo modo visus est interpretari velle, tamen vel sic mihi atque aliis visum est tam falsum quam absurdum. Omnium vero absurdissimum quod attulit exemplum de verbis S. Cœnæ Domini, quæ si nullam, ut affirmabat, desiderant interpretationem, et ἁπλῶς credendum, quicquid dicitur, credemus panem illum vere esse panem, et vere corpus Domini, quæ est hæresis pernitiosissima, nisi cum Lutheranis sentiamus: quale est item illud portentum de Ecclesia invisibili, nisi dextre accipiatur, et contra quam ille dixit, qui omnia involvit, nihil bene explicuit. Similia multa: ut, Ecclesiam anno octingentesimo a Christo deteriorem fuisse hodierna Pontificiorum. Omitto alia τοιουτότροπα. Dominus Jesus suam Ecclesiam respiciat et nos omnes. Amen.

VII. *Kal. Aug.* Tentatus jam ab aliquo tempore

difficultate fundendæ urinæ, sæpe etiam effusa copia magna arenæ, hodie primum aliquod remedium morbo afferre cæpi. Dominus Jesus benedicat mihi, meæ, et meis. Amen.

VI. *Kal. Aug.* Aliquid hodie etsi subinde turbatus et impeditus. Sed O tu, Domine Jesu, me ac meos respice. Amen.

V. *Kal. Aug.* Quod Deus bene vertat aquis Spada allatis uti hodie cæpi. Te, Domine Jesu, veneror benedic huic remedio et magis serva meum et meæ ac meorum animum ab errore immunem. Amen.

IV. *Kal. Aug.* Aquarum remedio hodie usi, non multum profecimus. Deus benedicat. Amen.

III. *Kal. Aug.* Aquas Spadanas etiam hodie sumpsimus. Deus benedicat. Amen.

*Prid. Kal. Aug.* Potiones aquarum hodie duplicavimus, et bene habuimus. Deo æterno immortali sit laus et honos. Amen.

*Kal. Aug.* Deum veneror, felix eat hic mensis, et quod superest cunque vitæ mihi, meæ, meisque. Hodie duas conciones audivimus et te, Deus æterne, laudavimus. Tibi honos et gloria. Amen.

IV. *Non. Aug.* Ad Spadanas aquas ob concionem intermissas hodie redii. Deus benedicat et huic remedio et omnibus consiliis nostris. Amen.

III. *Non. Aug.* Jam per tres dies et fere ex quo Spadanis aquis uti cæpi, dolorem in renibus experior, qui etsi intolerabiles non sunt, admonent

me tamen sortis humanæ et illarum ærumnarum quas *οἱ λιθιῶντες* patiuntur, a quibus Deus me, meam et meos liberet per Dominum Jesum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

*Prid. Non. Aug.* Utinam huic remedio et consiliis omnibus meis Dominus benedicat pro sua infinita bonitate. Amen.

*Non. Aug.* Uxor rus hodie profecta cum parte liberorum. Deus illam, me et meos servet. Amen.

VIII. *Eid. Aug.* Totum mane aquæ Spadanæ adimunt: totum reliquum tempus amici. Deus me, meam et meos respiciat. Amen.

VII. *Eid. Aug.* Mane aquæ et non lenis dolor in illis effundendis; sed nondum valde conqueri possum: Dominus graviorem dolorem avertat, et mihi, meæ ac meis benedicat. Amen.

VI. *Eid. Aug.* Pars maxima familiæ ad sacram synaxim hodie profecta est, ego ob sumptionem aquarum Spadanarum remansi. Hodie literas ab uxore accepi, quæ Dei gratia valet. Dominus Jesus hanc domum protegat. Amen.

V. *Eid. Aug.* Hodie aquis Spadanis usus de more, et duo vasa *πιὼν* constitui finem facere, eo vel maxime nomine, quod matutinas horas perdebam. Dominus Jesus et me et meam et meos servet. Amen.

IV. *Eid. Aug.* Uxor hodie rediit valens ad valentem. O magnas tibi, O Domine Jesu, gratias. Amen.

III. *Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια in legendis libris bibliothecæ Regiæ. Hodie in Synodo Florentina fui. Dominus det perficere. Amen.

*Prid. Eid. Aug.* Ad aquas Spadanas hodie sum reversus de consilio medici. Deus benedicat, et me ac meos servet. Amen.

*Eid. Aug.* Næ longa ætas multa edit non opinata, non prævisa: velut quod hodie de filio maximo natu rescivi, cui tu, Domine Jesu, bonam da mentem, da veram pietatem, et tui metum. Mihi quoque et uxori da prudentiam veram, ut in tam ardua re sic nos geramus quomodo tibi futurum est gratum. Da hoc, Deus æterne, et nostra nobis peccata condona per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit honos, laus et gloria. Amen.

XIX. *Kal. Sept.* O vitam ærumnosam! O Satanæ insidias! Qui non potuere me impellere ut imagines adorarem, ut doctrinam diabolorum amplecterer, ii filium natu maximum mihi corripuerunt et corruperunt. Γεννήματα ἐχιδνῶν, quid vos movit, ut hanc fraudem adversus me excogitaretis? Adolescentem imperitum rerum, imperitum disputationum Theologicarum in retia vestra compulistis me inscio, me invito. Dominus Jesus illius misereatur, et mei, per illam infinitam suam misericordiam. Idem respiciat hanc domum, servet uxorem charissimam, et liberos in timore sui nominis confirmet. Amen.

XVIII. *Kal. Sept.* Ad sacram synaxim ego, uxor

et pars liberorum ivimus. De filio non desperamus, tu modo adsis, Domine Jesu, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos et gloria. Amen.

XVII. *Kal. Sept.* Pergit filius in furore, etsi modeste hactenus. Ego Dominum Jesum orare pergam, ut mei, meæ, illius et omnium meorum misereatur. O vitam acerbam! O vitam miserandam! O ades, Domine. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Domine Jesu, medere meis et meorum malis. Amen.

XV. *Kal. Sept.* Deficio pondere obrutus meorum peccatorum, et eorum quæ a meis sunt commissa. Sed in tua, O Domine Jesu, benignitate spes omnis mea est sita. Tu me et meos serva. Amen.

XIV. *Kal. Sept.* Rus hodie proficiscimur. Dominus Jesus ceptis benedicat, nos servet, nos luce sua illustret, et ab erroribus omnibus vindicet. Amen.

XIII. *Kal. Sept.* Diem hunc posui in Actorum lectione collationis institutæ inter Doctores Tubingenses et Patriarcham Constantinopolitanum. Mira utriusque in sua opinione defendenda obstinatio. Itaque frustra tot literæ, tot scripta. Et nos hodie aliquid speramus? Deus solus potest hoc facere, qui nos fecit, qui pro sua bonitate in vera pietate nos firmare dignetur. Amen.

XII. *Kal. Sept.* Hodie apud Mercerum des Bordes maximam diei partem fui, et graviter ægrotanti adfui. Hodie item advenit filius, de quo valde

dubitabam. Superest ut tua bonitas, O Domine Jesu, et amico ægrotanti subveniat, et filio rectum det consilium, faciatque ut et parentum et liberorum omnia dicta, facta, et consilia ad tui nominis gloriam, Ecclesiæ ædificationem et nostram salutem referantur. Amen.

XI. *Kal. Sept.* Charantonem hodie ne iremus, multa impediebant. Deum oramus, adsit huic familiæ, multis de caussis languenti: inspiret nos ad ea facienda, ea credenda quæ sibi sint grata. Respice nos, Deus æterne, et nostra nobis peccata condona per Jesum Christum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus, et gloria *εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων*. Amen.

X. *Kal. Sept.* In lectione Nicolai Cabasilæ et colloquiis cum filio hodie fui occupatus. Dedi et valetudini aliquid. Uxoris enim et mea valetudo nonnihil nutat. Doluimus ego et illa morte cognatæ ipsius D. de Chapellain quæ lento morbo hodie est extincta. Dominus Jesus det in hujusmodi exemplis proficere, et vanitatem hujus mundi magis magisque addiscere. Amen.

IX. *Kal. Sept.* Rure hodie domum redii, et in museum me statim abdidi. Dominus Jesus et his meis ceptis ac studiis benedicat, et meam conjugem ac liberos adhuc rusticantes servet et universam domum. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Ad *τὴν φιλτάτην* hodie scripsi. Tu, Domine, rege nos omnes per Spiritum Sanctum tuum. Amen.

VII. *Kal. Sept.* In pervolutanda Bibliotheca Patrum hodie fui multas horas occupatus, atque utinam Deus cum aliis meis studiis tum his potissimum benedicat: idemque servet uxorem et liberos mecum *καὶ τὰς ψυχὰς καὶ τὰ σώματα ἀπημάντους*. Amen.

VI. *Kal. Sept.* Uxor Dei beneficio rure in urbem venit. Ego fere certam spem concepi de concedenda mihi venia visendæ Angliæ. Dominus Jesus ceptis benedicat. Amen.

V. *Kal. Sept.* Hodie officii caussa ad Regem adii; unde magnam voluptatem retuli. Video enim Principem nos habere optimæ indolis. Dominus Jesus spei ejus benedicat. Amen.

IV. *Kal. Sept.* Ad sacram synaxim hodie cum uxore et liberis profectus, jussus postea sum a Rege Bibliothecam ipsi ostendere. Vidit optimus Rex illos thesauros et sibi id gratissimum esse spectaculum ostendit. Iterum iterumque Dominum Jesum obsecro, obtestorque ut spei tanti Principis benedicat omni genere suarum benedictionum. *Γένοιτο, γένοιτο.*

III. *Kal. Sept.* Olim inter literatos nomen aliquod habuimus. Nunc eo miseriarum sumus redacti, ut dies totos amittamus, vix unam horam literis impendamus. Perierunt igitur studia nostra. Tu, Deus, da te colere, tibi servire. Amen.

*Prid. Kal. Sept.* Nihil ne hodie quidem, etsi optavi mihi consulere: sed me vis major abripit. Deus mei, meæ, ac meorum misereatur. Amen.

*Kal. Sept.* Quem diem, O Domine, velis esse fortunatum, ut omnia dicta, facta, cogitata mea et meorum ad tui nominis gloriam, Ecclesiæ ædificationem et salutem nostram referantur. Amen.

IV. *Non. Sept.* Hodie plures solito horas studiis impendi. Deo laus, honos et gloria. Amen.

III. *Non. Sept.* Aliquid hodie Dei beneficio: sed non multum. Uxor reversa rure. Deo Opt. Max. laus et honos לְעוֹלָם.

*Prid. Non. Sept.* Paucas et hodie studiis horas impendi. Dominus Jesus ceptis benedicat. Amen.

*Non. Sept.* Quod Dominus Jesus εἰς ἀγαθὸν κρίνοι, S. cœnæ Domini hodie communicavimus et Molinæi eruditam concionem audivimus. Videmus certe, et hoc negare non possumus, veteres aliquando aliter et sensisse de eo sacro mysterio, et longe aliam illius praxin habuisse. Optaremus minus longe ab illorum fide et ritibus nostros abiisse: verum quia satis expresso Dei verbo illi antiqui ritus et fides vetus non nituntur, et nos privati sumus, qui sequi, non præire in Ecclesia Dei debemus, caussam cur aliquid ipsi mutemus nullam satis justam habemus, quum præsertim id agatur ut omnia confirmentur quæ vetus superstitio aut nova excogitavit; ne deterius aliquid dicam, Deus Opt. Max. suo me ac meos Spiritu regat, et in veritate confirmet. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Paucas hodie in studiis horas posui, Deo laus et honos. Amen.

VII. *Eid. Sept.* Parum hodie aut nihil. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Sept.* Et hodie aliquid Dei beneficio, et uxor ad sacram synaxim ivit. Deo laus et honos. Amen.

V. *Eid. Sept.* Aliquid hodie, sed parum. Deus servet hanc domum. Amen.

IV. *Eid. Sept.* Et hodie leve aliquid, licet videatur gravis morborum tempestas, nisi Deus averterit, in hanc domum incumbere. Sed malis nostris Dominus Jesus medeatur. Amen.

III. *Eid. Sept.* Dominus Jesus mei et meorum misereatur. Amen.

*Prid. Eid. Sept.* Uxor ad sacram σύναξιν et τὴν τοῦ κυριακοῦ δείπνου κοινωνίαν profecta in gravem statim, atque est navim ingressa, morbum incidit, ac statim post communionem, domum relata amicis viris comitantibus Heraldo atque Arbaldo: febrem nunc quoque gravissimam patitur, ut et plures e familia, quibus omnibus tu, Domine, da ῥαΐσαι ad tui nominis gloriam et salutem ipsorum. Amen.

*Eid. Sept.* Ad morbum uxoris mea valetudo accessit. Itaque hodie cepi decumbere, decumbente uxore et maxima parte liberorum meorum. Tu, Deus æterne, respice languentem domum per Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat æternum. Amen.

XVIII. *Kal. Oct.* Ego hodie valui Dei beneficio. Uxor et duæ filiæ, sed uxor maxime, gravissime

vexata est. Dominus Jesus illam respiciat; et respiciet, spero. Amen.

XVII. *Kal. Oct.* Uxor melius hodie habuit. Sed crastina dies dabit certius indicium. Dominus Jesus illam servet et totam domum. Amen.

XVI. *Kal. Oct.* Inter noctes ærumnosas atque dies potest numerari nox præterita cum toto hoc die; quod totum νυχθήμερον incredibiliter me cruciavit ob acerrimos uxoris dolores, quibus ne nunc quidem est liberata. O Domine, respice hanc domum variis modis graviter afflictam, et nos solare, illam sana et reliquos qui ægrotant. Amen.

XV. *Kal. Oct.* Per gratiam tuam, Domine Jesu, uxor hodie melius valet: sed restant dolores, quos etiam sanabis, spero, brevi, idque ut facias, te supplex oro. Amen.

XIV. *Kal. Oct.* Ut video, cum longa valetudine res est uxori, quæ sæpe nos cruciabit, nisi Deus adfuerit. Hodie deterius quam ante habuit, et gravissimos est experta cruciatus. Dominus illam servet, sublevet, et præsidio suo dignetur. Amen.

XIII. *Kal. Oct.* Pars domus ad sacram synaxim profecta, ego uxori adfui meliuscule hodie valenti pro tua, O Deus, infinita misericordia, qui utinam inchoatam θεραπείαν perficias. Amen.

J'ai presté cejourdui a M. Herauld Tertullianus cum Pamelio et Josephum Græce.

XII. *Kal. Oct.* Uxor hodie melius. Deo meo laus et gloria. Amen.

XI. *Kal. Oct.* Uxor curata potione parum valuit, sed valebit, spero, ἐν τῷ Κυρίῳ. Amen.

X. *Kal. Oct.* Cum Capellanis Anglis hodie mihi fuit sermo. Alter Regis, alter hujus nuperi Legati est Capellanus. Magna sum perfusus voluptate cum vidi et penitus cognovi graves viros, cum ad veterem Ecclesiam oculos referunt, hanc nostram novitatem ægre posse pati. Sed huic morbo Deus unus est, qui possit facere medicinam. Ille bonis orandus, ut suæ tandem Ecclesiæ misertus, spiritum concordiæ nostris doctoribus ab utraque parte inspiret. Idemque hanc domum servet ἀπήμαντον, et uxori vires largiatur et filiabus ægrotis et omnibus nobis. Amen.

IX. *Kal. Oct.* En ut res humanæ retro sæpe sublapsæ feruntur. Jam mihi videbar beatus ob restitutam priori sanitati uxorem. Itaque jam itineri me accingebam. Sed manum Deus Opt. Max. injecit, et morbum uxoris ita voluit augeri, ut jam consilium illud penitus cogar intermittere. Tu, Deus æterne, uxorem subleva, et misere languentem recrea, atque universam domum serva ἀπήμαντον. Hodie Maria filiola in agrum est relata pluribus de caussis. Et hanc et matrem sana, Domine Jesu, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

VIII. *Kal. Oct.* Noctem superiorem egi insomnis *par la grande douleur de ma femme.* Nunc valent omnes, et præsertim illa, cujus morbum heri pro deplorato habebamus. Sed tu, Domine

Jesu, omnia potes. Tibi laus, honos et gloria. Amen.

VII. *Kal. Oct.* Molestiæ domesticæ multæ, et filii temeritatem ne sequantur alii, metus est. Uxor mediocriter valet. Dominus Jesus nos respiciat et nunc et semper. Amen.

VI. *Kal. Oct.* Ad sacram synaxim hodie nemo ob varias caussas: Dominus det melius servire ipsius Majestati. Idem consiliis nostris, et præsertim de itinere Anglicano benedicat, et uxorem restituat plane et nos servet. Amen.

V. *Kal. Oct.* Libros ne vidi quidem: sed uxori adfui nondum valenti precibus, et alia negotia gessi, quibus tu, Domine, benedice. Amen.

IV. *Kal. Oct.* Jam libros plane ignoro. Dominus Jesus huic domui benedicat. Amen.

III. *Kal. Oct.* Hodie Reginam conveni, et Majestatem illius non mediocri humanitate esse conditam sum expertus. Benignissime enim me est allocuta, et ad spem meliorum evexit. Itaque iter in Angliam ejus permissu paramus, sed redituri ejusdem jussu. Dominus Jesus per quem regnant Reges illam servet, et Regem filium, et quicquid pium atque prudens est eorum mentibus inspiret. Amen.

*Prid. Kal. Oct.* Hodie D. Molinæus ad me venit querens multa me de ejus scriptis sinistre loqui. Respondi, et personæ caussa, et muneris quod sustinet, plurimi me ipsum facere, non negare displicere mihi, quod veteres pios scriptores tam

libere, tam nulla ex caussa damnet, vituperet, repudiet. Rogavit sibi dari librum Apologiæ pro Rege Angliæ quem edidit, in quo ego multa notaveram ipsius, nisi fallor, peccata magna. Dedi, et, ut bonam in partem caperet, rogavi. Utinam ita sit, et omnes mei atque illius conatus ad Dei gloriam referantur. Amen.

*Kal. Oct.* Et huic mensi et reliquæ parti vitæ meæ et meorum Dominus benedicat, qui iter quod paro det perficere ad gloriam nominis sui, et ædificationem Ecclesiæ et salutem nostram. Amen.

VI. *Non. Oct.* Totus hic quoque dies in apparando discessu periit. Domine Jesu, benedic mihi et meis. Amen.

V. *Non. Oct.* Ad sacram synaxim profectus, cum sum reversus domum, inveni uxorem meliuscule valentem, sed quæ mox in gravem febrim incidit, quæ nisi fallor ad tertianam accedit, qua, O Domine, libera ipsam, et penitus salvam illam mihi ac liberis præsta. Amen.

IV. *Non. Oct.* O duram conditionem meam, qui, dum me paro ad hoc iter, ne aspicio quidem librum ullum, et præterea mille adversa experior. Domine Jesu, ades mihi, et me serva. Amen.

III. *Non. Oct.* Ad iter nos paramus, cui Dominus Jesus benedicat. Tu, Domine, ærumnas nosti nostras. O miserere. Amen.

*Prid. Non. Oct.* Amicis conjunctissimis diem hodiernum magna ex parte impendi. Dominus ceptis benedicat. Amen.

*Non. Oct.* Hæc scribebam curis variis anxius, et nescio quid de Anglicano itinere metuens. Video enim quo me dem præcipitem, et quæ me circumstent pericula, si, quod opto, quieti meæ et tranquillitati consulere voluero. Scis tu, Domine Jesu, quæ me et quam justæ rationes impellant, ut hoc iter suscipiam. Tibi exitum ejus permitto, et me atque omnia mea ut curæ sint (si fas ita loqui) supplex oro. Da mihi, da uxori bene valere, et tibi sincero pectore atque animo inservire, da liberos nostros in timore tui nominis erudire, postremo da nihil aliud spectare, nisi ut tuam gloriam promoveamus. Amen. Amen.

VIII. *Eid. Oct.* Hac die iter inchoavi Deo duce, fretus misericordia Domini Jesu, quod tot annos optavi. Erat quidem molestissimum τὴν φιλτάτην parum bene valentem relinquere, et a meis discedere; sed urgebat occasio nullo pacto prætermittenda, quum vir illustrissimus D. Wotton, qui huc Legatus extra ordinem venerat, in suum comitatum recipere me optaret et suo ære in Angliam traducere. Hodie igitur, quod Deus vertat bene, ab uxore discessi et liberis, Domino Jesu meam, meos, et mea omnia supplice voto commendans. Te veneror, Deus æterne, te παναγία ἐν μονάδι τριὰς, serva manentes, duc et reduc proficiscentem, et nos omnes veritatis tuæ luce magis magisque illustra, et pro inexhausta tua bonitate huic itineri benedice. Amen. Amen. Hodie pransi sumus *a Escouan*, ubi prætorium M. E. spectavi-

mus structuræ insignis. Inde venimus *a St. L'Eu:* ibi mansimus. Gratias tibi, Domine.

Σὺν Θεῷ iter in Angliam le vendredi 8 Oct. 1610.

VII. *Eid. Oct.* Pransi *a Clermont,* ubi vidimus opificem operum minutissimorum, quæ torno fiunt non sine admiratione omnium qui illa Myrmecidea opera vident: venimus *a Berteuil* magna parte itineris nocte confecta, atque etiam ubi urbem ingressi sumus, τινὸς ἀβουλίᾳ unam vel alteram horam vagati per urbem. Ibi mansimus. Deo gratias.

VI. *Eid. Oct.* Pransi in pago qui dicitur *S. Sol lieu* Samarobrigam Ambianorum venimus itinere feliciter confecto. Hic ego ad uxorem scripsi paullo post quam e curru descenderam, et ad Johannem filium atque Isaacum meum, necnon ad Arbaldum medicum, ut illi valetudinem uxoris commendarem. Domino Jesu laus et gloria.

V. *Eid. Oct.* Ædem sacram hujus urbis maximam vidimus cum presbytero Anglo itineris comite, qui erat D. Legati Capellanus, magnifice structam, maximi pretii ornamentis insignem. Sunt ibi certatim posita, et quotidie ponuntur ἀναθήματα, quæ columnas fere abscondunt. Vidimus et ministrum illius urbis virum bonum, neque indoctum. Ab eo deducti sumus ad spectanda mœnia urbis spectatu dignissima, si quæ alia, opinor, in Gallia. Est hoc quoque in ea urbe insigne quod fluvius *Somme* in urbem admissus per octo aut plures alveos divisus ac pon-

tibus constratus magnos civibus præstat usus. Vidimus et collegium Jesuitarum, de quorum audacia multa narrabantur mira, et litem ex eo contractam inter cives atque Jesuitas affirmabant, quæ brevi apud Senatum Parisiensem, aut consilium Regium esset disceptanda. Nos mirati sumus ausos esse sui commodi caussa publico vico quasi pontem imponere, structo in medio vico pariete, qui ædificium imponendum sustineat, ut prædium trans vicum positum collegio jungatur. Sed opus erat publica auctoritate impeditum, et procuratores Reipublicæ illius Lutetiam missi ad querelam cum hoc tum aliis nominibus instituendam. Hoc die Samarobrigam appulerunt D. Legatus, qui partem comitatus præmiserat, et D. illius uxor, fœmina generosissima, et omni laude dignissima, quæ obviam marito venire in hanc usque urbem sustinuit. Mansimus in hac urbe etiam hac nocte. Domino Jesu laus et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων.*

IV. *Eid. Oct.* Samarobriga profecti non intermissa equitatione venimus *a Aubeville* quæ venusta urbs est: hic mansimus. Deo laus et honos. Amen.

III. *Eid. Oct.* Monstrolium venimus continua equitatione. Deo laus.

*Prid. Eid. Oct.* Boloniam simili ratione venimus. Is locus in nostris et Anglorum historiis celeberrimus est. Urbs duplex est inferior et superior. Illa ad oram portus est sita: portus

non optimus, ut quidem dicebant nonnulli. Atque hic primum Oceanum spectavi. Domino Jesu laus et honos. Amen.

*Eid. Oct.* Caletum, sive Calaisium est dicendum, venimus bene madidi ob pluviam qua maximam diei partem sumus compluti. D. Legatus magnifice hic exceptus est prodeunte obviam D. D'Arquiem cum universo equitatu suo. Sed et populus universus per vicos Urbis congregatus D. Legato et ejus nobilissimæ uxori ingentem honorem exhibuerunt. Urbs est parva, sed non invenusta, et propter res ibi gestas famæ celeberrimæ. Ex hoc loco ternas ad uxorem literas dedi, quam, O Domine, serva et me ac meos omnes ad tui nominis gloriam. Amen.

XVII. *Kal. Nov.* Totum diem Caleti mansimus, et portum eximium spectavimus in quo erant parvarum navium et fere piscatoriarum ad centum quinquaginta aut non multo pauciores. Diceres sylvam esse cum malos navium in portu stantium spectares. In hac urbe platea est admodum magna et elegans. Invenimus et hic amicos, D. D'Azenai, cui ab amplissimo Vicquio de meliore nota fueramus commendati, et Præsidem Legatum Urbis, qui sua officia perhumaniter mihi obtulerunt. Deo sit laus, honos et gloria, qui me, meam, ac meos servet. Amen.

XVI. *Kal. Nov.* Dies erat Dominicus, quem optabam in synaxi piorum collocare; sed alia fuerunt nobis cogitanda. Illustrissimus D. Legatus

navi regia in Galliam vectus, ut moris est Legatis Regis Anglorum, acciverat in Galliam ejusdem navis Præfectum, atque ille jusso Legati accepto, parere voluit; sed per ventos reflantes portu educere regiam navim non licuit. Exspectavit Legatus ad diem istum usque. Et erat ventus modo commodus trajecturis ex Anglia, modo trajecturis in Angliam. Mane jussu Legati paratæ sunt una φορτηγὸς ad impedimenta ipsius et nostra, altera ἱππαγωγὸς ad equos transvehendos; et totum mane in illis onerandis est positum. Fluctuabat interim animus illustri Legato quid facto esset opus, expectaretne navim ex Anglia, an hic conduceret. Et erat jam fere amissa penitus hodiernæ profectionis spes, cum Legatus suos jussit accumbere, ipso et uxore ejus non accumbentibus, ne si foret proficiscendum graviore nausea tentarentur. Jam accubueramus, et fere ad secundas mensas erat perventum, quando est renuntiatum D. Legato ventum ita vehementer flare trajectioni in Angliam contrarium, ut nulla spes esset posse hoc die navem solvi. Itaque tum accubuerunt et ipse et generosissima ipsius uxor. Post prandium ad portum profectus, ac mox in hospitium reversus faciem rerum immutatam inveni, et jamjam oram esse solvendam. Advenisse enim navim non regiam quidem, sed aliam sane magnam et tanto comitatui devehendo idoneam. Ut veni, et ocreas indui munimentum adversus frigus, exit hospitio D. Legatus

ingenti turba sequente, et recta portum petimus. Ac quoniam navis Anglica major erat, quam ut portum posset ingredi, scaphis pluribus ad navim leucæ unius fere spatio distantem et in anchoris σαλεύουσαν deferimur. Jam præcesserat oneraria cum impedimentis, quam magnæ navi vicinam invenimus. Erat hora diei circiter secunda post meridiem aut paullo amplius cum scaphas in portu Calæsii conscendimus. Et erat magna nobis spes, qui ἴκμενον οὖρον haberemus a puppi flantem, trium vel ad summum quatuor horarum spatio posse nos portum tenere et in Angliæ portum oppositum Doroberniam appellere. Itaque lætus admodum e scapha in magnam navim ipse transii, qui primam illam navim magnam oculis spectabam meis, tribus velis, quæ ventus inflabat, ornatam, et insignia Regni Anglici præ se ferentem in panno sericeo crucibus rubei coloris distincto. Jam ferebatur navis, jam crescebat mihi cæterisque spes, cum repente ea nobis est præcisa vento in contrarium verso, et quidem mutatione adeo subita, ut navis ἱππαγωγὸς quæ nobis discedentibus solvere e portu cogitabat, impedita fuerit, atque in portu detenta ad diem usque Martis. Nostra vero navis mutata velificatione cursum, uti poterat, tenere conabatur. Sed neque per ventum multum poterat promovere, et mox nox superveniens eas tenebras attulit, ut, ubi gentium essemus, nesciret gubernator. Dicebamur ad decem millia passuum prope portum

accessisse; verum gubernator neque ventis reluctari, neque unum in tam densis tenebris poterat. Itaque modo dicebamur Caletum impetu venti referendi, modo Peronam, modo nescio quo alio. Sed et metus omnes tenebat, ne in syrtes aut rupes navim ventus conjiceret. Itaque ut quisque erat rei nauticæ intelligentissimus, ita plurimum totam illam noctem metuit. Ego simul ac magnam navim eram ingressus, nausea gravi tentatus in cubiculum D. Legati fueram deductus, atque ibi tres aut quatuor horas dolore stomachi et quasi λειποθυμίᾳ quadam continua sum exercitus; ut qui mare nunquam conscendissem, et essem ad hanc diem τῶν τῆς θαλάττης πημάτων ἄπειρος. Heic meminisse juvat ejus humanitatis, quam D. Legatus et D. ejus uxor, et certatim plurimi ex ejus comitatu mihi exhibuerunt. Nam et præsidia usitata adversus hoc genus mali sunt non petenti subministrata, et in lecto collocatus sum qui D. Legato et uxori ipsius fuerat paratus. Ibi ego jacens observavi, si in latus sinistrum incumbens jacerem, neque nausea neque ullo dolore me tentari, quare hoc situ servato, quandiu in navi fuimus, nullum amplius omnino dolorem neque nauseam sum expertus. Ita mihi Dei benignitas auxilio fuit. Postquam alta nox erat, et densissimæ tenebræ, pluvia accessit ad priora mala tam vehemens ut nihil supra. Hactenus D. Legatus cum uxore extra suum cubiculum manserant, super matelas culcitis stratis

jacentes. Pluvia in suum *κοιτῶνα* eos cogente ipse in inferiorem *στέγην* sum deductus et nautis etiam atque etiam commendatus. Collocatus sum in parte navis ubi erant *στρώματα ναυτικὰ* quibus incubarem, et vestes nautarum quæ pro pulvino forent. Ibi jacens quiescebam placide, et reliquum omne tempus quievissem, nisi primum pediculi *κακὰ θηρία καὶ ἐξωλέστατα* agmine facto e vestibus nautarum miserum me invasissent, quæ collum primum mordentes deinde partes alias corporis incredibilem molestiam mihi exhibebant. Accedebat reputatio periculi, cum totam noctem ministri nautici clamarent, discurrendo et ingenti strepitu omnia miscendo. Ipse interea loci ad Deum conversus ab ipso subinde opem enixe petere; et ad omnem periculi suspicionem preces iterare, ut mei misertus, mea peccata sanguine Domini nostri Jesu Christi *τοῦ μονωτάτου σωτῆρος* abluens, animam meam, si ita placeret, susciperet, et uxorem meam pro sua bonitate sustentaret favore suo, atque illi et liberis benediceret. Tunc experientia didici quam vim illa Pauli apud Lucam in naufragii descriptione, *ηὔχοντο ἡμέραν γενέσθαι*, haberent. Nam et mihi et omnibus illa nox incredibilem in modum visa est longa. Tandem affulsit aurora, et spes videbatur allata. Sed crescente vi ventorum atque imbris, deteriore etiam loco res nostræ fuerunt, adeo ut illustrissimus Legatus longioris

jactationis impatiens scaphæ se committere cum uxore, filia, et genero, atque unico alio nobili viro maluerit, quam diutius κλυδωνίζεσθαι incerto metu. Exspectabant gubernator navis et nautæ maris fluxum, ut eo deferrentur ad portum optatum, nam refluxus tempore frustra tentatum esset aliquid. Quare perdiu navis non multis milliaribus dissita ab ora Anglicana stetit in anchoris. Est statum tempus καὶ τῆς ἐπιρροίας καὶ τῆς ἀμπώτεως horarum sex. At gubernator non statim initio fluxus anchoram sustulit; sed multo post. Hoc pacto quum obtinuissent nautæ, ut vel invitis ventis ad portum accederent, nihil propius factum, quam ut in ipso aditu portus navim frangeremus, et male periremus. Nam dum dirigitur in ostium portus navis, ipsius majore vi delatæ et rostrum et aliæ partes conteruntur non sine præsenti periculo totius et omnium qui inerant. Itaque metuentes vitæ suæ nautæ Deum inclamant, opem ipsum poscentes, quod in extremis malis fieri ab illis solet. Adfuit Numen et præsentia sua nos servavit. Navis in portum inducta; nos gravius malum nullum experti, hilares et Deo Opt. Max. gratias habentes agentesque navi sumus egressi, et in hospitio nobis præparato corpus curavimus. Iterum, iterumque sit laus, honos et gloria τῷ σώσαντι Θεῷ.

XIV. *Kal. Nov.* Hodie demum circa meridiem appulit navis, quæ equos D. Legati vehebat.

Totum hunc diem otiosi egimus, in spectanda hac urbe Dorovernia, et arce illius ac portu. Sit nomen Domini benedictum.

XIII. *Kal. Nov.* Cum illustrissimo Legato Cantuariam venimus. Atque ibi a viro præstantis eruditionis et pietatis D. Doctore Charier, quicum nupera mihi in Gallia contracta est amicitia multis officiis quæ in hoc itinere ab eo accepi confirmata, in domum suam sum deductus, ut hoc, dum Cantuariæ hærerem, hospitio uterer, quod et feci non invitus suavissima consuetudine ipsius adductus. Dominus illi hoc officium rependat, et me, meam, ac meos servet. Amen.

XII. *Kal. Nov.* Inter viros doctissimos hujus Ecclesiæ uti vocant Præbendarios diem hunc fere totum egi, non mediocriter gaudens esse his summis viris gratas cogitationes nostras de iis quæ ad religionem spectant. Dominus Jesus τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν luce sua nos dignetur φωτίζειν, qui etiam τὴν φιλτάτην, et me, ac liberos, atque omnes meos servet. Amen.

XI. *Kal. Nov.* Paucas horas libris legendis dedi, plures amicis. Quum incidissent in manus meas scripta Martini Becani, et quia nullus alius liber erat ad manum, cepi in iis quædam legere. Scripsit varios tractatus stylo facili, et satis acri. Est enim disputator non parum vehemens. Legi illius Disputationem Theologicam *De Antichristo reformato*, item aliam *De purgatorio Calvini*, nec-

non aliam cui titulus *Quæstio de differentia inter Calvinistas, Pelagianos, et Catholicos in negotio Prædestinationis contra quendam Calvinistam anonymum, Calvinisticorum Aphorismorum defensorem.* Hic anonymus libellum ejusdem Becani *Aphorismi doctrinæ Calvinistarum ex eorum libris, dictis et factis,* etc. confutaverat: cui respondit Becanus. Lecta mihi et alia ejusdem *De communicatione sub altera specie* disputatio. Da, Domine Jesu, tibi vere et cultu grato tibi servire, ac me meamque et meos serva. Amen.

X. *Kal. Nov.* Hodie domo non exii, et libros optimi hospitis excutere cepi, decerpturus quos interim legam, dum hic hæreo. Tibi, Domine, honos et gloria. Amen.

IX. *Kal. Nov.* Diem Domino sacrum inter preces et verbi divini auditionem divisi. Dominus Jesus me, meam, et meos servet. Amen.

VIII. *Kal. Nov.* In hoc otio quo hic fruor Cantuariæ apud suavissimum hospitem Doctorem Charier legi aliquot libros ex ejus bibliotheca promtos: in his est Possevini Mantuani *S. T. Apparatus Sacer.* Est opus molis ingentis in duos tomos distinctum complectens scriptores Ecclesiasticos ordine literarum digestos. Apparet multæ diligentiæ hominem esse, eruditionis mediocris, judicii oppido exigui. Nam videtur Possevinus id præcipue spectasse ut molem libri augeret: adeo multa inseruntur incepta inutilia et plane mox

tollenda, nisi insaniat, ut in tot libros emendationes levissimorum mendorum typographicorum quos multis paginis prosequitur. Hic Appendicem Baronii in decimum tomum quo priores emendabat ridicule inserit totum. Talia multa, velut, quod ex uno auctore duos facit; ut in Nicolao de Clemengis quem facit alium a Nicolao de Clamangiis: et quam temere scribat, sæpe eadem repetat, de iisdem libris tanquam diversis loquatur, passim cernere potest; ut in Nicolao Cabasila. Omitto iniquitatem erga omnes a Papa quoquomodo dissentientes. Est tamen propter duas res auctor ille et opus hoc utilissimum. Nam de editis aut non editis scriptoribus multa utiliter observat, non passim omnibus nota, qui neque publicas bibliothecas habent ad manum, neque in eo studio operam posuerunt. Sic quum nuper Nicolai Cabasilæ orationes περὶ τῆς ἐν Χριστῷ ζωῆς legissem, atque edere illas a me versas cogitassem, reperi nunc eam operam a Pontano S. F. occupatam et opus ab ipso editum. Alterum est, quod multa obiter inserit scitu necessaria, velut quod scribit in voce *Maronitæ* de eorum politia in monte Libano, de missis nuper ad hos Legatis a Romano Pontifice, et de ipsorum fide ac probitate. Narrat inter cætera, quum esset lex apud Maronitas, quæ presbyteris necessitatem imponebat conjugii, Legatos Pontificis Romani mutasse hoc solum; ut tolleretur necessitas, et libero cujusque arbitrio res permitteretur. Mirum vero

mihi indicem illum percurrenti videbatur, homines pios, qui superioribus sæculis vivebant, tam multos de rebus Theologicis libros edidisse. Nam vel unum vide Johannem de Hagen, cognominatum de Indagine, stupebis quam multa ille volumina composuerit. Atque ita hunc diem posuimus, nisi quod maximam illius partem amici nobis eripuerunt, et ipsa loci hujus amœnitas, quam lubentes spectavimus. Dedimus etiam hodie ad illustrissimum D. Archiepiscopum Cantuariensem literas. Dominus me, meam, et meos servet. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Percurri hodie ejusdem Possevini *Bibliothecam selectam de ratione studiorum.* Opus distinctum est in duos tomos. Totum continet libros XVIII, quorum primi XI conficiunt priorem tomum, posteriorem alii VII. In priore de studiis Theologicis agitur, in posteriore de prophetia, jurisprudentia, medicina, mathematicis, historia, poësi, pictura et Cicerone, nam de hoc totus liber est XVIII. Præfixa est Idea operis totius, in qua vellem planius esse locutum: in ejus fine affert longam Hieronymi parodiam e Terentio; quam etiam distinguit in Versus, quod non puto fecisse Hieronymum. Locus est e præfatione II comment. in Michæam. *Moneo tauros pingues qui circumdederunt me, ut quiescant et desinant Maledicere, malefacta ne noscant sua. Nam quod dicunt Origenis me volumina compilare, et Contaminari non decere veterum scripta: quod illi malevoli*, etc. con-

tinuantur ad versus XIII. Omnino sunt in utroque tomo, cur legantur eruditis, satis justæ caussæ: quo de alias σὺν Θεῷ. Legi hodie et nuperum Hadriani Saraviæ librum contra Bezam de episcopatu in Ecclesia. Beza hoc argumentum plane nove tractaverat, ut novitatis auctor esset Scotis. Saravia acriter et vere confutavit probans etiam a Calvino suo Bezam dissentire; ne dicam ab omni vetustate quam audacter spernit. Liber recens editus et majore otio relegendus. Atque utinam det Dominus Jesus in veritatis studio quotidie proficere ad sui nominis gloriam, et salutem meam, τῆς φιλτάτης, et omnium meorum. Amen.

VI. *Kal. Nov.* A precibus publicis diem orsus structuram hujus ædis spectavi et ad summum ejus fastigium præeunte doctissimo amico D. Charier ascendi. Amplissimæ ædis magnificentiam et elegantiam satis mirari non poteramus. Nec tamen periit dies totus. Doctorem Saraviam visi, et de libro nuper ab ipso scripto contra somnia nostrorum de triplici episcopatu divino, humano, Satanico multis una egimus. Suave mihi gravissimum senem de malis nostris libere et graviter disserentem audire. Atque utinam Deus his Ecclesiæ suæ ingentibus malis medeatur. Legi et Reginaldi Angli librum ingeniosissime scriptum contra novos pietatis doctores quos ille conatur probare in multis τοῖς μεσολ-μανίζουσι consentire in principiis religionis explicandis. Liber est propter eloquentiam et exqui-

sitam doctrinam nequaquam contemnendus, etsi propositum non probo: *δοίη ὁ Κύριος καὶ ἐμοὶ, καὶ τῇ φιλτάτῃ, καὶ τοῖς τέκνοις, καὶ πᾶσι τοῖς ἐμοῖς ἐν τῇ γνώσει τῆς ἀληθείας ὁσημέραι προκόπτειν· ὃς καὶ φυλάττοι ἡμᾶς ἅπαντας σώους καὶ ἀπημάντους. Γένοιτο, γένοιτο.*

V. *Kal. Nov.* Hodie primum festum diem inter nostros celebravi. Nam in hac Ecclesia Apostolorum dies celebrantur. Itaque Lucæ sacer hic dies erat. Deus det mentem bonam iis qui hac pietate offenduntur. Atque hactenus Cantuariæ egimus. Nam crastina die Londinum *σὺν Θεῷ* cogitamus. Deus adsit comes itineri, qui et me, et uxorem, et liberos servet ad sui nominis gloriam. Amen.

IV. *Kal. Nov.* Hodie ab hospite amicissimo et de me optime merito D. Charier profecti Londinum iter instituimus, cui Dominus Jesus benedicat. Transiimus per amœnissimam regionem et venimus Roffam, quæ hodie Rocestria, ubi navale regium, et multæ, ac maximæ in his nonnullæ. Inde Gravesindam perreximus atque ibi mansimus. Laus Deo.

III. *Kal. Nov.* Gravesinda Londinum tendentes in æstuario navigavimus: vehebamur parvula cymba quam et secundus ventus, et fluxus maris et remi impellebant. Itaque horis fere quatuor aut quinque iter confecimus, multum in itinere mirati vastissimam clavem *Principem* dictam, quia Principi Walliæ paratur, vere tanto prin-

cipe dignissima sive magnitudinem spectamus sive ornamentum: sed de hac fortasse alibi accurate, si Deus itineri benedixerit, cui pro absoluto feliciter itinere æternas atque immortales gratias ago. O Domine, miserere mei, uxoris, liberorum et omnium meorum. Veni igitur Londinum et recta ab amicissimo Chariero ad domum decani ædis Paulinæ sum deductus. Hic ego quantam humanitatem in illo viro sim expertus, quid attinet commemorare? Sed et mox ad Dominum Archiepiscopum profectus quantam reverendissimi senis benignitatem experiri mihi contigerit, non possum dicere. Fuit mihi cum eo multus sermo, et maximus præsul suum atque regis desiderium patefecit mei retinendi. Dominum Jesum supplex oro, statuat de me, ac meis, prout gloriæ ipsius scit ipse fore conducibile. Te semper, O Domine, sequar, et tua bonitas semper mihi dignetur præire, et meæ, ac meis. Amen.

*Prid. Kal. Nov.* Diem sacrum non male posui Dei beneficio. Sum enim invitatus hodie ut interessem sacris, quæ facta sunt ad consecrandos episcopos duos Scotos, et archiepiscopum Scotiæ. Vidi illos ritus, et impositionem manuum et preces in eam rem. O Deus, quanta fuit mea voluptas! Tu, Domine Jesu, serva hanc Ecclesiam, et nostris catharis, qui ista rident, da bonam mentem. Da etiam mihi et meis ut veritatis luce illustrati crescamus in vera pietate. Da et

prosperam valetudinem mihi, uxori et omnibus meis. Amen.

*Kal. Nov.* Multis nominibus hic illuxit lætus dies: nam apud D. Episcopum Vigorniensem una cum D. Episcopo Londinensi pransus, postea ad Dominum Archiepiscopum profectus ea signa benevolentiæ ipsius sum expertus, ut majora non potuerim desiderare. Domum reversus mox cumulum gaudii accepi cum mihi literæ ab uxore et meis sunt traditæ. O quas ego tibi grates, Domine Jesu, reddam? eram de uxoris charissimæ valetudine sollicitus supra modum. Illæ literæ me bearunt. Valet enim uxor tua, Domine, gratia. Tibi honos, laus et gloria. Amen. Hodie a D. Rustantach accepi centum libras quas uxor Lutetiæ numeraverat Dominæ Gentili.

Pour le port des hardes a Londres 55 fr.

IV. *Non. Nov.* Jam me aulicarum occupationum tædet. Jam libros desiderare impatienter incipio. Nam etsi inter amicissimos viros versor, qui me sua humanitate dant in pudorem, ego tamen jacturam temporis cogito. Atque utinam Dominus libris meis me reddat, et, quod maxime cupio, uxori ac liberis et omnibus meis. Sic velit tua Majestas, O Deus immortalis. Amen.

III. *Non. Nov.* Ad Legatum Christianissimi Regis hodie profectus magnam ex ejus sermonibus voluptatem cepi. Atque utinam de tyrannide Romana sic omnes sentirent qui in illis castris versantur. Dominus Jesus suæ Ecclesiæ mise-

reatur, idemque et me, et uxorem, et liberos, atque omnes meos servet. Amen.

Pour livres ches D. Norton etc. sumsi e centum libris 3*l.* 10*s.*

*Prid. Non. Nov.* Inter amicos et libellos hunc diem divisi. De uxore levem auditionem accepi, ipsam valere. Da, Domine, et illi, et mihi, et meis omnibus καὶ τῇ ψυχῇ καὶ τῷ σώματι ὑγιαίνειν. Amen.

*Non. Nov.* Librum hodie ne aspexi quidem, nisi limis oculis. Sed apud veterem amicum fui D. Arbertum nobilissimum virum: deinde cum sapientissimo et doctissimo viro D. Episcopo Eliensi aliquot horas posui, et miram illius erga me humanitatem et benevolentiam agnovi. Laus Deo Opt. Max., qui me, meam, et omnes meos servet. Amen.

Baillé a Gautier 2 escus. Accordé a Gautier pour ses gages 2 esc. ½ le mois, et in vinum quotidie 2s.

VIII. *Eid. Nov.* Hodie hæc acciderunt. Venit mane Capellanus D. Comitis Dunbar a Rege missus, qui significaret ejus jussu incredibili se cupiditate flagrare mei videndi, optare, ut die Lunæ curru D. Comitis ad se veherer priusquam negotiis urbanis sese immisceret. Mox ipse ad D. Archiepiscopum veni et consilium ab ipso petii: qui suam benignitatem amplius etiam quam ante mihi demonstravit, et prandere secum jusso miris testimoniis suum affectum declaravit. Quid dicam? Domine Jesu, tuum hoc beneficium est,

non meritum meum. Nam quis ego sum? aut quid? Te supplex oro, dirigas hoc negotium ad nominis tui gloriam, Ecclesiæ tuæ ædificationem, et salutem meam, meæ et meorum. Amen.

VII. *Eid. Nov.* Hodie sacræ concioni interfui quam habuit pastor unus e quatuor Ecclesiæ Gallicæ. Deinde inter amicos diem ob pluviarum vim fœdam posui. Domine, gratias tibi, qui ut me, uxorem, ac liberos serves, supplex oro. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Ut nuper fuerat significatum mane sum accitus a serenissimo Rege in aulam. Erat hoc die venturus ad regiam suam domum Thiboul dictam quasi dicas Theobaldi. Eo igitur sum vectus curru illustrissimi Comitis D. Dunbar. Quando venimus, Rex nondum advenerat. Itaque inter exspectandum palatium, et hortos atque topiarium opus spectavimus. Versantibus in aula παραστάσεως, ut vocant, repente Rex advenit. Quem more Anglico ubi salutassem γονυπετήσας, benignissimo vultu et verbis affectu plenis ab ejus Majestate sum exceptus. Quum inter cætera mihi diceret se post longam exspectationem libentissimo animo me videre, et optare ut felix in suum regnum hic meus esset adventus, *Atque utinam,* ait Rex optimus, *possem id assequi, ut patriæ oblivionem in animum tuum inducerem.* Cepit mox de literis agere, et Romanensium in se recentem injuriam commemorare. Forte enim habebat præ manibus librum satanicum a Reboul

editum, qui furore tanto in Regem maximum est grassatus ut furiarum opera liber scriptus videatur. Suspicabatur Rex esse D. Perronium libri auctorem. Sed nos multis probavimus esse opus Rebouli, hominis impii et fanatici. Deus hanc et id genus alias pestes male perdat, aut mentem eis det meliorem. Quum ad mutandas vestes Rex secessisset, mox eo cubiculo egressus, ejus jussu sumus acciti, et illi adstitimus ad cœnam, et per universam cœnam: totumque id tempus sermonibus de literis præsertim sacris est impensum. In hoc colloquio didici cum alia, tum hoc quoque: nunquam plane intercidisse episcopos in Scotia, sed quando nostrorum vana superstitio sustulit totam veterem *ἱεραρχίαν*, non potuerunt tamen efficere ut non unus saltem et alter remaneret. Post cœnam Regis cum meis comitibus D. Decano Vintoniensi Morton, D. Doctore Charier, et D. Sacellano D. Dunbar ad pagum ubi hospitium nostrum est, sumus reversi, Deo grates gratissimas agentes, quod tantum Principem videre mihi dedisset, et tam graves cum ipso sermones habere. Idem Deus me, uxorem et liberos atque omnes meos servet. Amen.

v. *Eid. Nov.* In aulam mane rediimus, et Regem, ubi surrexit, salutavimus, ac de libro Rebouli quædam retulimus. Deinde, quia dies erat Martis privata solennitate a Rege coli solitus ob casum fratrum de Gowri, concioni interfuimus,

quæ habita est coram Rege. Multus postea sermo nobis fuit cum maximo et sapientissimo Rege de multiplici genere literarum. Incidit sermo de Tacito, Plutarcho, Commineo, aliis. Quum dixisset Rex errare eos qui Tacitum magistrum civilis prudentiæ unicum facerent, atque ego dixissem, ante annum idem judicasse me in præfatione ad Polybium, tum non mediocriter se gaudere Rex doctissimus dixit, quod ego idem secum sentirem. In Plutarcho reprehendebat iniquitatem erga Julium Cæsarem, in Commineo levitatem judiciorum et malignum elogium Anglorum. Quid multa? Non sine stupore tantum Regem de literis audivi pronuntiare. Mox a prandio Londinum repetiimus, læti admodum, nisi lætitiam nostram valetudo illustrissimi D. Archiepiscopi conturbasset. Dominus Jesus et Regem servet et D. Archiepiscopum priori sanitati reddat, et de me, mea, et meis statuat ad nominis sui gloriam. Amen.

IV. *Eid. Nov.* Adii hodie Legatum Regis Galliarum, ut officio ne deessem meo. Deinde inter amicos diem posui. Deus immortalis adsit et mihi, meæque, et meis omnibus. Amen.

III. *Eid. Nov.* Mane in æde Pauli egi, et præter alios ritus vidi S. Eucharistiæ communionem, certe longe aliam quam apud nos in Gallia. Itaque te magis amplector, Ecclesia Anglicana, ut quæ a veteri Ecclesia propius absis. Dominus Jesus det vere reformatam Ecclesiam videre. A

prandio venit, qui nomine Regis me acciret. Itaque in aulam profectus serenissimum et sapientissimum Regem adii, et plures horas cum eo fui. Mira Principis benignitas, mira doctrina, mira pietas. Et ille quidem me sibi vult retinere ἴδιον θεράποντα. Ego vero ut tanto honore me fateor indignum, ita eventum tuæ, Deus æterne, providentiæ permitto, et te supplex oro, ut inter Reginam Galliarum cui sum obstrictus, et hunc divinum Regem negotium meum componas, et me, meam, ac meos serves. Amen.

*Prid. Eid. Nov.* Mane Principem adii, et salutavi tanto patre Rege dignum filium. Antea veterem amicum Thomsonem virum eruditissimum videram, et animum gaudio ingenti expleveram. Sed longe tristissimum illud accidit, quod illustrissimus præsul D. Archiepiscopus Cantuarensis hodie obiit. O factum male! Sed Deus ita voluit, qui me, meam, et meos servet. Amen.

1 escu ei qui dedit Justinum.

*Eid. Nov.* Iterum hodie venit ad me vir gravis a Rege missus, qui omnia ejus nomine prolixe polliceretur. Tum a prandio episcopus Lamus ad Regem ipsius jussu me deduxit. Itaque cum ipso perdiu fui. O vere pium Principem. O Regem naturæ benignissimæ, cui posse inservire det Deus ad gloriam suam et Ecclesiæ ædificationem, idemque Deus me, meam et meos servet. Amen.

XVIII. *Kal. Dec.* Diem Deo dicatam partim audienda concione impendimus, partim scribendis in Galliam literis. Deus Opt. Max. consilia hæc ad nominis sui gloriam dirigat, Ecclesiæ ædificationem et meam ac meorum salutem. Amen.

XVII. *Kal. Dec.* Hodie ad Regem profectus multum ibi fui, et mensæ ejus adstiti, uti moris est, proximus cathedræ. Scripsi hodie et Lutetiam literas. Dominus Jesus hoc negotium dirigat pro sua sapientia ad sui nominis gloriam et salutem meam ac meorum. Amen.

XVI. *Kal. Dec.* Etiam hodie apud Regem multum fui, et graves cum ipso sermones habui: deinde Lutetiam de meis negotiis scripsi. Dominus Jesus totum hoc negotium de mea huc migratione dirigat ad sui nominis gloriam, et meam ac meorum salutem atque utilitatem. Amen.

XV. *Kal. Dec.* Hodie missæ sunt literæ ad Reginam de mea in hæc loca migratione. Itaque si illa veniam dederit, jacta alea est. Te, Domine Jesu, supplex veneror, fac pro tua inexhausta bonitate, ut hoc negotium dirigatur ad nominis tui gloriam, Ecclesiæ ædificationem, et meam, meæ, ac meorum salutem. Exaudi, Deus æterne, exaudi, Christe Jesu, exaudi, Sancte Spiritus, Trinitas τρισαγία καὶ ὑπεράρρητος. Amen.

XIV. *Kal. Dec.* Lætum mihi diem, quando ab uxore literas accepi, et bene valere ipsam cognovi. Deus illi benedicat, mihique et omnibus liberis καὶ τοῖς ἐν γένει. Amen.

XIII. *Kal. Dec.* Amicis hunc diem impendi, et apud Melvinum fui, qui in arce servatur, virum sane doctissimum et pietatis zelo ferventissimum, sed qui, nisi fallor, pro sua vehementia perdendis rebus aptior est quam servandis. Deus et mihi et illi bonam duit mentem, ut id probemus, ea loquamur, quæ sunt futura ipsi grata: idem Deus me uxori, uxorem mihi, utrumque nostrum liberis et liberos nobis servet. Amen. Amen. Amen.

XII. *Kal. Dec.* Mane frustra iter suscepi ad Principem Anhaldinum: a prandio ad veterem amicum virum amplissimum sum profectus D. Carew qui fuit Legatus in Gallia, atque ita dies est consumtus. Deus mihi, meæ et meis omnibus benedicat. Amen.

XI. *Kal. Dec.* Ad synaxim Gallicam iturus, in aulam ad Regem sum jussus ire, qui me suo more, Princeps benignissimus, benignissime excepit. Deinde apud Fontanum ministrum Gallicum diei reliquum consumsi, *χάρις τῷ Θεῷ, ᾧ τὰ περὶ ἐμοῦ καὶ τῆς φιλτάτης συγγάμου καὶ τέκνων καὶ ἄλλων τῶν πρὸς γένος μέλοι.* Amen.

X. *Kal. Dec.* Hodie ut convenirem D. Ducem de Lenos male totum fere diem posui. Inde cum redirem, offendi Capellanum Comitis de Dunbar, qui Regis jussu ad me venerat, et quia Rex optimus intellexerat me cogitare Cantabrigiam et Oxoniam, metuens ne viaticum forte deesset, mille libras Gallicas ad me misit, munus meo judicio magnum pro loco, et tempore, et occasione. Itaque,

Domine Jesu, pro hac tua benignitate erga me (sic enim interpretor, qui sciam nullum hic meritum esse meum) quas ego tibi gratias agam? Tu, Deus æterne, animum Regis maximi sapientissimi et εὐσεβεστάτου inclinasti, ut me favore suo complecteretur, et illa sua vere regia liberalitate foveret. Tibi, Deus æterne, gratias. Tu Regem serenissimum protege, et omnibus numeris perfecte beatum redde: serva etiam, Pater ἐπουράνιε, domum meam; et nos omnes fac nihil spirare, nihil optare, nisi quod ad tui nominis gloriam spectet, Ecclesiæ tuæ ædificationem, salutem nostram. Amen.

5 $\overset{x}{\nabla}$ famulo dedi pro stipendio suo 2 mensium. 1 $\overset{x}{\nabla}$ pro sumtu quotidiano.

IX. *Kal. Dec.* Ad Regem profectus gratias agere volui: sed non sum auditus: tanta Principis benignitas, et erga me comitas. Tu, Domine Jesu, illi repende omnia bona, quæ tuo instinctu facit. Vidi illum hodie tangentem struma laborantes. Res est visu dignissima, et cujus effectum viri graves et pii prædicant. Plane θαῦμα θαυμάσιον. De meis interim rebus sollicitus divinæ providentiæ me, meam, et meos permitto. Κύριος εὐμενὴς εἴη.

VIII. *Kal. Dec.* Mane epistolas ἀνεκδότους Basilii legi: a prandio accitus sum ab Episcopo Eliensi cum hospite meo viro doctissimo, ut ille nobis librum a se scriptum et mox edendum recitaret. Mirati sumus viri eruditionem et acumen. Deus

Opt. Max. omnia dirigat ad sui nominis gloriam, qui me, meam et meos servet. Amen.

VII. *Kal. Dec.* Totus fere dies in studiis Dei beneficio actus, inter doctos certe, et maxime apud Episcopum Eliensem longe doctissimum. Θεῷ χάρις, qui me, meam et meos servet.

VI. *Kal. Dec.* Lætum mihi diem. Nam hodie valere uxorem intellexi, et quidem ex literis filii et Chabanæi mei. Multa in illis literis tuæ, O Deus, bonitatis erga me argumenta. Nam filius pias ad me literas dedit. Tu, Deus æterne, infunde pietatem veram mentibus meæ et meorum: te colamus, te vereamur, te adoremus solum et vere per Jesum Christum Filium tuum, cui una cum Deo Patre et Deo Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

V. *Kal. Dec.* Apud Episcopum Eliensem hodie fui, et magnum fructum ex ejus doctrina et pietate cepi. Deus illi, Deus mihi, meæ, et meis omnibus benedicat. Amen.

IV. *Kal. Dec.* Sacræ concioni Gallicæ hodie interfui, quia Anglicum sermonem non intelligo. Ὑπόθεσις erat vox Christi apud Matthæum sese parantis ad mortem. Ait ille ad tres discipulos, Ἀδημονεῖ ἡ ψυχή, etc. Quæsivit minister quæ caussa hujus tanti doloris. Ibi attulit opiniones de ea re veterum Patrum, Origenis, Hieronymi, Basilii, quos dixit sensisse Christi dolorem caussam præcipuam habuisse, quod reputaret quanta Judæos manerent mala propter scelus in se mox patran-

dum. Hanc sententiam ille acriter confutavit et dixit Christi ἀδημόνησιν fuisse quod veris graviora mala metueret, hoc est, ultra mortem majora, majora, inquam, et alia quam sit expertus, quod probavit illo Pauli loco ad Hebræos ἐξηκούσθη ἀπὸ τῆς εὐλαβείας. Nam ecce, inquit, mortem Christus subiit, at hic dicitur metuisse quædam ex quibus fuerit liberatus. Ergo aliquid majus et gravius morte metuit. Tum addidit ex hoc loco ita exposito ab illis Patribus debere constare quam sit parum tribuendum Patribus qui se a Spiritu Dei non siverunt regi. Nam ita dixit. Denique graviter in Patres et eorum sectatores est invectus. Quærat vero minister cui persuadeat: ἐμὲ γὰρ οὐ πείσει, οὐδ' ἢν πείσῃ. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Reliquum diem in lectione epistolarum Basilii ἀνεκδότων posui. O virum pium, sanctum, vere Christianum, vere magnum. Ubi sunt tenebriones qui vituperant? Domine Deus, da sentire in talibus ubique, quod placeat tibi, da loqui, quod placeat tibi, da etiam mihi, meæ, et meis omnibus ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον βίον.

III. *Kal. Dec.* Hodie apud Legatum Regis mei pransus sum, et ex sermonibus illius grandem voluptatem cepi. Deinde apud Eliensem Episcopum fui virum admirabilem, qui meas notulas non neglexit, imo pluris fecit quam merebantur, καὶ αὕτη παρὰ Κυρίου ἐγένετο. Illum servet Deus, et me simul καὶ τὴν φιλτάτην et omnes liberos καὶ τοὺς πρὸς γένος. Amen.

*Prid. Kal. Dec.* Mane apud D. Quilegré pransus, deinde apud D. Eliensem multis horis versatus, ibidem cœnavi. Ita fere tempus omne mihi periit. Dominus det melius collocare, et me servet, meam, et meos omnes. Amen.

*Kal. Dec.* Da, Pater ἐπουράνιε, hunc mensem feliciter inchoare et feliciter exigere: da uxori, liberis, sorori et omnibus meis valere, et te timere. Amen.

IV. *Non. Dec.* Literas ad uxorem et alios plures Lutetiam dedi; quos Deus servet, et me cum illis et χαίροντα πρὸς χαίροντας, μάλιστα δὲ πρὸς χαίρουσαν τὴν φιλτάτην reducat. Amen.

III. *Non. Dec.* Quantum poteram, diem lectioni impendi, et Basilii epistolas pellegi, quas habui ἀνεκδότους. Det Dominus in vera pietate quotidie proficere cum mihi, tum meæ et meis omnibus ad sui nominis gloriam. Amen.

*Prid. Non. Dec.* Mane aliquid egi in studiis: a prandio apud D. Eliensem fui, et legentem illum audivi caput libri sui octavum. Mira elegantia vir doctissimus quisquilias, nænias et ineptias, imo aliquando impias blasphemias Bellarmini confutat: ut quod negaverat ille Catholicos appellare B. Virginem, vel *Divam*, vel *Deam:* nam profert Eliensis multa Lipsii loca, in quibus ita illam appellat, Lipsii veteris amici mei, qui hac in parte satis vituperari non potest. Tantine nominis virum tantam ausum esse impietatem? Proh facinus! Ego frivolum putavi utrumque

scriptum illius, tamen impium non putavi. Sit beata, sit sancta, sit venerationi omnibus mortalibus mater Jesu Christi Maria; sit denique evecta in quantum maximum ἡ κτίσις capere et consequi potest honorem, certe Deam se dici ipsa non pateretur, neque tot anilibus fabulis immisceri, quas narrat Eliensis. O videte hæc, qui vestra protervitate Ecclesiam Dei scinditis, et pudeat vos tandem. Mihi vero et meæ ac meis omnibus det Dominus Jesus in harum rerum meditatione proficere, et illum pio semper animo et sincero zelo colere. Amen.

*Non. Dec.* Iturus ad Gallicam σύναξιν, invitatus sum ad concionem Lambethi habendam celebrandæ memoriæ τοῦ μακαρίτου viri illustrissimi D. Archiepiscopi Cantuariensis. Habuit concionem vir magnus D. Londinensis qui ὑπόθεσιν sumsit appositissime e cap. XIV. Apoc. 17. Non plane intelligebam quæ puro sermone Anglico dicebantur. Sed facile ex verbis, quæ intelligebam, et pauculis Latinis quæ inserebat, observabam pene singulis verbis ipsum immorari, et doctrinam convenientem singulis aptasse. Sub concionis finem facta est mentio τοῦ μακαρίτου et merita illius in Ecclesiam ac virtutes memoratæ. Narravit etiam quam forti et constanti animo ille se ad mortem imminentem comparasset; atque hoc cum aliis argumentis probavit, tum etiam isto quod mihi diserte dixisset intra paucos dies mortem se expectare, et ea occasione

vir reverendissimus mentionem mei honestissimam fuit. Et verissimum certe est quod ille dixit. Nam hanc ego constantiam in Archiepiscopo et quando primus ipsum conveni, et iterum etiam sum demiratus. Ego vero morte illius non patrono, sed parente sum orbatus, qui, si vixisset, non solum opibus sed etiam honoribus cogitabat me beare. Κατ' ἄνθρωπον λέγω. Nam equidem in tua unius, O Deus æterne, benignitate omnem spem meam habeo repositam. Tu, Domine Jesu, me, meam, et omnes meos propitius respice. Amen.

VIII. *Eid. Dec.* Mane pensum a Rege impositum me habuit: deinde a prandio eandem ob caussam apud D. Episcopum Eliensem fuimus. Nam vix est, ut ante id negotium peractum aliud serio curare possim. Quod si in hac peregrinatione otium contigerit, constitui id σὺν Θεῷ εἰπεῖν Patribus aliquot percurrendis dare, Cyrillo, Origeni, Bernardo, Hesychio in Levit. &c. Da tu modo, Domine Jesu, μονώτατε σῶτερ, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, sit gloria, sit victoria εἰς αἰῶνας αἰώνων. Sit vero et mei, et meæ, ac liberorum nostrorum et πάντων τῶν πρὸς γένος cura. Da, Deus æterne, exitum peregrinationi huic meæ lætum et cum tui nominis gloria conjunctum. Ego me Dei providentiæ totum trado atque permitto. O exaudi vota supplicis, παναγία Τριὰς, et me, meam ac meos serva. Amen.

VII. *Eid. Dec.* Non male positus dies tum in

penso quotidiano a Rege imposito, tum in lectione varia. Deus benedicat et studiis, et personis, meæ inquam, et uxoris charissimæ, et liberorum atque omnium meorum. Amen.

VI. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια hodie, etsi non satis libero animo. Nam angit me uxoris et meorum omnium diuturnum hoc silentium. Tu, Domine Jesu, serva me, meam, liberos, et omnes meos. Amen.

V. *Eid. Dec.* Amici hodie me habuerunt: deinde ad pensum adfui. Sed ita me curæ et sollicitudines de futuro meo statu, de præsenti etiam uxoris et liberorum [premunt], ut jam libris tractandis aptus parum sim. Te convenio, Domine, et supplex adoro, des lætum exitum huic peregrinationi et omnibus consiliis meis, meque meam et meos serves. Amen.

IV. *Eid. Dec.* Ergo alea jacta est, et mihi porro patria carendum, in Anglia manendum. Hodie enim mihi literæ sunt allatæ, a viro amplissimo D. Villaregio scriptæ jussu Reginæ, quibus mihi hic manendi fit potestas. Gaudeo sarcitam esse jacturam quam in morte indulgentissimi mei Mæcenatis, Henrici IV., Regis Christianissimi feceram, postquam Dei beneficio serenissimum Regem sum nactus, qui benignitate sua lacrimas meas de illo immani parricidio cupit siccare. Sed rursus patriæ et amicis longum dicere vale durum est et asperum. Usurpabo tamen illud ἕπου τῷ Θεῷ, et quo me divina ducit providentia,

eo sequar. Te, Deus æterne, supplex veneror fortunare hoc consilium velis; desque mihi sic otio hoc uti, ut omnia mea dicta, facta ad nominis tui gloriam, Ecclesiæ tuæ ædificationem, et salutem meam ac meorum referantur. Perfice etiam quod superest hujus negotii, et uxori ades, ut illa velit, quod tu statuisti, et præsta illam inter istas curas bene valentem et corpore et animo per Jesum Christum, *τὸν μονώτατον σωτῆρα*, Filium tuum *μονογενῆ*, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

III. *Eid. Dec.* Literas ad serenissimum Regem de meo negotio scripsi, et viro amplissimo Thomæ Leas tradidi. Apud Legatum Franciæ fui et de rebus meis sermonem cum ipso habui. Quantam jacturam fecerim in morte *τοῦ μακαρίτου* Archiepiscopi videor incipere intelligere. Dominus Jesus me, meam, et meos regat. Cras Deo dante, ad sacram synaxim me comparo, utinam neque plane *ἀνάξιος τῶν μυστηρίων*, et illa forma satis Deo grata. Nam Anglica longe magis placet mihi. Sed dabit Dominus Jesus majorem in istis lucem. Amen.

*Prid. Eid. Dec.* Concioni hodie Gallicæ interfui et cœnæ Domini Jesu participavi. Vidi ritum novum qui ob nonnulla valde mihi novus est visus. Ego de tanta re pronuntiare dignus non sum; sed aut valde errarunt veteres omnes omnium nationum Christiani, aut isti hodie, et *πάντες οἱ ἀπὸ Καλβίνου*. Dominus Jesus, pro sua

inexhausta misericordia veritatem suam me et meos doceat, quod ad gloriam ipsius et nostram salutem sit satis. Idem me, meam, et meos servet.

*Eid. Dec.* Apud Episcopum Eliensem pransus, totum fere diem cum illo egi. O doctum, O humanum virum! Deus illi et hospiti meo benedicat, qui etiam pro sua bonitate me servet et meam ac meos. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Pensum quotidianum me quoque hodie habuit, et præterea cum hoc die, tum heri etiam ad uxorem literas scripsi, querens de ejus silentio, cujus utinam sit alia caussa, potius quam ipsius valetudo. Tibi, O Deus, et me, et illam, et liberos, atque omnes meos commendo. Illos et omnes nos serva. Amen.

XVIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια in penso quotidiano, cum Episcopo Eliensi, et privatis studiis. Interim ab uxore nihil, quam, O Deus, serva, et me cum illa et omnes liberos nostros. Amen. Hæc scripseram cum literas Episcopi Bathoniensis ad me scriptas accepi, jussu Regis scriptas. Deus bone, quam lætas! quibus mihi Rex suam singularem benevolentiam patefacit, et rebus meis consulit. Duas præbendas assignat, Cantuariæ unam, alteram Westmonasterii, quæ fortasse ad duo millia librarum annui reditus accedunt. Adjicit stipendium bis mille librarum. Spes etiam fit de viatico ad mille libras. Hæc in præsens, majora in posterum ostenduntur. Quid majus sperare potui? præsertim quum significet Rex gratas

sibi semper fore meas literas, et illa sibi voluptati esse dicat. In tanto rerum successu incessit animum formido, ut sit mansura hæc felicitas. Nam quis ego sum, cui hæc bona tot et tanta fuerint speranda? Te, Deus æterne, veneror, benedicas mihi, meisque: des animum vere tui timentem, vere humilem. Serva mihi et uxorem, et liberos et amicos. O exaudi mea vota, Deus æterne, per Jesum Christum Filium tuum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

XVII. *Kal. Jan.* O lætum diem! Nam ab uxore, quæ mihi vita mea charior, quatuor fasciculos hodie accepi. Omnia sunt domi læta; omnia ex animi sententia. Deum immortalem, quas ego tibi gratias agam? Sed non nunc primum experior tuam, Pater benignissime, infinitam clementiam. O Domine, respice me, et me ac meos timore dona tui nominis. Da in rebus lætis cogitare adversas, et omnes hujus vitæ casus vertere in occasiones humiliandi ferocem animum, et tuis præceptis magis magisque subjiciendi. Qui igitur uxorem, et liberos ac me hactenus servasti, nunc quoque serva, et me illis, et illos mihi redde. Amen.

XVI. *Kal. Jan.* Vidi hodie multos e Gallia libellos, multas literas, unde venio in spem posse nostris Gallis nubem adimi, quæ visum impedit, quominus videant atque intelligant quo spectent Papæ Romani consilia. Næ ille se vere Anti-

christum probat nupero libro Bellarmini contra Barclaium. O Deus, ades bonorum inceptis, et Galliam a dura tyrannide libera. Amen.

Papa χξϛ.

XV. *Kal. Jan.* Profecturus ad Regem, hæc scripsi, Deum Opt. Max. orans, obtestans, ut det mihi, meæ ac meis mentem rectam, sanam, et vere piam. Ades, O Deus, consiliis nostris. Amen. Profectus mane cum Episcopo Lifeldensi hoc die confeci ad palatium Regis quod Theobaldi vocant, vulgo Thiboul, milliaria duodecim, inde ad pagum Betinfor sedecim, atque hic mansimus. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Jan.* Summo mane ἅμ' ἠοῖ profecti quinque milliaribus confectis ad pagum venimus ubi Rex habitat, nobili nomine dicto Roiston, quod denotat Regis oppidum, in quo tamen nihil quicquam regiæ tanti principis majestati satis conveniens. Hic Episcopum Vellensem, et Thomam Laes virum amplissimum conveni, mox ipsum Regem qui me humanitate illa sua inæstimabili est complexus. Comitatus ad concionem in qua non pauca intellexi, ad prandium illi adfui. Mox jussus in cubiculum interius ingredi multa cum ejus Majestate sum locutus, qua de publica, qua de privata re. Deus, qui illius animum in me inclinavit, det mihi nihil nisi pium, nihil nisi dignum ejus auribus apud ipsum loqui. Mox dimissi, ad pagum Betinfour noctu sumus reversi. Laus Deo Opt. Max., cui me, meam et meos supplex commendo. Amen.

XIII. *Kal. Jan.* Domum hodie sum reversus itinere feliciter confecto. Laus Domino Jesu in quem unum ἐπαναπαύομαι, me, meam et meos divinæ providentiæ permittens. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Hodie literas in Galliam per famulum mittendas scribere cœpi, deinde pensum apud D. Eliensem absolvi. Sit Deo laus. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Totum diem in literis scribendis posui: sed postea visum est faciendum ut adhuc paucos dies expectarem. Te, Deus æterne, veneror, serves me, meam, ac meos, et rectum in negotiis nostris constituendis consilium duis. Amen.

X. *Kal. Jan.* Apud Legatum Franciæ hodie fui; reliquum tempus dedi studiis et literis scribendis. Deus mihi, meæ, et meis benedicat. Amen.

IX. *Kal. Jan.* Hodie ad literas scribendas redii, et plurimas scripsi. Feci etiam sumptus ingentes, ut vestes huic aulæ convenientes mihi pararem. Dominus benedicat mihi, meæ ac meis. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Hodie literarum fasciculos in Galliam absolvi. Dominus Jesus consilia mea et uxoris fortunet, nos servet ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ sibi δουλεύοντας καὶ λατρεύοντας, et nostris liberis et amicis benedicat. Amen.

VII. *Kal. Jan.* Concionem Gallicam hodie intellexi. Deinde apud Episcopum Londinensem pransus, reliquum diei Anastasio Sinaitæ et literis scribendis dedi. Dominus me, meam, et meos servet. Amen.

VI. *Kal. Jan.* Quod bene Deus vertat, famulum hodie ad uxorem misi Lutetiam, et mandata ampla de rebus meis dedi. Dominus Jesus velit nobis consilia sibi grata suggerere, nam nos quidem cæcutimus, et diversis affectibus huc illuc trahimur. Tu, Deus æterne, nostra omnia incepta dirige ad bonum finem. Da uxori ταῦτα φρονεῖν ἅ σοι μέλλει ἀρέσκειν. Da mihi, meæ et meis tibi servire, et a te uno pendere per Jesum Christum Dominum nostrum, qui una cum patre Deo, Deus ipse, cum Spiritu Sancto Deo, vivit, regnat et semper triumphat. Amen.

V. *Kal. Jan.* Heri famulum in Galliam dimiseram. Ille in gratiam D. Legati detentus hodie demum abiit. Dominus Jesus mea, meæ, et meorum consilia fortunet, et nos servet καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα. Amen.

IV. *Kal. Jan.* Mane in studiis aliquot horas posui. A prandio Andream Melvinum invisi. Deinde in reditu literas a suavissima uxore accepi suavissimas. Quas ego tibi, Domine Jesu, pro tanto beneficio gratias agam? Qui igitur hactenus illam et me servasti et nostros quoque liberos, serva etiam in posterum, et parentes liberis, et liberos parentibus atque imprimis charissimam uxorem mihi. Da, Domine Jesu, inservire omnes gloriæ tuæ. Amen.

III. *Kal. Jan.* Multus hodie fui in Matthæo Parisiensi. Utilis sane scriptor multis nominibus, vel propter tyrannidis Papalis veram de-

scriptionem, etsi erat ille Papæ admodum addictus. Da, Deus, in his studiis proficere, qui etiam me, uxorem, liberos ac omnes meos serva. Amen.

*Prid. Kal. Jan.* Varie diem egi. Mane post Psalmorum lectionem concionem adii habitam in memoriam Thomæ Apostoli, et quanquam non multa Anglica assequebar, multum tamen profeci vel ex iis quæ intellexi, et in domo precum *καὶ εὐκτηρίῳ οἴκῳ* Deum oravi quod in parte beatitatis pono. Deinde reversus domum in Theodoreto evolvendo operam posui. Legi præfationem illius in Canticum Canticorum eruditissimam, ubi caput Ezechielis XVI. eruditissime explicat. Legi et alia. A prandio fui apud D. Episcopum Bathoniensem, nec me pœnitet sermonum quos una habuimus a pietate ut spero non alienos. Atque ita annum hunc, O Deus æterne, exegi. Ventum enim est ad illius ultimum diem, ac fere ultimam horam. Me vero reputantem curriculum anni hujus subit ingens admiratio divinæ providentiæ, cujus etsi rationes non capimus homunculi, effectus tamen videmus et miramur. Edita sunt omnibus ætatibus stupenda exempla et mentem hominum sui admiratione defigere idonea. Sed quod accidit hoc anno in Rege Christianissimo, id, si accurate expendatur, nulli priorum exemplorum vel *θαυμαστοτάτων* cedit. Adoro, Deus Opt. Max., sapientiam tuam, judicia tua, et taceo. Ad me venio, qui, si unquam alias, hoc certe

anno, tuam, Deus immortalis, bonitatem sum in me expertus. Amiseram Mæcenatem mei studiosum, cujus mors mortem mihi reddidit optabilem. Jacebam igitur, quid agerem nescius, nisi illis vellem per omnia consentire qui me ad castra alia dudum vocabant. In hac ἀπορίᾳ quasi θεὸς ἀπὸ μηχανῆς intervenit serenissimus Rex Angliæ, qui per τὸν νῦν μακαρίτην Archiepiscopum Cantuariensem me blandissime invitat, et spem facit honestæ conditionis. Veni igitur, ut tantum Regem inviserem, et tot proceres Ecclesiæ Dei. Ut veni, tantam, et omnium quidem, sed maxime Regis maximi benevolentiam sum expertus, ut subito divinæ providentiæ memet permiserim, et si per Reginam liceret, saltem ad tempus hic manere optaverim. Quod quum maxime Rex potestate insignis vellet, egit cum Regina Francorum hera mea, et veniam mihi impetravit, ac statim ut rationes honeste vivendi mihi suppeterent curavit. Quantum hoc est, O Domine Jesu, tuæ bonitatis erga me argumentum? Afflixeras sublato priore Mæcenate. Sensi plagam, et publico casui ingemiscens mortem optassem oppetere. Sed dolorem meum tua, O Domine, inexhausta bonitas mirabili ratione sanavit. Ὄντως παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη. Vere tuum hoc opus est, Deus immortalis. Nam quid ego ad hoc negotium contuli? aut quis ego sum? Scio, Πάτερ ἐπουράνιε, nullo hoc meo accidisse merito. Scio certe, sed ut magis sciam, et ut serio descendam

in memet, largire hoc mihi. Jam quum sub discessum gravissimo morbo fuerit uxor conflictata, ne illa vi morbi, ego doloris, succumberemus, dedisti tu, Domine, et mox valetudinem illi priorem restituisti. Quid alia commemorem Dei erga me beneficia? Dies unus non sit satis illis recensendis. Ago tibi, Deus immortalis, gratias non quas debeo, neque enim possum, πολλοῦ γε καὶ δεῖ, sed quantas certe maximas possum. Tibi, Domine, hæc ego tanta beneficia fero accepta, tibi, inquam, uni et soli, tibi omnis laus debetur, omnis εὐχαριστία. Da hoc, ὦ δοτὴρ ἐάων, da famulo inutili tuo ut magnitudinem tuorum beneficiorum sentiens, et quotidie animo reputans, da, inquam, mihi, meæ, et meis, ut te unum spiremus, te unum ἐνεργέτην prædicemus, tibi uni placere πάσῃ σπουδῇ καὶ μηχανῇ conemur. Da nobis parentibus præire liberis nostris veræ pietatis exemplo. Da liberis sic institui in hac juventute, ut vitam suo tempore tibi gratam degant, et aliis porro sinceræ pietatis exemplum præbeant. Filium natu maximum in viam rectam siste, et nos omnes tuam voluntatem edoce. Ac quoniam peregrinatio ista me a mea et meis separavit, te rogo supplex, redde mihi meam ac meos, et me illis. Serva interim ἀνόσους καὶ ἀπημάντους me, meam, liberos, sororem καὶ πάντας τοὺς ἐν γένει per Jesum Christum τὸν ἀληθινὸν σωτῆρα, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, gloria et victoria לְעוֹלָם. Amen. Amen. Amen.

Annus Domini CIↃ IↃ CXI.

*Kal. Jan.* Quem quidem diem atque annum ut felix inchoem, te supplex, Deus æterne, oro, obsecro, atque obtestor. Felix sane erit et dies, et annus, et omne tempus, quod tibi vixero, quod tuæ Legi divinæ et *τῇ σῇ γραφῇ τῇ ὡς ἀληθῶς θεοπνεύστῳ* impendero. Quanquam sine tua, *Πάτερ ἐπουράνιε*, ope, sine auxilio *οὐρανόθεν* veniente ne id quidem bene cedet. Non enim legere, sed intelligere, neque hoc solum, sed multo magis facere quæ scripta sunt, juvat, et cælos aperit. O magne mundi Rector, dedisti tu quidem voluntatem dirigendæ vitæ secundum tuum præscriptum: sed me velle tuum inquirentem aliquando habent incertum mire variantes hominum sententiæ. Nam vel in uno argumento de sacrosancto Eucharistiæ mysterio jam eo res videtur rediisse, ut pii quid sentiant vix satis porro compertum sint habituri. *Οὐ γὰρ ἰδίας ἐπιλύσεως ἡ γραφή.* Doctores autem hodierni non certam viam nos docent, sed ad capita viarum *πολυσχιδῶν* nos deducunt, et pene dixerim, postquam illis aures commodavimus, incertiores quam dudum nos relinquunt. In tanti igitur momenti re, quid sequemur, O Deus æterne? quid in aliis id genus? Nobis durum videtur existimare veterem Ecclesiam tuam periculosæ adeo ignorantiæ damnare, ut contrarium fidei illius sit hodie credendum ut vitæ iter ingrediamur. De hoc autem mysterio

tanto et nonnullis magni momenti articulis longe diversa sensisse veterem Ecclesiam a doctrina recentiore, aut planissime habeo compertum, aut habere certe videor. Ποῖ οὖν τραπῇ τις; ποίαν ὁδὸν ὁ βουλόμενος ὀρθοποδεῖν ἐνστήσεται; istud est quod jam aliquot annos me angit, et dies noctesque habet sollicitum. Cupio tibi, Domine Jesu, fideliter inservire, cupio in navicula tua inveniri, et ut mea meique omnes inveniantur cupio, et vehementissime quidem. Sed me variarum momenta rationum mire interdum divellunt et in contraria rapiunt. Video alios obtentu vetustatis crassissimos errores propugnare; alios dum fugiunt novos errores omnia facere vere nova; ut tollant abusus, multarum sanctissimarum, uti quidem puto, institutionum usum damnare et propria auctoritate tollere. Denique hos reformationis alioquin necessariæ auctores ita parum inter se consentire, ut eorum alter alteri sit lupus. Jam apud me priscæ Ecclesiæ tuæ, Christe Jesu, plurimum valet vel ipsum nomen, atque adeo persuasum habeo quod illa probaverit et in quo consenserit neque ullo pacto sacræ scripturæ tuæ repugnaverit, haud temere illud posse aut rejici aut mutari. Sed me rursus terret Romani Episcopi aperta et prorsus Antichristiana hæc tyrannis. Non enim μικροῖς αὐλοῖσι sed jam plane ὅλοαῖς μανίαις furit ὁ ἐπὶ τῆς ἑπταλόφου, ut sine manifesta impietate nemo videatur illi posse certe in asserenda tyrannide adhærere. Habes,

Deus καρδιογνῶστα, animi mei vulnera; O ades medicus mihi et per viarum incerta ἀσφαλὴς ὁδηγὸς me ac meam et meos deduc. Spero equidem quod me huc tua sancta providentia collocavit, eo pertinere hoc tuum consilium. Mire enim animus meus in hac forma præ illa nostra acquiescit. Itaque, O Deus, O lux vera, perge tuam mihi patefacere voluntatem, ut ego et mei omnes sincero animo te colamus, tibi serviamus, te adoremus. Da nutantes res meas collocare in tuto. Mihi hic, uxori Lutetiæ consilia inspira futura semper tibi grata; rege nos, et fac regi nos sinamus. Magna res est, quæ inter me et uxorem agitur. A te consilium, a te auxilium petimus. Te supplices oramus, te γονυπετοῦντες veneramur, mentes nostras regere ut digneris. Certe, Domine Jesu, πτωχοὶ τῷ πνεύματι nos sumus, tu igitur præsta nos μακαρίους, præsta καθαροὺς τὴν καρδίαν. Rege per vim et efficaciam tui Spiritus Sancti et me et uxorem, et liberos, ac maxime filium natu maximum, et sororem, et omnes qui ad nos pertinent. O exaudi, Pater ἐπουράνιε, καὶ ὑπεράρρητε, cui una cum Filio unigenito Domino Jesu et Spiritu Sancto sit laus, honos, regnum καὶ πᾶν κράτος, καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen. Amen. Amen. Psalmi mirabilis CXIX. finis est תָּעִיתִי כְּשֶׂה אֹבֵד בַּקֵּשׁ עַבְדֶּךָ כִּי מִצְוֺתֶיךָ לֹא שָׁכָחְתִּי׃ Domine Jesu, auctor salutis meæ et omnium servandorum, hujus versiculi possum ego prima verba dicere, et de mea, et de meis. Miseri enim

peccatores sumus, et de via recta millies deflectimus. Tu Pastor ille bonus sæpe nos requisisti. O quære amplius, et in ovile tuum sic include ut nulla inde vis nos possit auferre. Denique postrema verba ut aliquando vere possimus usurpare, da miseris nobis, mihi, uxori, liberis, sorori, et nostris omnibus. Amen.

IV. *Non. Jan.* Ad Aulam hodie profectus, concioni interfui cujus non multa sane, non tamen plane nihil intellexi. Regem inde conveni serenissimum plane Principem et sui semper simillimum. Prandenti affui, et toto prandio, quam longum illud fuit, audivi examinantem Notas appositas Versioni Anglicæ S. Bibliorum quæ nuper Duaco prodiit. Legebat Episcopus Bathoniensis, Rex censebat. Censuras approbabant qui aderant Episcopus Eliensis, Episcopus Coventriensis, et ego cum illis. Dominus Jesus Regem optimum magis magisque lumine suæ veritatis velit illustrare. Mira certe hujus Principis in studiis sacris oblectatio, quæ satis nunquam laudari poterit. Idem Dominus me, uxorem, et liberos, atque omnes meos servare et regere dignetur. Amen.

III. *Non. Jan.* Totum diem piis meditationibus impendi et precibus publicis. Atque utinam det Dominus Jesus ita digne me præparare ad sacram communionem, ut crastina dies ab omnibus cogitationibus me liberet, quæ non sint ipsi gratæ. Te veneror, Domine, ades mihi, ad crastinam

actionem; da velle, da posse meum et animum et corpus tibi consecrare, quod et uxorem una mecum facere, et liberos, atque omnes pie sancteque vitam instituere opto. Sic velis faxisque, Deus æterne, per Jesum Christum Filium tuum unigenitum, qui una tecum Deo Patre Deus ipse et cum Deo Spiritu Sancto sine principio sine fine est, vivit, regnat. Amen.

*Prid. Non. Jan.* Gratias tibi, Domine, quod hodie ad sacram mensam sum admissus, et corporis Christi sanguinisque factus sum particeps in Ecclesia Anglicana, cujus formulam heri diligenter meditatus, admodum probavi, et ordinem agendi mire laudavi præ Gallicano et Genevensi. Utinam det mihi Dominus Jesus τὰ τοιαῦτα serio meditari, et omnia referre ad sui nominis gloriam, ad ædificationem Ecclesiæ, ad salutem meam, meæ, et meorum. Amen.

*Non. Jan.* Quum ad Regem venissem, priusquam ipsum convenirem, accitus sum a Decano hospite, miræ humanitatis viro, quia aderat domi, qui Regis jussu mihi afferret centum libras sterlinas, viatici nomine. Veni, accepi; et tibi, Deus æterne, pro hac maximi Regis erga me liberalitate gratias supplex egi, et nunc ago, te orans, te venerans, ut des mihi aliquid tibi gratum præstare cur Rex serenissimus lætetur se tam fuisse erga me, hominem peregrinum, benignum. Benedic tu illi, Domine Jesu, et adversus suos ac tuos hostes ipsum præsidio tuo muni firma-

que. Da etiam, O Deus, mihi, uxorique, et meis omnibus, tibi humiliter servire per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen. Amen. Amen.

VIII. *Eid. Jan.* In Aula hodie quoque fui, et Regi gratias egi, qui sua benignitate magis etiam quam munere me devinxit. O serva illum, Deus æterne, et universum regnum. Benedic et mihi, et meæ, ac meis. Amen.

VII. *Eid. Jan.* O Domine, quam mihi languet animus ob diuturnam hanc a mea et meis absentiam. Sed illud me solatur quod Θεοῦ ἐτελείετο βουλή. Non enim temere hoc factum. Domine Jesu, respice nostram domum, et nos omnes Spiritu tuo rege. Amen.

VI. *Eid. Jan.* En tot jam lapsi dies, ex quo famulum dimisi, et nihil dum ab illo accipio literarum, neque an trajecerit mare, scio, multo minus, quid agat ἡ φιλτάτη cum tota familia. Tu, Domine Jesu, nos serva omnes ad nominis tui gloriam. Amen.

V. *Eid. Jan.* Concionem hodie in aula cogitabam audire, et postea rus ad amicum virum nobilem D. Quilegre proficisci. Te veneror, O Deus, sive manentem serva, sive euntem ac redeuntem et una mecum, uxorem, liberos, et universam domum. Amen.

IV. *Eid. Jan.* Diem totum rure egi apud D. Kilegrai, cum veteri amico Thomsono. Ibi legi librum

nuper editum a P. Bertio de apostasia Sanctorum. Utinam vincat veritas, hoc unum tuto mihi licet optare. Servet vero Dominus Jesus me, meam, et meos. Amen.

III. *Eid. Jan.* Hodie rure sum reversus domum, et amicis, inter quos versor, bene sum precatus. Servet illos Deus et hoc anno, cujus hic primus est dies apud Anglos, et servet idem me, meam, liberos, et omnes meos, non hoc solum anno, sed plures alios ad sui nominis gloriam. Amen.

*Prid. Eid. Jan.* Languet animus multis de caussis. Nam quod tamdiu ab uxore nihil accipio, et quomodo illa valeat, quomodo liberi et universa domus, plane mihi molestissimum est, et oro te, Deus æterne, serves me meam et meos simul ad nominis tui gloriam. Jam isti sumtus, quos paucis diebus feci maximos, attonitum me habent. Fluit enim, et effluit, quicquid fuit in meis manibus. Sed res erant componendæ. Mox non ita erit, spero. Hoc me solatur, imo vero sola solatur me in omnibus doloribus meis, tua, bone Deus, Pater clementissime, providentia. Fac, O Domine Jesu, ego et mea, et mei, sursum semper corda attollamus, te sancte colamus, tuum regnum quæramus. Amen.

*Eid. Jan.* Hodie ἀγαθῇ τύχῃ Regi serenissimo in testimonium aliquod grati animi dedi e meis libris quos hic potui reperire, etsi auro contra caros hosce: Polybium in fol. Gr. Lat. Athenæum cum Animadv. 2 tomis. Suetonium in fol. postr.

edit. Persii Comm. de Satyra etc. Diogen. Laertium. Epistol. Gr. Nysseni. Polyænum, omnes magnifice compactos. Si gratum accidit munus, bene est: id enim solum spectavimus. Deus pium Regem servet et universam domum regiam. Servet et me, meam, ac meos.

XIX. *Kal. Feb.* En solitas molestias! Nam cur ego ab uxore literarum nihil accipiam, caussam nullam video. Jam enim ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος. Expecto igitur, et tibi, O Domine, meam et meos commendo. Tu nos servabis et finges tibi gratos. O ita velis, ita faxis, bone Jesu. Amen.

XVIII. *Kal. Feb.* In penso suscepto et lectione Matthæi Parisiensis multas horas posui. Deinde ad Legatum Francorum profectus de rebus patriæ nihil intellexi. Mirarer nisi ventus adversus flaret dudum Caleto trajicere volentibus. Expectabo igitur, et tibi, Deus æterne, me, meam et meos supplex commendabo. Tu nos tuere, Domine Jesu. Amen.

XVII. *Kal. Feb.* O Domine Jesu, timeo hanc rerum mearum felicitatem. Nam hodie a serenissimo Rege benignissime acceptus, munere ab eo donatus sum plane regio: quin et generosissimus Comes D. Dombar in Regis gratiam eximio ipse quoque me auxit munere. Tibi, Deus æterne, habeo gratias, teque supplex oro, ut Regem optimum magis magisque fortunes, et omnibus rebus beatum reddas. Alteri etiam εὐεργέτῃ meo benedicas abunde. Postremo a te peto

γονυπετῶν, ut uxorem et liberos mihi reddas, me illis: atque universam domum serves. Amen. Amen.

XVI. *Kal. Feb.* Hodie librum legi contra Anticotonem. Utinam neque ille liber, neque Anticoton prodiissent unquam in lucem. Male enim vereor ne quod isti delirant, plectantur Achivi. Dominus Jesus patriam meam dignetur servare, et in ea veram pietatem, et qui hanc colunt. O da mihi, Πάτερ ἐπουράνιε, hanc servare, da meæ et meis omnibus. Amen.

XV. *Kal. Feb.* Quid hoc est? Neque Legatus, qui expectatur, e Gallia venit; neque ego de uxore et familia verbum ullum intelligo. Tibi, Domine Jesu, sit curæ mei, meæ et meorum salus. Amen.

XIV. *Kal. Feb.* O tempus mihi longum! Nam quid agat uxor et qui valeat, et ipsa, et liberi, nescio jampridem, et angor mirifice. Sed te tueor, Domine Jesu, et in tua providentia acquiesco. O ades. Amen.

XIII. *Kal. Feb.* Hodie a Cardinali Perronio literas accepi, ad quem jussu Regis scripseram; at de uxore et liberis nihil. Domine Deus, libera me hac cura: me, illam, liberos, et omnes meos serva. Amen.

XII. *Kal. Feb.* Jacent studia, jacet animus. Nam et negotia hic de procurandis diplomatis multum exigunt molestiæ ob moram. Et quod nihil ab uxore accipio, quid est? aut quomodo interpretabor? Sed solatur me, quod neque Legatus venit,

neque ullus tabellarius. Det Dominus Jesus læte de conjuge charissima, liberis, sorore et omnibus meis audire. Amen.

XI. *Kal. Feb.* Mane totum amisi: negotia ne tantillum quidem promovi. Eram mœstissimus, cum venit famulus Legati Regii, qui literas ab uxore attulit, illas quidem admodum veteres, et fere ante mensem scriptas, sed longe tamen jucundissimas. Valet enim uxor mea mihi vita charior, valent liberi et omnes, credo, mei. Itaque tibi, Domine Jesu, gratias ago æternas atque immortales. Fac, clementissime Κύριε, simus semper ego, mea et mei memores beneficiorum, quæ a te accipimus. Tuum enim est hoc munus, quod vivimus, quod valemus, quod rebus lætis utimur. Tibi honos, tibi gloria *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Amen.

X. *Kal. Feb.* Uxorem brevi venturam hodie intellexi. O velis hoc, faxisque, Domine Jesu. Serva illam sive manentem, sive iter ingressam, et nos brevi redde alterum alteri. Fui hodie apud Regem, et summam illius ut semper humanitatem sum expertus. O serva, Domine Jesu, et tuo *ἡγεμονικῷ* Spiritu rege duos hos Reges Franciæ et Magnæ Britanniæ, atque illorum firma imperia. Amen.

IX. *Kal. Feb.* Fallor? an uxorem brevi sum visurus? Suadent ejus literæ, et magis sermones, quos hodie audivi. O ita velis, faxisque, Deus æterne. Amen.

viii. *Kal. Feb.* Et heri fui in Aula humanissime, ut semper, a Rege exceptus; et hodie officii privati caussa redii in Aulam, ut honestissimæ virgini [Mad$^{lle}$ de Maierne] amicæ uxoris meæ aureos xii afferrem, quos illi mutuo dabam; feci libentissime vel propter uxorem meam: quam, O Domine Jesu, sive hærentem serva, sive ad me (quod opto potius) venientem. Amen.

vii. *Kal. Feb.* De adventu uxoris incertus te, Domine Jesu, convenio, et supplici prece a te peto, ut me, illam, et omnes meos serves, et nos in unum brevi conjungas ad nominis tui gloriam et salutem nostram. Amen.

vi. *Kal. Feb.* De uxoris τῆς φιλτάτης adventu incerta omnia. Te supplex, Deus æterne, veneror, serves illam, et, si in itinere est, dux illi sis viæ, et me cum illa atque omnes nostros serves. Amen.

v. *Kal. Feb.* Hodie vidi Mareschallum de la Verdin Legatum Regis Franciæ extra ordinem, et res patriæ satis bono loco esse intellexi, quo nomine æternas, æterne Deus, tibi gratias ago. At de uxore nihil certi, nisi quod in ea confirmor sententia ipsam esse in itinere. Serva illam, Domine Jesu, et nos redde nobis, ac consiliis nostris benedice. Amen. Post ista scripta literas ab uxore accepi, quæ spem de adventu, volente Deo, confirmant. O velis, faxisque, Domine Jesu. Amen.

iv. *Kal. Feb.* Hodie apud D. Episcopum Dunelmensem virum eruditissimum pransus sermo-

nibus interfui de auriculari confessione in mensa habitis. Dicebat reverendus Episcopus nunquam fore satis consultum Ecclesiæ Christianæ donec funditus ex orbe terrarum esset sublata illa quæ dicitur confessio auricularis. Magnam enim hanc rem habere vim ad continendos animos hominum in illa avita religione. Quærebat autem a me D. Episcopus quando primum rata esset in Ecclesia Dei hæc coacta confessio, quæ fit ad aurem Presbyteri Confessarii. Respondi non posse me tempus designare, quo is mos cepisset: illud scire, jam a principio videri posse, fuisse inter ministeria Ecclesiæ τοὺς ἐξομολογήτας, ut et ἐξορκίστας meminisse Cyprianum; item alicubi Tertullianum; et quod dicitur per Nectarium ritus hic sublatus, probat ante Nectarium fuisse receptum. Vere tum dici non restitutum, quod sciam, per Chrysostomum, qui Nectario successit. Mihi videri dixi usum absolutionis ex verbis Christi expressis habuisse originem, cujus quidem rei usum qui possimus habere sine præcedente confessione non valere me assequi. Sic in lege Mosis cum certa genera oblationum pro peccatis certis sunt constituta, videri simul impositam necessitatem aliquam confessionis. Non dubitare me, quin Jesuitæ hodie et multi id genus eo telo utantur ad magna mala patranda, non tamen audere affirmare nullum ejus rei bonum hodie superesse usum. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Παρῆν δὲ τῇ διαλέξει ταύτῃ καὶ ὁ καλὸς κἀγαθὸς καὶ ἄκρως πεπαιδευμένος Μορ-

τώνιος ὁ τῆς Οὐιντωνίας Δέκανος, ὃς, ἐπεὶ εἰς τὴν οἰκίαν ἐπανήλθομεν, λόγον ἐξεπίτηδες ἐνστησάμενος περὶ τῆς ἁγίας εὐχαριστίας, περὶ τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας ἱκανῶς συζητήσας, τέλος ἔφη, ὅτι ἡ ἡμετέρα ἄγαν παρρησία περὶ τοῦ μυστηρίου τούτου ἔδοξέ τισι τῶν ἐν τέλει σαφὴς ἔλεγχος εἶναι τοῦ φρονεῖν ἡμᾶς τὰ τῶν ἐξ ἐναντίας, ἢ τὰ τοῦ Λουθήρου, καὶ δύνασθαι τοῦτο μεγάλην μοι βλαβὴν ἐπιφέρειν· ἤδη γὰρ τὸν τιμιώτατον τῆς Βαθωνίας ἐπίσκοπον λόγους οἱ ποιήσασθαι περὶ τῶν ὑπ' ἐμοῦ εἰρημένων. Καὶ οὗτος μὲν ταῦτα φιλίκως, λίαν σφόδρα, καὶ ἐξ ἀφελοῦς καρδίας. Ἐγὼ δὲ πρὸς σὲ τραπεὶς, τὸ φῶς τοῦ κόσμου, τὸ ἀλήθινον φῶς, Ἰησοῦ Χριστὲ, δέομαί σου, καὶ εὔχομαι μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης, δῴης ἡμῖν τοῖς ταλαιπώροις βροτοῖς φρονεῖν ἃ δεῖ φρονεῖν, καὶ οὐδέποτε φρονεῖν ὑπὲρ ὃ δεῖ φρονεῖν. δὸς τῷ ἁμαρτωλῷ ἐμοὶ ξυνιέναι τῶν σῶν μυστηρίων ὅσον ἀπόχρη πρὸς τὸ δοξάζειν τὸν Θεὸν, καὶ πρὸς τὸ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐργάζεσθαι. Οἶσθα, Κύριε καρδιογνῶστα, ὅτι οὐ δόξης, οὐ χρημάτων ἔραμαι, μόνης δὲ γλίχομαι τῆς μελλούσης βασιλείας, ἧς γένοιτο ἐμοὶ, γένοιτο καὶ τῇ φιλτάτῃ γυναικὶ καὶ τέκνοις τυχεῖν, ἐλέει Θεοῦ διὰ τῶν παθημάτων τοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ κράτος καὶ νῦν καὶ ἀεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

IV. *Kal. Feb.* De uxore hodie nihil, et jam illius expectatione crucior. Sed in tua, O Domine Jesu, benignitate omnes meæ spes sunt positæ. Tu me, meam, et meos respice, Πάτερ ἐπουράνιε. Amen.

III. *Kal. Feb.* Totum diem in Aula egi. Regi prandenti adfui, et postea vidi, cum est admissus

Legatus Regis Christianissimi D. Mareschallus de la Verdin. Interim jacent studia, et de uxoris adventu nihil. Tu, Domine Jesu, et illam, et me, et omnes meos serva ad tui nominis gloriam. Amen.

*Prid. Kal. Feb.* Hodie, quod Dominus Jesus vertat bene, constitui obviam uxori procedere, et die crastina proficisci. Tu, Domine Jesu, benedic ceptis: illam, me, nostros omnes serva. Amen.

*Kal. Feb.* Utinam felix ineat, felix exeat hic mensis. In te spero, Domine, te facturum, et ut facias rogo. Ego interim mensem ineo ab officio conjugali, et summo mane navim conscendo, ut Gravesindam petam, inde Cantuariam et mox Doveram iturus, ut uxori venienti occurram, et illam exeuntem e navi excipiam. Hoc quidem meum est, Deus æterne, votum, cui te spero pro tua inexhausta benignitate aspiraturum. Da nobis occurramus invicem valentes, et omnia disponamus ex officio pietatis ad nominis tui gloriam et salutem nostram et nostrorum, per Jesum Christum Filium tuum *τὸν μονώτατον σωτῆρα τοῦ κόσμου*, cui vere *θεανθρώπῳ* una cum Deo Patre et Deo Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen. Amen.

IV. *Non. Feb.* Quum pridie Roffam sive Rocestriam venissem, hoc die Cantuariam appuli. Deo laus. Amen.

III. *Non. Feb.* Constitueram Doveram petere, certus ibi manere, donec aut venisset uxor, aut

ego de illa aliquid intellexissem. Hic vero Dei Opt. Max. benignitas admiranda erga me et meam apparuit. Nam uxor suscepto itinere hoc ea spe, quasi mare cum Legato D. De Bisseaux trajectura esset, ubi Caletum venit, moræ impatiens Deo se permisit, et mare ingressa est. Itaque qua fere hora ego Cantuariam, illa Doveram appellebat post satis gravem jactationem et moram in mari horarum fere viginti duarum. Hunc ego nuntium hoc die mane surgens accepi πέρα παντὸς λόγου mihi gratum. Itaque Deo meo εὐχαριστήσας per equos dispositos Doveram accurri, confectis duodecim milliaribus Anglicis spatio horarum duarum et semis. Veni igitur, et uxorem inveni optime valentem, quæ duos filios Johannem et Mericum secum adduxit. Deum immortalem! quibus ego lætitiis incessi, cum uxorem vidi, quam ante menses quatuor decumbentem ex morbo reliqueram. Certe magnum est legitimi et casti conjugii vinculum, quod si cum aliorum generum amicitiis comparetur, solum vim amoris exhibet plane admirandam et stupendam. Ego et uxor pariter sentimus, et quotidie tibi, Domine Jesu, vere ζύγιε Θεὸς, gratias agimus, qui tam fideli, tam sincero, tam magno amore nos conjunxeris. Tibi honos, tibi gratiæ, tibi nostrum humile servitium. Putabam diem unum aut alterum fore dandum uxori ut quiesceret post tot labores. Illa vero meo conspectu recreata optavit e vestigio Cantuariam petere, quod et statim fecimus

equis dispositis septem usi. Hoc quoque itinere feliciter confecto, Cantuariæ dies aliquot necessario mansimus. Πάλιν αὖ καὶ πάλιν, ὦ πολυέλεε Θεὸς, σοὶ δόξα, καὶ χάρις, καὶ πᾶν κράτος νῦν τε καὶ εἰσάει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

*Prid. Non. Feb.* Hodie in ordinem Præbendariorum Ecclesiæ Cantuariensis sum receptus, quo in negotio omnes missæ sunt cæremoniæ quæ solent usurpari. Ego enim laicum me professus, nihil homini laico Gallo non conveniens usurpare volui, et ut ita facerem accurata dispensatione Regis sum munitus. Hoc etiam die ad Dominum Doctorem Carier me cum uxore et liberis recepi; sic enim ipse voluit, et vel reluctantem ab hospitio publico abduxit. Deo laus et gloria. Amen.

*Non. Feb.* Inter amicos diem egi procul a libris, cætera non inamœne. Deo laus. Amen.

VIII. *Eid. Feb.* Diem sacrum Dei cultui ex parte impendi. O utinam linguam hanc intelligerem! Te oro, Domine Jesu, da rectum mihi, meæ et meis consilium. Amen.

VII. *Eid. Feb.* Apud D. Vicedecanum pransus, reliquum tempus valedicendo amicis impendi. Laus Deo. Amen.

VI. *Eid. Feb.* Hodie ad iter me accinxi, cum mea et meis. Pervenimus Roffam. Laus Deo. Amen.

V. *Eid. Feb.* Hodie Londinum pervenimus et hospitio D. Decani Paulensis sumus usi, sic illo

volente et cogente. Quod superest Deus fortunet. Amen.

IV. *Eid. Feb.* Necdum ad libros redii, quod, O Domine, da facere posse, et tibi servire. Amen.

III. *Eid. Feb.* Hodie inter varias curas et leviculam (sic spero) uxoris ἀρρωστίαν egi tamen aliquid, et percurri librum de corrigendis opinionibus quibusdam Scholasticorum in negotio de Eucharistia sane erudite scriptum ab Archiepiscopo Cæsariensi nuper. Deo laus, honos et gloria. Amen.

*Prid. Eid. Feb.* Erat hic secundus Febr. dies Anglis, qui more Ecclesiæ Romanæ Festum purificationis B. Virginis celebrant. Ea super re concionem audivi D. D. Overalii Decani Paulensis hospitis mei, doctam, piam et tanto viro dignam. Postea pro more hujus Ecclesiæ celebrata est S. Eucharistia, quam ego sumpsi mirabili cum animi suavitate. Dominus Jesus hanc Ecclesiam servet, et me, meam, et meos luce sua magis magisque illustret. Amen.

*Eid. Feb.* Hodie apud Regem fui, Regem optimum, Regem εὐσεβέστατον, cui Deus omne genus det felicitatis. Servet idem Deus me, uxorem, et liberos nostros. Amen. Amen.

XVI. *Kal. Mar.* Plane studia mea οἴχεται. Olim gemebam horas eripi, nunc, nunc nullum vestigium restat, quod bene collocem. O Domine Jesu, miserere mei, meæ, et meorum. Amen.

XV. *Kal. Mar.* Minus hodie libros vidi: at Re-

gem vidi, quem, O Domine, serva cum universa domo regia. Serva et me, Πάτερ ἐπουράνιε, καὶ τὴν ἐμὴν, καὶ τοὺς ἐμούς. Amen.

XIV. *Kal. Mar.* Hodie incepit apud Anglos jejunium, vetustissima antiquæ Ecclesiæ observatio, quicquid asini hostes priscæ et primæ Ecclesiæ obganniant. Dominus Jesus det mihi, meæ et omnibus meis omnia dicere et sapere ad sui nominis gloriam. Amen.

XIII. *Kal. Mar.* Apud Melvinum, qui in arce servatur, hodie fui: expertus sum hostem pristinæ Ecclesiæ infensissimum; privatis opinionibus et S. Scripturæ interpretationibus deditum. Itaque ubi vidit me non plane venerandam antiquitatem posse insuper habere, furere ille et in me insurgere. Pœnituit adiisse. Non possum non detestari odium antiquitatis. Dominus Jesus et illum et me et meos luce veritatis suæ illustret, et nos omnes servet, quia bonus est, quia in illo spem habemus. Amen. Atque ita annum hunc meum exegi, quo nomine ago tibi, ὦ τρισαγία Τριὰς, quantas maximas animo concipere possum gratias. Sed non sum ego, hei misero mihi, idoneus neque ἱκανὸς mente capere quantum Deo meo, miser homuncio, debeam. Tu me, Deus æterne, bonis tuis nunc cum maxime cumulasti. Tu me non ingratum fecisti esse Regibus duobus maximis. Tu me hactenus in ea voluntate confirmasti, ut cupiam tibi inservire, Majestatem tui Numinis colere, et modo tibi grato colere. Sed

me, Domine Jesu, reputantem hodiernum Ecclesiæ tuæ statum multa habent ancipitem, et pene dixerim, ἐν δοίῃ σώζεσθαι ἢ ἀπολέσθαι. Video alios τῇ κατὰ σάρκα διαδοχῇ ἐντρυφῶντας arrogantissime gloriantes de sua anamartesia. Alios video opinione suæ γνώσεως ita inflatos, ut quicquid ipsis non probatur, id statim a Diabolo profectum clament, interim ipsi cæteris nihilo meliores, ac ne dissimiles quidem illis nisi opinionibus de religione. Hi sunt, qui sacram Scripturam contendunt nullo opus habere interprete, sic planam esse, ut omnibus pateat, ab omnibus intelligatur: Patres quid dixerint aut curaverint ne minimum quidem esse curandum. Sic Molinæus in Gallia et voce et scripto et ex ambone declamare solitus me audiente Sacram Scripturam nullo habere opus interprete, sed omnia simpliciter, ut scripta sunt, esse accipienda. Quum dicerem mihi hoc mirum videri, et eam appellarem scaturiginem omnium hæreseων, atque exempli caussa objicerem varias nostrorum de illis sententias, *Hoc est corpus meum*, ad suum librum de Eucharistia me rejecit, ubi ipse explicat ex hoc suo dogmate, sed mox a se discedit, et transit ad Calvinum, quem tamen ipsum non plane sequitur. Quum alium locum objicerem, *Pater meus major est me*, respondit his ipsis verbis: *Quid opus est idiotas sollicitos esse de vera interpretatione hujus loci?* Mirabilis prorsus doctrina. Jam is, quem hodie vidi, quum eadem plane diceret, negaretque Sacram Scripturam

opus habere interprete, interrogatus a me, cur ergo magni doctores nostri in verbis S. Cœnæ convenire non potuissent, homo igneus et sui opinione tumens in eam iram exarsit, ut inter cætera probra mihi objiceret hæc: *Imo*, ait, *viri sanctissimi Lutherus, Calvinus, Zuinglius et cæteri optime inter sese congruebant, sed ne viderentur convenire per criticos tui similes* (ait homo non sanus cerebri) *factum est*, et multa addit in eam sententiam. Istos ego, Domine Jesu, quales viros dicam? Colo eos, quatenus illa repudiant, quæ apud Pontificios perperam docentur. Sed nonne hæc quoque nova sunt? Nonne hac ratione nuperi viam patefaciunt ad omnem hæresim? Aut quis dubitat hac opinione recepta religionem, quæ nuper in tot capita est divisa, brevi in multo plura fore dividendam? Omitto alia veterum doctrinæ parum convenientia. Has igitur inter opinionum varietates da mihi, Domine Jesu, id sequi, id probare, id profiteri, quod tuæ scriptæ voluntati erit consentiens. Da basi Sacræ Scripturæ τῆς θεοπνεύστου sic inniti, ut firma fide te colamus ego, uxor, liberi et omnes mei. Cæterum quod hunc annum dederis exigere, quod a tantis periculis, tantis angustiis me liberaveris, quod me ad Regem hunc vere magnum deduxeris, eumque mihi Mæcenatem, priore sublato, conciliaveris, quod nuper uxorem meam post plurium mensium absentiam mihi reddideris pro his, pro sexcentis aliis beneficiis, quæ animo complecti ne-

queo, ago supplex tibi, Deus æterne, *ὑπεράρρητε, καὶ ὑπεράγαθε*, gratias gratissimas, humillimas, animo devotissimo. Sit igitur Deo Patri, sit Jesu Christo vero Deo, sit Deo Spiritui Sancto, sanctissimæ et soli adorandæ Triadi honos, laus, gloria, *καὶ πᾶν κράτος καὶ νῦν καὶ εἰσαεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Amen.

### Annus Vitæ liii.

xii. *Kal. Mar.* En crescit ætas. Admonet me igitur hic dies, ut de vita recte riteque instituenda serio et diligenter cogitem. Cupio certe, Domine Jesu, discupio, quod superest ætatis id totum congruenter voluntati tuæ agere. Tempus est meliorem vitam cogitare, tempus ad illam sese parare. Quod quidem, Domine Jesu, da mihi, meæ, meisque. Agnosco ingenii mei *τὸ μηδέν*: agnosco imperitiam meam: agnosco peccata mea. Quid faciam? quo me vertam? Si me et vires meas intueor, actum est: nihil possum conari, quod possim sperare Deo meo fore gratum. Sentio carnem, sentio illum veterem hominem, sentio legem peccati in me nimis, ah nimis dominantem. O Domine Jesu, servator mundi, da veterem exuere hominem, da novum induere, da carni renuntiare et operibus carnis; denique, Domine bone, dignare Spiritu me tuo regere, et omnia mea consilia dirigere ad gratum tibi finem. Ades, O æterne Deus, mihi, ades uxori, ades liberis, sorori, et omnibus meis per

Jesum Christum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus, gloria *καὶ πᾶν κράτος, καὶ νῦν καὶ εἰσαεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Amen.

XI. *Kal. Mar.* Hodie constituimus cum Domino Decano hic nos mansuros et ejus ædibus usuros. Det Dominus Jesus cedere omnia feliciter et ad nominis sui gloriam. Amen.

X. *Kal. Mar.* Ad Regem profecti hodie ut Majestati illius inserviremus, et concionem audiremus, totum fere diem ibi posuimus. Dominus Jesus adsit, et nos servet. Amen.

IX. *Kal. Mar.* Apud Regem aut apud Legatum D. De Bisseaux totum diem fui. Deus benedicat Regi optimo, mihi, meæ, et meis. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Literas scripsi hodie, aliud nihil. Dominus Jesus et factis, et dictis, scriptisque nostris benedicat. Amen.

VII. *Kal. Mar.* Literas hodie scripsi, *τῷ Θεῷ χάρις.*

VI. *Kal. Mar.* Aliquid hodie, non multum tamen. Laus Deo. Amen.

V. *Kal. Mar.* Non hodie plane nihil. Te veneror, Domine Jesu, serves me, meam, et meos omnes in timore nominis tui. Amen.

IV. *Kal. Mar.* Ne *γρὺ* quidem hodie. Apud veterem Legatum enim fui, et ab eo sum deductus ad Reginam, cui et Regi optimo Deus benedicat. Idem et me, et meam servet, et meos. Amen.

III. *Kal. Mar.* Ad sacram synaxim Gallicam ego et uxor profecti, reliquum fere diem in literis scribendis egimus. Θεῷ χάρις. Amen.

*Prid. Kal. Mar.* Aliquid hodie, non sane multum. Legi Bellarmini contra Barclaium libellum, utinam tam probum quam diligenter scriptum. Deus illam tyrannidem tollat, et nos omnes servet. Amen.

*Kal. Mar.* Domine Jesu, dedisti mensem inchoare: da absolvere ad tui nominis gloriam et salutem nostram: da mihi valere, da uxori, quæ nunc parum bene habet, da liberis et omnibus meis: ac studiis meis benedic. Amen.

VI. *Non. Mar.* Hodie uxori adfui consueto morbo capitis laboranti. Dominus Jesus nos servet, sanos tueatur et animo et corpore. Amen.

V. *Non. Mar.* Gravissime hodie laboravimus ego atque uxor, illa corpore, ego animo. Dominus Jesus ὁ ἀληθῶς ἰατρὸς nos sanet, et nos omnes servet. Amen.

IV. *Non. Mar.* Uxoris morbus me habet sollicitum. Tu ades, Domine Jesu, et hanc serva domum. Amen.

III. *Non. Mar.* Pergit uxoris morbus: quem dignare sanare, O vere σῶτερ, et nos omnes luce veritatis tuæ illustrare. Amen.

*Prid. Non. Mar.* Concionem Paulinam hodie audivi: utinam intellexissem. Quod da, O Deus, et uxorem sana: nos omnes serva. Amen.

*Non. Mar.* Uxor Dei beneficio valet melius-

cule: ego de opella minuta cogitare incipio. Te potissimum specto, Domine Jesu, ades. Amen.

VIII. *Eid. Mar.* Uxor Dei beneficio melius habet, ego quoque, eodem faciente Deo, qui nos et nostros omnes servet. Amen.

VII. *Eid. Mar.* Ad opellam me cupiens præparare futuram, spero, non inutilem (Deus aspiret modo conatibus) multas remoras invenio. Tu, Domine Jesu, me rege, et meam, et meos. Amen.

VI. *Eid. Mar.* Uxor a concione reversa lectum adiit ex morbo. Te supplex veneror, ὦ σῶτερ, serva illam, me, et omnes nostros. Amen.

V. *Eid. Mar.* Ad Regem hodie mane literas scripsi et ad D. Bathoniensem. Tum ad novum Archiepiscopum salutandum sum profectus, qui nos humanissime excepit. Deus Regi regnoque benedicat, et hunc novum Archiepiscopum suo Spiritu regat et nos omnes servet. Amen.

IV. *Eid. Mar.* De Geneva tristia hodie accepi, illam in metu obsidionis versari. Deus Opt. Max. illam servet, et me, meam, ac meos omnes inspiret ad verum sui cultum. Amen.

III. *Eid. Mar.* Ad synaxim Anglicam hodie conveni et Deum oravi ut hanc Ecclesiam servaret, benediceret etiam mihi, uxori, liberis, et omnibus qui nos contingunt. Amen.

*Prid. Eid. Mar.* Ad veterem amicum, qui nuper Legatus Venetiis rediit, profectus tempus fere totum matutinum amisi. Domine Jesu, serva servum tuum. Obruor enim curis. In te spero.

Hoc triumpho. O serva me, meam, et meos. Amen.

*Eid. Mar.* Τὸ x hodie: nihil enim fere egi. Et Deus det meliora, ac mentem rectam mihi, meæ et meis. Amen.

XVII. *Kal. Apr.* Cum amicissimis viris D. Decanis hodie fui, et postea D. Paræum invisi. Θεῷ χάρις. Amen.

XVI. *Kal. Apr.* Deus domum hanc servet, et me, meam, et meos inspiret ad ea credenda, faciend, dicenda, quæ ipsi grata semper. Amen.

XV. *Kal. Apr.* Domo hodie non exii, et in literis fui aliquot horas. Θεῷ χάρις. Amen.

XIV. *Kal. Apr.* Fallor? an κατεβλήθη ἡ ἀρχὴ tenuis opellæ quæ a nobis exigitur? Sed expectandum. At tu, Domine Jesu, nobis ades, et nos omnes rege tuo Sancto Spiritu. Amen.

XIII. *Kal. Apr.* Anglicæ et Gallicæ Ecclesiæ hodie interfui, et Deum utrobique laudavi; qui nos servet. Amen.

XII. *Kal. Apr.* Uxor ad amicum D. Gordonem profecta rediit ἀσθενοῦσα, sed tu, Deus mi, mox sublevasti, et sublevabis, spero, illam ἀπὸ τῆς ἀσθενείας, me ἀπὸ τῆς νῦν ἐπειγούσης φροντίδος, idque ut facias supplex te, Deus æterne, veneror. Amen.

XI. *Kal. Apr.* Aliquid hodie in lectione necessariorum librorum, omisso penso, quod Deus det feliciter inchoare et perficere. Amen.

X. *Kal. Apr.* Ad Gordonium virum doctissimum

ivi hodie, et partem diei cum eo posui. Deus illi, mihi, et meæ, ac meis benedicat. Amen.

IX. *Kal. Apr.* In Eliensis libro contra Tortum fui hodie. O magnum virum! Deus, serva illum et nos omnes. Amen.

VIII. *Kal. Apr.* Aliquid hodie: sed non multum: veruntamen χάρις Θεῷ.

VII. *Kal. Apr.* Aliquid hodie σὺν Θεῷ, qui nos servet omnes. Amen.

VI. *Kal. Apr.* Ad sacram synaxim in Aulam hodie profectus vidi serenissimum Regem, et multum cum ejus Majestate sermonem habui. Tu, Domine, illum serva, et mihi, meæ, ac meis da tui nominis verum timorem. Amen.

V. *Kal. Apr.* Aliquid in lectione librorum ad præsens studium facientium τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

IV. *Kal. Apr.* Opellam nuper susceptam et postea intermissam nunc iterum urgemus, et te, Domine Jesu, oramus, ut omnia, quæ ego, mea, et mei omnes cogitabimus, semper ad tui nominis gloriam referantur.

III. *Kal. Apr.* In opella hac multi fuimus, an aliquo cum fructu Deus scit, et dies ostendet. Tu, Domine Jesu, ades. Amen.

*Prid. Kal. Apr.* Hoc quoque die in opella ista multi fuimus. Dominus Jesus benedicat et mihi, et meæ, et meis omnibus. Amen.

*Kal. Apr.* Erat hic in Anglia dies quo celebratur Passio Domini. Fuimus igitur in Aula ego, et uxor, et filius. Deus nobis benedicat. Amen.

IV. *Non. Apr.* Deus benedicat hodiernis studiis, quæ fuere magna ex parte de actione crastina, colloquium cum uxore, et preces ad Deum, ut nobis mentem rectam et piam inspiret et nostris. Amen.

III. *Non. Apr.* Deus benedicat actioni hodiernæ. Nam ego et uxor diem fere totum in æde sacra egimus, et sacrosanctæ Cœnæ τοῦ Κυρίου communicavimus, utinam satis digne et efficaciter ad gloriam tuam, Deus æterne, et nostram salutem. Amen.

*Prid. Non. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια hodie. Θεῷ χάρις. Amen.

*Non. Apr.* Uxor Regem optimum salutavit, cui Deus benedicat. Postea prandenti adfuimus, et cum Rex Legatum Sabaudiæ et cum eo Hispanum exciperet. Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Πάλιν αὖ καὶ πάλιν χάρις. Amen.

VII. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Amen.

VI. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, et Deo immortali, qui nos servat, gratiæ gratissimæ. Amen.

V. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Deus adsit. Deo gratiæ. Amen.

IV. *Eid. Apr.* Ad concionem Gallicam ivi cum uxore. Deus nos regat. Amen.

III. *Eid. Apr.* Totum fere diem literas scripsi. Θεῷ χάρις. Amen.

*Prid. Eid. Apr.* Ad Savilium hodie proficiscor. Uxorem hic relinquo. Tu, Domine Jesu, illam

custodi, me serva, et iterum junge ad tui nominis gloriam. O veram pietatem mihi, uxori, et liberis nostris inspira, et rectum nobis da περὶ τοῦ μέλλοντος consilium. Amen.

*Eid. Apr.* Heri appulimus Etonam. Hodie Vindesoram spectavimus et loci amœnitate admodum sumus recreati. Palatium id est Regum Angliæ, quorum nonnulli ibi requiescunt, in his Henricus VI. et Henricus VIII., qui in templo sepulti ne minimum quidem habent loci ubi siti sunt indicium; non saxum saltem impositum, non ullum aliud quamvis tenue μνημόσυνον. Vidimus et suppellectilem regiam quæ in illa arce asservatur. Deus me, meam, et meos servet. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* Partem diei in lectione B. Chrysostomi posui, in Genesin, ex editione nova. Laus Deo, qui me, meam, et meos servet. Amen.

XVII. *Kal. Mai.* Hodie domum sum reversus valens satis Dei beneficio ad valentem uxorem. Tibi, Domine Jesu, laus in æternum. Amen.

XVI. *Kal. Mai.* Apud Præfectum Arcis hodie fui. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

XV. *Kal. Mai.* Mane in Ecclesia Anglicana precibus interfui. A prandio ad Reginam uxor est profecta Grenovicum, ubi Barclaium virum pium vidi. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Mai.* Hodie Johannes filius ad visendas Academias se accinxit meo permissu aut et jussu. Deus illi benedicat et parentibus et nostris omnibus. Amen.

XIII. *Kal. Mai.* Confirmationem Domini Archiepiscopi hodie vidi. Res plane spectatu digna. Illi Præsuli Deus Opt. Max. benedicat, et me, meam, ac meos servet. Amen.

XII. *Kal. Mai.* Ad serenissimum Regem hodie scripsi et ad Episcopum Bathoniensem. Uxor ad Reginam profecta rogavit eam numquid juberet. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Mai.* Ad Principem Elizabetham hodie uxor profecta. Illi Principi optimæ Deus benedicat et nobis. Amen.

X. *Kal. Mai.* In variis studiis fui hodie; nec pœnitet. Θεῷ χάρις. Amen.

IX. *Kal. Mai.* Legi aliquid. Uxor valet; de meis in Gallia literas accepi. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Mai.* Uxor Gallicæ, ego Anglicæ synaxi interfui. Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Mai.* Uxor parat profectionem in Galliam. Deus benedicat. Amen.

VI. *Kal. Mai.* Me dolor occupat de discessu uxoris, ut vix literis scribendis vacem. Sed tibi, O Deus, illius salutem, meam et meorum commendo supplex. O serva nos et rege. Amen.

V. *Kal. Mai.* Uxor valedixit amicis. Ego illam sum comitatus. Ita dies absumtus. Domine, miserere nostri. Illi ades in itinere. Amen.

IV. *Kal. Mai.* Uxor parat abitum, ego literas: ita dies consumptus. Θεῷ χάρις etiam eo nomine quod filius est reversus. Πάλιν Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Mai.* Uxor hodie, quod Deus velit esse

felix et faustum, proficiscitur, Lutetiam repetens. Te supplex, Deus æterne, veneror, serves illam euntem, et me Gravesindam usque comitantem, et ubicunque simus futuri ego, illa, et omnes liberi nostri, serves nos, regas, dirigas in rectam viam, et benedicas *καὶ κατὰ ψυχὴν καὶ κατὰ σῶμα.* O exaudi, Domine Jesu, et peccatis nostris ignosce. Amen. Amen.

*Prid. Kal. Mai.* Quum heri uxorem comitatus essem Gravesindam usque, inde illam dimisi non sine mutuis gemitibus, et ipsius etiam lacrimis, sed me solatur certa fiducia de ope et auxilio supremi Numinis. Tibi enim, Deus æterne, me, meam, meos et mea curæ esse ingratus sim, nisi agnoscam, et eo nomine gratias tibi immortales agam. Ago vero, Domine Jesu, ago, inquam, supplex *τῇ παναγίᾳ τριάδι* pro præteritis beneficiis grates gratissimas, atque ut sincero animo ego meique illam clementiam, quam tot annos sumus in nobis experti, nunquam oblivioni tradamus te, Deus æterne, oro, obsecro, obtestor. O ades, *ὦ σῶτερ*, da nobis verum et efficacem tuorum beneficiorum sensum: da tibi servire, te pura mente colere, et quia disjecta nunc familia hæc, da, Domine Jesu, ut brevi conveniamus omnes in unum, et te simul laudemus, te simul colamus. Serva abeuntem uxorem, qua terra, qua mari *ἀπήμαντον.* Serva me et omnes liberos *ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*, et nos finge tibi gratos. O exaudi, Deus æterne, per Jesum Christum Filium tuum *τὸν*

*μονογενῆ*, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos, gloria, *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Amen.

*Kal. Mai.* Domine, tu dedisti mensem inchoare, da absolvere, et cum me, tum uxorem, et liberos omnes, *καὶ πάντας τοὺς πρὸς γένος* serva, *εὐόδωσον, καὶ εὐημεροῦντας διατελεῖν* præsta pro tua infinita, O Deus, misericordia; per Jesum Christum Dominum nostrum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.* Amen.

VI. *Non. Mai.* Ab uxore literas hodie accepi et filio: quos, O Deus, serva. Amen. Et me et totam familiam cum illis. Amen.

V. *Non. Mai.* Spectavi hodie celebritatem Festi Georgiani quod magna pompa Rex celebrat cum Equitibus ordinis Periscelidis. Deus Regem et regnum servet; mihi, meæ, meisque omnibus benedicat; servet euntes, servet manentes. Amen.

IV. *Non. Mai.* Ut reliquos dies totos, sic hunc perdidi. Deus, miserere, et serva uxorem ac totam domum. Amen.

III. *Non. Mai.* Et hunc totum perdidi diem. Domine, miserere mei; serva uxorem et liberos. Amen.

*Prid. Non. Mai.* Uxorem mare transisse hodie accepi, sed rumore incerto. Tu, Deus æterne, ita esse velis, et nostram omnium salutem ut curæ habeas. Amen.

*Non. Mai.* O Deus bone, quam mihi longa est jam uxoris absentia. Sed da tu, Domine Jesu,

sic omnem curam meam defigere ut tu unus et solus sis mihi τὰ πάντα. Amen. Amen. Ἐπὶ πᾶσι δὲ τοῖς ἀνθρωπίνοις, ὦ σῶτερ, δέομαί σου, τὴν φιλτάτην φύλαξον καὶ τὰ τέκνα καὶ τοὺς πρὸς γένος ἅπαντας. Amen.

VIII. *Eid. Mai.* Liturgiæ Anglicanæ hodie et precibus interfui, et vota Deo feci pro salute mea, uxoris, et omnium meorum; quæ exaudiat Deus. Amen.

VII. *Eid. Mai.* De uxoris et filii felici trajectu hodie literas filii accepi. Tibi, Domine Jesu, ago humiles gratias, et supplex oro, ut pergas benedicere huic familiæ. Amen.

VI. *Eid. Mai.* Ad Regem hodie sum profectus Grenovicum, et in studiis non multum promovi. Da, Domine Jesu, salutem animæ et corporis mihi, meæ, et omnibus meis. Amen. Amen. Amen.

V. *Eid. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια in hoc negotio, in quo tu, Domine, me rege et dirige. Serva et uxorem, me, ac meos. Amen.

IV. *Eid. Mai.* Mane studuimus, si studere est improbitatem Jesuitarum ex eorum libris discere. O Domine, ades mihi, libera me ab hac sollicitudine, et serva uxorem, me, ac meos. Amen.

III. *Eid. Mai.* Aliquid hodie in proposito, sed nondum ad opus intermissum rediimus. Tu, Domine, ades, serva me, uxorem, et totam domum καὶ κατὰ ψυχὴν καὶ κατὰ σῶμα. Amen.

*Prid. Eid. Mai.* Ad pensum redire frustra hodie sum conatus: non conabor frustra, cum Deus

Opt. Max. voluerit: cui me, uxorem, et simul universam domum supplex commendo. Sit ejus nomen benedictum. Amen.

*Eid. Mai.* Synaxi sacræ hodie interfui, et Deum meum laudavi, supplex orans etiam ut mihi, meæ, et meis benediceret. Amen. Amen.

XVII. *Kal. Jun.* Ad pensum redire parabam hodie, sed obstitere alia, et totum fere diem cum Legato Galliarum egi. *Χάρις τῷ Θεῷ, ὃς καὶ ἐμὲ καὶ τὴν φιλτάτην καὶ τοὺς ἐμοὺς πάντας σώζοι. Γένοιτο, γένοιτο.*

XVI. *Kal. Jun.* Frustra hodie. Sed Deus aderit. Ἐπ' *αὐτῷ γὰρ πέποιθα*, qui O utinam servet uxorem mecum et universa familia. Amen.

XV. *Kal. Jun.* An rediimus in viam? Tu scis, Domine, qui pro tua inexhausta bonitate ades, et mihi, uxori, ac meis omnibus benignum te præbe. Amen.

XIV. *Kal. Jun.* Hodie librariis solvi, quæ debebam, sed non Nortono, cui plurima debentur. Exhausi loculos. Sera in fundo parcimonia. Non cogito uxorem, non cogito liberos. Hodie constitui ante adventum uxoris in libros [non] amplius quam unum aureum impendere, excepto si quid forte occurrat rarius. Deus Opt. Max. servet hanc domum, me, uxorem et omnes meos. Amen.

XIII. *Kal. Jun.* In penso, Dei gratia, profeci non parum: et hoc amplius, ad Liturgiam hodie accessi. Instat enim tempus Pentecostes, et de S. Eucharistia serio cogitandum. Equidem, O

Deus æterne, fateor ingenue cæcitatem meam et naturæ meæ vitia. Per hæc, tuam Majestatem non cesso offendere, per illam, in tuis mysteriis nihil aut parum intelligo. Supplex igitur te oro, adoro, da mihi intellectum, da pietatem, neque mihi solum, sed et uxori et omnibus liberis meis ac domesticis, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui una cum Deo Patre et Deo Spiritu Sancto vivit, regnat, vivet, regnabit æternum. Amen.

XII. *Kal. Jun.* Hodie plus quam proposueramus pensum promovimus, cui tu, mi Deus, mi Pater, benedice; qui da etiam mihi, meæ, et meis omnibus in tui nominis timore et sancta pietate vitam degere. Amen.

XI. *Kal. Jun.* Hodie festum Pentecostes in Ecclesia Anglicana celebravimus, et S. Communionis facti sumus participes. Te veneror, Deus æterne, des mihi, meæ et meis veræ pietatis sensum et vitam tibi gratam agere. Amen.

X. *Kal. Jun.* Hodie cum inciperem male habere, optimus D. Decanus me rus abduxit fallendi morbi caussa. Sed reversus sum cum febre, quæ ostendit purgatione esse opus. Tu, Domine Jesu, animum potius mihi purga, meæ, et meis. Amen.

IX. *Kal. Jun.* Hodie medico me permisi, imo Deo, qui verus medicus. O sana, Domine, et corpus et animum mihi, meæ, et meis. Amen.

VIII. *Kal. Jun.* Gravi morbo vexatus et plane languens me tibi, O Domine, permitto, a te opem,

a te auxilium petens. Fiat tua voluntas in me, mea, et meis. Amen.

VII. *Kal. Jun.* Nocte præcedente suaviter ad horas fere quinque dormivi. Putabam pristinam valetudinem recuperasse, et tibi, Fili Dei viventis, gratias agebam. Nunc ingruens nox vix spondet se parem priori futuram. Fiat, O Deus, voluntas tua in me, uxore, liberis, et omnibus meis. Amen.

VI. *Kal. Jun.* Quam diversa præcedens nox a superiore! Gravissima febre laboravi: incendio arsi, et quod in nulla unquam febri mihi accidit, spatio brevissimo noctis plusquam vicies ad fundendam urinam surgere sum coactus. Itaque ad priora mala accessit insomnia totius noctis. Putabam agi mecum pessime, et certe male agebatur. Sed medicus jussit me bene sperare, morbum enim accedere jam ad παρακμήν. Tibi, Deus immortalis, me permitto. Tu dignare me respicere, Fili Dei, et meam, ac meos. Amen.

V. *Kal. Jun.* Redit in orbem tertiana; et hæc ipsa post ἔφοδον scripsi. Te, Deus æterne, supplex veneror, ut hanc visitationem tuam velis esse utilem mihi, meæ, et meis. Amen.

IV. *Kal. Jun.* O vanam hominum vitam! Neque tota hebdomade, nec nunc quidem τῇ Κυριακῇ sacræ synaxi possum interesse. Nam studia quidem dudum jacent, nisi tu, Domine Jesu, illa excitaveris. Fili Dei, respice me, meam, et meos omnes. Amen.

III. *Kal. Jun.* Ecce redit morbi ἡ περίοδος, quem

tu, ὦ σῶτερ, temperato, et me, meam, ac meos tua benevolentia prosequere. Amen.

*Prid. Kal. Jun.* Lucidum hoc fuit morbi eximium intervallum. Nam toto die satis belle habuimus, et cur tuam bonitatem, O Deus, prædicaremus caussam habuimus. Tu perge, O Domine, nos tueri omnes, me inquam, uxorem et omnes meos. Amen.

*Kal. Jun.* In lecto diem egimus, et gravi febris accessione sumus tentati. Cruciamur multis nominibus; sed absentia uxoris et meorum, ad quos hæc cura pertinebat, me præcipue angit. Nam scio ego me optimo et humanissimo hospiti meo vehementer incommodare, quum tamen et ipse et lectissima ejus uxor nihil relinquant inexpertum, ut mihi aliquid commodent. O Deus, redde illis pro his beneficiis, quicquid optaverint, et futurum est ipsis conducibile: et, cum tibi videbitur, me redde uxori, illam mihi, ut posthac familiam nostram melius curemus. Amen.

IV. *Non. Jun.* Domine Deus, hunc quidem diem dilucidum quoddam morbi mei intervallum possum appellare. Sed crastina dies imminet. Tu, Deus æterne, tu, Fili Dei, da veram pietatem mihi, uxori, et meis. Cætera humana facio non magni. O ades, Domine. Amen.

III. *Non. Jun.* Τὴν ἔφοδον expectabam, cujus hic status dies. Interim, Deus æterne, Jesu Christi Pater, me tibi supplex commendo, ut tuas plagas temperare digneris, et rectum consilium dare,

mihi, uxori, et liberis meis omnibus; et universæ familiæ adsis. Amen.

*Prid. Non. Jun.* En infelicitatem! Heri in magnis angoribus meis præscripta fuerat πόσις a clarissimo medico D. De Maierne, et probaverat D. Thorius. Hanc πόσιν pharmacopola dum it mollitum plane inutilem reddidit. Itaque doleo caput meum. Sed respicio ad te, Domine, qui me, si placet, et meam, ac meos servabis, idque ut facias, supplex te oro. Amen.

*Non. Jun.* Κυριακὴ erat. Ego vero febrim expectans, mane surrexi ut lecti tædium levarem. Videbo quid me voluerit tua sacra providentia mali hodie pati, illud persuasus et certo sciens leviora semper meritis meis esse me passurum. Deus benignus es, qui non potes tuæ oblivisci clementiæ: ad illam aram confugio, teque per merita Filii tui, Deus æterne, Dei æterni, oro, ut me respicias, familiam meam semel componas, des ecclesiam domesticam instituere tibi gratam, in qua vigeant gratiæ Spiritus Sancti, Dei æterni, cui una cum Patre et Filio sit laus, honos et gloria. Amen.

VIII. *Eid. Jun.* Erat dies liber a febri, et satis belle habui Dei gratia, qui me, qui uxorem et meos omnes servet. Amen.

VII. *Eid. Jun.* Febris hodie videtur me reliquisse, quod utinam ita esse velit faxitque Deus Opt. Max. Sed me dolor capitis graviter vexat loco febris. Tu, Domine Jesu, etiam ab hac in-

firmitate libera me, et me redde meis libris ad tui nominis gloriam. Serva et uxorem, et meos omnes tibi, ut par est, devotos. Γένοιτο, γένοιτο. Amen.

VI. *Eid. Jun.* Quod tu, O Deus æterne, velis esse felix et faustum, hodie, blandiente valetudine, ad pensum intermissum redii. Crastina dies quid sit allatura, videbimus. Hodie a D. Villaregio literas accepi de voluntate Reginæ mei in Galliam revocandi. Hæreo, et quid consilii capiam incertus sum. Nam hæc multis de caussis altera jam mihi patria est. Sed negat Regina se permissuram ut deferatur huc bibliotheca. Itaque ad te me converto, O Deus, tu me rege, me serva, meam, et meos. Amen.

V. *Eid. Jun.* Febris ἔφοδος nulla hodie fuit, Dei gratia. Morbus capitis mirifice remisit. Hoc quoque tuum est, Deus æterne, beneficium. Expectabo exitum, et in te confidam: qui, benigne Deus, serva ad nominis tui gloriam et hanc domum, et me, cum uxore, liberis et omnibus meis. Amen.

IV. *Eid. Jun.* Ad sacra hodie sum profectus Dei Opt. Max. beneficio. Inde ivi ad Legatum, et cum eo pransus mox a meis literas accepi. Tibi, Domine Jesu, laus, honos, et gloria. Amen.

III. *Eid. Jun.* Non febris periodica hodie me habuit, sed languor tamen periodum febris sapiens. Tu, Deus æterne, perfice quod cœpisti, et me, meam, ac meos serva ad tui nominis gloriam. Amen.

*Prid. Eid. Jun.* Κυριακὴ erat, sed me valetudo domi detinuit. Conatus sum in penso molestissimo aliquid. Tu, Domine, me adjuva, et serva cum uxore et liberis. Amen.

*Eid. Jun.* Erat dies suspectus, et febris quidem nulla fuit Dei beneficio: sed de dolore capitis quo nuper valde sum vexatus idem Dominus statuet, cui me, meam, et meos supplex commendo.

XVIII. *Kal. Jul.* Ad Regem hodie profectus benigne ab eo sum exceptus. Qui etiam narravit mihi epistolam, quam ad Frontonem miseram, sibi esse missam, et audisse se quantos de ea clamores Puritani in Gallia excitarent. Haberem quod dolerem, nisi me totum tibi, Deus æterne, permitterem. Tu, Domine, serva me a peccato primum, deinde ab insidiis malorum. Serva et uxorem et meos omnes. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Plane crescit fiducia de recuperata sanitate. Nam hodie, qui suspectus erat dies, nullum extitit priorum malorum vestigium. Itaque tibi, O Deus æterne, ὦ σῶτερ, ago magnas gratias, et plane quantas mentis angustiæ capiunt. O da mihi, Deus immortalis, bona valetudine bene uti ad tui nominis gloriam, ædificationem Ecclesiæ, et salutem meam ac meorum, per Jesum Christum, qui una cum Patre et Spiritu Sancto sine principio, sine fine regnat, æternum regnaturus. Amen. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* In penso multus hodie fui. Sed languens adhuc e morbo, et curis obrutus gravi-

bus et molestis calamum abjiciam oportet, nisi tua, Fili Dei, benignitas me, cum in hoc incepto, tum in cæteris vitæ partibus, sublevet. O ades, Christe σῶτερ, et me, meam, ac meos serva. Amen.

XV. *Kal. Jul.* Hodie valere uxorem intellexi, et cæteros meos; neque in penso negligens fui. Tibi, Domine Jesu, honos, gloria, et gratia εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen.

XIV. *Kal. Jul.* Hodie vidi literas Reginæ quibus negat se velle me ἁπλῶς dimittere. Itaque hæreo anceps animi, et ad te, mi Deus, confugio opem te poscens. Tu dignare huic negotio præesse, ut id eveniat, quod tibi futurum est gratum. Meam interim, et meos, una mecum serva. Amen.

XIII. *Kal. Jul.* Consecrationi duorum episcoporum hodie interfui, et vidi ritus pulcherrimos, τύφον fortasse nimium. Deus nos servet, et mihi τὴν φιλτάτην reducat. Amen.

XII. *Kal. Jul.* In penso fuimus assidui, et Dei gratia non parum promovimus. Tu, Deus æterne, perge benigne mecum agere misero peccatore, et me, uxorem, et omnes meos serva. Amen.

XI. *Kal. Jul.* Ad Regem hodie profectus Grenovicum multis cum eo egi de rebus variis. Hunc tu, Deus æterne, serva, eique benedice. Serva et humilem familiam meam et omnes ejus partes. Hodie libelli, quem nondum absolvi, partem dedi D. Episcopi Eliensis amanuensi, ut exscriberet.

X. *Kal. Jul.* Deus benedicat, et me curis liberet. Ego non possum satis mirari me ab uxore nihil

literarum accipere. Tu illam, Domine, serva et omnes meos. Amen.

IX. *Kal. Jul.* Egone semper de uxoris silentio querar? Feram tamen lubens, si modo placeat tibi, Domine Jesu, eam valere, cum familia: idque ut sit, te supplex oro. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* O infelicitatem meam! qui a conspectu uxoris et meorum tam diu avellor. Sed pareo voluntati tuæ, Domine Jesu, qui te supplex veneror pro uxoris et totius familia εὐημερίᾳ. Amen.

VII. *Kal. Jul.* Ne nunc quidem de uxore quicquam. Tu, Domine Jesu, illam serva, et liberos ac totam domum. Amen.

VI. *Kal. Jul.* Terrent me omnia in hoc tanto uxoris et de illa silentio. Itaque hodie cum essem in Ecclesia Paulina, tempestas repente exorta me anxium habuit. Sed, O Domine Jesu, in te spes omnes meæ positæ. Tu mihi, si placet, valentem uxorem reddes, et meos liberos cum illa, ac domum totam servabis. O exaudi mei supplicis vota. Amen.

V. *Kal. Jul.* Venere tandem ab uxore literæ, optatissimæ illæ quidem, et testes fidelitatis atque amoris illius. Sed, O bone Deus, quas illa molestias sustinet? Filiola Anna periculose ægrotat, quam, bone Deus, serva. Serva illam, ὦ σῶτερ, et, si placet, uxorem solare, ac nos iterum junge ad nominis tui gloriam, ædificationem Ecclesiæ, et salutem nostram. Amen.

IV. *Kal. Jul.* Ad Regem hodie profectus, multum cum ejus Majestate sum locutus. Benedic illi, Domine, et me ex his ærumnis libera, serva uxorem, sana Annam nostram, et reliquæ domui propitius nos conjunge per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

III. *Kal. Jul.* Quod Deus bene vertat, hodie rus proficiscimur cum Domino Episcopo Eliensi, post datas binas ad uxorem literas; quam tu, O Christe, solare, subleva, et sana, si placet, Annam filiam, et totam domum serva, ac brevi illos mihi redde. Amen.

*Prid. Kal. Jul.* O Domine, quantæ doctrinæ, quantæ humanitatis hospitem sum nactus! cui tu, Christe, pro beneficiis in me hic alterum jam diem rusticantem omnia bona repende. At serva, si placet, meam quoque domum nunc afflictam, et disjectam. Solare uxorem, et præsta valentem. Sana Annam, et reliquos omnes tuere, atque illos mihi. Amen.

*Kal. Jul.* Utinam felix illucescat mihi meisque hic dies. Erit certe felix, si tuum nobis, Jesu Christe, auxilium adfuerit, quod ut adsit supplex oro. Amen.

VI. *Non. Jul.* Hoc die in hoc amœnissimo secessu finem imposui dudum inceptæ, deinde ob curas, negotia, et valetudinem intermissæ Epistolæ ad Frontonem Jesuitam. Tu, Deus æterne, scis quo animo illam scripserim, quam non lubens alienam famam arrodam. Sed coegit me nefaria doctrina

vocem mittere. Utinam bene cedat inceptum. Nunc tempus est, ut de meis cogitem studiis, de uxore, de liberis. Te supplex oro, dirige animum meum ad grata tibi, domui nostræ salutaria consilia, et filiam Annam, ac si quis alius meorum agrotat, priori redde valetudini. Amen.

v. *Non. Jul.* Κυριακὴ dies ad Regem vocat et D. Episcopum in cujus sum comitatu, et me. Imus igitur. Tu nos rege, Deus æterne, et domum meam benignus respice. Solare uxorem. Sana filiolam Annam. Rege omnes liberos et parentes et toti domo benedice. Amen.

iv. *Non. Jul.* Quod Dominus Jesus velit esse faustum, mane totum pietati tribuimus, cum esset dies Johanni Baptistæ dicata, et pro consuetudine hujus Ecclesiæ S. Eucharistiæ communicavimus, utinam ἀξίως. Tu, Domine, hoc præsta, et uxorem, Annam filiam, liberos et totam domum serva, ac illos mihi redde. Amen.

iii. *Non. Jul.* Benedic, Deus æterne, curis meis, me rege, et mea peccata tege. Serva uxorem et totam domum, ac filiolam Annam restitue priori valetudini. Amen.

*Prid. Non. Jul.* Hodie, ut spero, vere coronidem opellæ huic imposui, cui multa sub finem adjeci nuper omissa. Deus, cujus honorem et gloriam spectavi, operi benedicat: qui etiam me, uxorem, liberos, et domum totam servet, Annam priori valetudini restituat, et nos nobis reddat. Amen.

*Non. Jul.* Defunctus cura quæ me aliquandiu

exercuit, rediturus ad pristina studia, si liceret, calamitatem meam agnosco, qui meis libris caream, nec quid sperem sciam. Tu, scis, Domine, quid me fieri velis, da parere voluntati tuæ alacri animo. Sed, O Σῶτερ, serva uxorem mihi, sana Annam, et totam domum præsta innoxiam. Amen.

VIII. *Eid. Jul.* Quam langueo, Deus bone! quam hæc mihi vitæ ratio gravis! Sed solatur me cogitatio illa, quod, te volente, ita fit, Domine Jesu, servator mundi, salus mea, et meorum. O fiat voluntas tua, Domine. Oro te supplex, serves me, uxorem, liberos omnes, et totam domum. Reddas etiam Annæ nostræ valetudinem priorem. Amen.

VII. *Eid. Jul.* Ad Regem hodie profectus tradidi illi librum, quem scripsi, de quo statuat ipse Θεοῦ ὁδηγοῦντος. Ego conscientiæ meæ hac in parte satisfeci. Tu, Deus æterne, da bene sentire, da recta loqui, et uxorem, quam dedisti mihi, serva et redde: sana Annam nostram: benedic universæ domui. Amen.

VI. *Eid. Jul.* Etiam hodie ad Regem, erat enim Κυριακὴ, sum profectus, et benevolum, ut semper, sum expertus. Tibi, Domine, gratias ago, teque supplex oro, ut benedicas mihi meisque. O serva τὴν φιλτάτην, castissimam uxorem meam: sana Annam filiolam: protege liberos alios et totam domum. Amen.

V. *Eid. Jul.* Mane literas scripsi. Inde ad Le-

gatum Venetum profectus et ad D. Kilegrew totum fere diem a libris afui. Deus me, meam, et meos omnes servet, ac filiam Annam sanet. Amen.

IV. *Eid. Jul.* In Chrysostomo hodie fui, et absoluta Genesi ad Commentarium in Psalmos veni. O virum pium! O divinum pectus! Da tales viros imitari, O Deus, mihi, uxori, et omnibus meis, et nos omnes protege. Amen.

III. *Eid. Jul.* In primo Chrysostomi tomo multas horas posui, etsi pauciores quam vellem. Notabam hominis pietatem plane admirandam et in interpretatione Ψαλμῶν non mediocrem diligentiam. Ad Ps. x. hæc mihi perplacuere quæ in meum usum hic describam. *Μεγάλη τῆς ἐπὶ τὸν Κύριον ἐλπίδος ἡ δύναμις, φρούριον ἀχείρωτον, τεῖχος ἄμαχον, συμμαχία ἀνανταγώνιστος, λιμὴν εὔδιος, πύργος ἀκαταμάχητος, δύναμις ἄμαχος, καὶ ἐκ τῶν ἀπόρων εὑρίσκουσα πόρον.* Aurea verba, quæ memoriæ infigere et firmiter credere det Deus, qui meam hanc solitudinem respiciat, et me meis, meos mihi reddat, atque interim servet me, meam, et meos, et filiolæ Annæ priorem valetudinem restituat. Amen. Hodie apud Prætorem Londinensem cum D. Eliensi, D. Decano Paulino et aliis sum pransus, et hominis magnificentiam sum miratus. Inde reversus literas accepi ab uxore et mox a Chabanæo meo, satis lætas. Itaque tibi, O Deus, grates gratissimas.

*Prid. Eid. Jul.* Habet me Chrysostomus, quoad

licet. Domine, benedic huic domui, et nos omnes protege. Amen.

*Eid. Jul.* Multus hodie fui in Chrysostomo, non sine pia voluptate. Da, Domine, proficere in tui timore. Serva etiam uxorem, liberos, et universam domum. Ego ex literis mei Chabanæi puto illum cum filio esse in itinere, cui itineri, O Deus æterne, benedice. Amen.

XVII. *Kal. Aug.* B. Chrysostomi Commentarium in Psalmos hodie absolvi, Dei beneficio, qui det sentire et loqui semper sibi grata. Serva etiam, ὦ σῶτερ, me, meam, et omnes meos; et si quis meorum ægrotat, illi suam valetudinem pristinam restitue. Amen.

XVI. *Kal. Aug.* Κυριακὴν pro more aut in æde Paulina aut in sacello regio, aut ad mensam, Regi astans, posui. Rex libellum nondum legit, quem nuper obtuli, ejus jussu scriptum. Τὸ δ' εὖ νικάτω. Tu, Domine Jesu, ades mihi, meæ, et meis: da nobis rectam mentem, et nos in omnibus dirige; præsta uxorem, me, et liberos, ac nominatim Annam, cæterosque omnes, valentes ad nominis tui gloriam. Amen.

XV. *Kal. Aug.* O duram solitudinem meam! cujus quidem finem adhuc nullum video. Uxorem morbus filiolæ detinet. Chabanæus non venit. Deum oro, qui dedit in se sperare, det videre exitum lætum harum ærumnarum, et nos omnes servet. Γένοιτο γένοιτο.

XIV. *Kal. Aug.* Tomum primum Chrysostomi

absolvi, qui desinit in Commentario in Isaiam. Opus vere aureum, et quod esse imperfectum majori ex parte sit dolendum. Vix puto ex omnibus scriptis veterum Patrum utriusque linguæ opus simile extare illi scripto, si modo extaret integrum. Nam meo judicio ipsum se Chrysostomus eo libro superaverat. Atque tanta pietas, tanta in Sacra Scriptura eruditio, quam in illo viro animadverto, et in nonnullis aliis veterum, non sinit me iis assentiri, qui neotericos, atque adeo unum in neotericis toti vetustati anteponunt. Qua in re, quæ ad salutem facit cum maxime, da, O Deus æterne, recte sapere, recte judicare, et tuorum mysteriorum tantam cognitionem adipisci, quanta sufficiet ad vitam bene instituendam et te animo sincero colendum. Quod, O Servator, da mihi, meæ, et meis omnibus: quos una mecum pro tua inexhausta bonitatæ præsta valentes, et nostris omnium inceptis ac consiliis benedice. Amen.

XIII. *Kal. Aug.* Quamdiu in hac solitudine versabor? Me pene jam vitæ hujus tædet, quam absentia meorum reddit mihi vix jam vitalem. Sed redibo ad me, et in tua, Deus æterne, voluntate acquiescam. Te supplex oro, serves me, serves meam, et meos omnes per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

XII. *Kal. Aug.* Exspecto, et semper frustra sum: non ero semper, scio. Nam in te, Deus mi, spes mea. Tu meam domum serva per Jesum Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum. Amen.

XI. *Kal. Aug.* Quid miserius homine amante, et de suis amoribus sollicito? Me amor uxoris ποθεινοτάτης beatioremne an miseriorem reddat nescio. Imo scio; et scio me beatum esse, qui uxorem castam, mei amantem, Dei timentem sim nactus. Tui hoc, Domine Jesu, muneris est. Te supplex oro, serva tuum munus, et, qui nos junxisti, nos rege, dirige; et nobis ac nostris omnibus benedice. Amen. Amen.

X. *Kal. Aug.* Ne nunc quidem venit Chabanæus meus: tum autem de uxore nihil. Itaque mœreo, mœreo. Atque hodie cum Billio bibliopola rationes inii, a quo libros acceperam partim reddendos, postquam iis usus essem, et mei venissent, partim servandos. Itaque ratione inita inventus sum debere illi libras Gallicas amplius centum. Nam quos libros sperabam me redditurum, ego vero eos non reddidi, quia meis careo. Solvi igitur illi quicquid ipse debebam. Nam de filii rationibus alia ratio brevi erit putanda. En ut pecunia perit mihi, quam in aliis rebus poteram melius ponere. Itaque rem non feci ad hunc diem, et, ut video, faciam nunquam. Veniat igitur uxor, quæ, ubi adest, pecuniam meam servat, administrat. Te supplex veneror, Deus æterne, da prudentiam ad regendam hanc domum mihi: da uxori, mihique, ut brevi alter alteri redditus te pie colere et liberos nostros in tui timore educare possimus. Amen.

IX. *Kal. Aug.* Concioni Gallicæ hodie interfui,

et pastorem Marium audivi exponentem textum Jacobi de fide et operibus, qui ab interpretatione veterum et doctrina longe abiit, nec minus a significatione vocum συνεργεῖν et τελειωθῆναι. Igitur plura audivi, quam probavi. Sed Dominus Jesus veritatem suam nos doceat. Ego desiderio meorum τήκομαι τάλας. O Domine, respice me, meam, et meos. Tu nos junxisti, me, inquam, et uxorem. O iterum junge, et da sincere tibi inservire: sana filiam Annam; uxorem et omnes protege, ac si qui meorum veniunt, eos ab omni malo protege. Amen.

VIII. *Kal. Aug.* Hodie ad iter me comparavi et D. Legato vale dixi. Pransus autem sum in convivio publico Societatis Mercatorum Londinensium, qui Scissores vocantur, et propriam sibi quam vocant Aulam habent. Uno verbo nihil vidi ad hanc diem magnificentius. Tum autem comitas erga me quem D. Decanus adduxerat admiranda. Sed interim de uxore nihil, neque venit meus Chabanæus. Itaque angor animi. Spero tamen ἐν Κυρίῳ omnia læta, et ut sint, supplex τὸν θεάνθρωπον oro. O exaudi vota mea, Deus. Amen.

VII. *Kal. Aug.* Quod Dominus Jesus velit esse faustum, ad solatium meæ tam diuturnæ solitudinis Londino relicto, cum reverendo viro D. Episcopo Eliensi Cantabrigiam et Eliam iter institui, ac milliaribus viginti confectis venimus in comitatu Herfordiensi Granam pagum amœnissimum,

ἔγγιστα Herfordiæ. Te rogo, Domine, benedic huic itineri, et meæ ac meorum consiliis benedice. Amen.

Discedens Londino dedi mutuo 100 Libras Gallicas P. Alabastro, qui nullam ejus rei certificationem mihi dedit.

VI. *Kal. Aug.* Cantabrigiam hodie appulimus milliaribus viginti quatuor confectis et in collegio Petri, quod primum occurrit, regiturque a Domino Richardson, mansimus. Et nos quidem humanitate cum Domini Episcopi tum D. Richardson mirifice recreamur. Sed revocat animum ad se nostra uxor, quam tu, O Domine, serva cum omnibus liberis et universa domo. Amen.

V. *Kal. Aug.* Quum essem nactus R. Thomsonem περιηγητὴν, octo hodie mane Collegia Cantabrigiensia lustravimus, Pembrochianum, Reginale, Regale, Clarense in quo Thomson, Caii medici, item Trinitatis, et S. Johannis quæ duo postrema omnium sunt quæ hactenus vidi maxima et magnificentissima; deinde apud hospitem nostrum D. Richardsonem Petrensis Collegii præfectum pransi, Eliam venimus, et postquam ibi D. Episcopus Decanum senio et morbo confectum invisisset, ad hanc D. Episcopi domum pervenimus, ubi hæc scribebam paullo post adventum. Deus benedicat illi, qui nobis hæc otia facit, viro maximo, benedicat etiam mihi, τῇ φιλτάτῃ, et τέκνοις, et omnibus meis. Amen.

IV. *Kal. Aug.* Tu, Deus æterne, tu es, qui nobis

hæc otia facis. Tibi honos, tibi laus, tibi gloria, et viro magno, cujus benignitatem experimur, multæ gratiæ. O utinam sciret uxor τὴν ἐμὴν εὐεστώ. Utinam ego certus essem illam valere. Quod da mihi, Domine Jesu, et nos omnes serva. Amen.

III. *Kal. Aug.* In Arminii libellis legendis hodie multus fui. Subtilis plane Theologus, et, ut accepi, vir optimus. Dominus veritatis amorem inspiret animis fidelium suorum. Dominus etiam me servet, et τὴν φιλτάτην, καὶ τέκνα, et universam domum. Amen.

*Prid. Kal. Aug.* Diem Κυριακὴν, ut et reliquos omnes dies, ex quo sumus cum magno hoc Episcopo, ex parte in templo egimus, beati hoc genere vitæ et consuetudine tanti viri, nisi silentium hoc uxoris nos pessime haberet. Nam quid dicemus esse in caussa? Sed hoc tu scis, Domine, nos sciemus προιόντος τοῦ χρόνου. Te supplex veneror, ades mihi, ades uxori, et nos cum nostris brevi omnes conjunge ad tui nominis gloriam. Amen.

*Kal. Aug.* En novum mensem, et manet jam vetus dolor. Nam de uxore nihil, nihil de liberis, nihil de libris. Itaque etiam in hac dulcissima vita cum tanto viro acerbissima tamen est mihi vita. Spero tamen in te, Deus æterne, et scio te mihi adfuturum meisque. O da vitam vivere tibi gratam. Amen.

IV. *Non. Aug.* Domine, ades. Deficio enim dolore, quod nihil ab uxore literarum accipiam. Reficior

tamen utcunque suavissima admirandi Præsulis doctrina, et humanitate incredibili. O Domine, ades mihi, meæ, et meis. Amen. Hodie Eliam invisi. Templum ibi magnificum plane spectavi, sed Laternam imprimis sum admiratus. Quod vulgo dici solet tympanile, Elienses appellant in suo templo Laternam; opus inter quatuor Eliæ miracula primum numerari solitum: de quibus jactatur hoc distichon: *Hæc sunt Eliæ, Laterna, Capella Mariæ, Atque molendinum, necnon dans vinea vinum.* Legi reversus librum a D. Richardsone mihi commodatum Rescriptionum adversus Hæreticos a Justo Baronio editum. Det Dominus Jesus ita libros quosvis legere, ut omnia referam ad gloriam ejus nominis. Amen.

III. *Non. Aug.* Semperne in hoc angore versabor? Nam quid agat charissima uxor juxta scio cum ignarissimo. Itaque mirifice crucior animi. Spero tamen non defuturam tempore opportuno tuam, Domine Jesu, tot experimentis probatam benignitatem; neque habiturum te meorum peccatorum potiorem rationem, quam tuæ infinitæ et inexhaustæ bonitatis; idque ut ita facias, te supplex oro, atque veneror. Interim solor me lectione librorum, quos hic possum nancisci. Hodie legi vitam Phil. Melancthonis a Camerario scriptam, et hoc et illo viro dignissimam. Θεῷ χάρις.

*Prid. Non. Aug.* Inter gravissimas curas et θυμοβόρους μελεδῶνας de uxore, liberis, atque etiam

libris meis relegi quædam in Camerarii libro de vita Melancthonis. Atque imprimis notabam illum locum p. 247, ubi dicitur scripsisse De Ecclesia libellum, et in eo suum de singulis Patrum protulisse judicium, et, ut ait Camerarius, libris quos scripsissent Doctores in Ecclesia, quasi censorias apposuisse notas. Et Camerarius, ut cætera omnia Philippi, laudat hunc librum: narrat tamen multis ejus editione præbitam esse offensionis caussam. Nos scimus doctis multis hic præsertim in Anglia parum probari. Ego nondum legi. Observabam in hac vita Camerarium sive per occasionem, sive etiam quodam loco ex professo omnes fere amicos Melancthonis commemorantem nullam facere neque Calvini neque Bezæ usquam mentionem. Buceri bis meminit, et addit mortuo elogium honestissimum. Legi etiam hodie librum 1. epistolarum J. Camerarii in primo tomo a filiis edito. Qui liber cum sit ad summos Principes scriptus, magna ex parte non inutiliter legetur ab his, quibus necessitas invasit similium literarum exarandarum. Est enim proprius quidam stylus, maxime propter titulos Principibus dandos, et formam compellandi in tertia persona. Hæc inter dolores summosque animi cruciatus scribebam, ut a cogitatione de uxore et meis omnibus animum revocarem. Tunc enim demum respirare mihi videor cum vel Filium Dei precibus compello, vel lego aliquid, aut cum amicis sermones sero. O Christe Jesu, re-

spice me, meam, et meos. Amen. Domine Jesu, miserere nostri. Amen.

*Non. Aug.* Adhuc in tanta sollicitudine me sustento meditationibus de rebus piis, precibus ad Deum, et sermonibus cum præstantissimo hoc viro, item lectione libellorum qui fere ad pietatem faciunt: ut Epistolæ Camerarii in quibus nunc versor. Magnæ doctrinæ hic, vere magnæ pietatis, quam, O Domine Jesu, da mihi, da uxori et liberis, ut te pura mente colamus: ac nos interim propitius respice. Amen.

VIII. *Eid. Aug.* Equidem rerum mearum statum reputans vix sum apud me dolore et cruciatu animi. Uxorem habeo charissimam mihi; habeo liberos; habeo libros. Uxor longe abest, longe liberi, longe libri. Quæ præcipua est suavitas conjugii, ut mutuas ærumnas communicantes reddamus alter alteri leviores, hoc bono tamdiu ego et uxor caremus. Accedit sollicitudo mea de illa, quam multas scio pati animi anxietates et propter hanc nostram separationem, et propter Annæ morbum, et molem negotiorum nostrorum. Quid dicam de libris, sine quibus perit mihi omne tempus, hoc est, pereunt studia, pereunt omnia mea incepta. O dura vitæ longioris stipendia. Sed alia sunt, quæ potius lugere debeam, mea et meorum peccata, ex qua scaturigine mala hæc omnia nobis proveniunt. Hoc ego fateor, Deus æterne, hoc agnosco, et te supplex oro, ut veram animis infundas pœnitentiam, verum tui amorem,

verum timorem. Da imitari Sanctorum tuorum exempla, quibus non sensus adeo malorum, quæ tolerabant, lacrymas exprimebat, ut cogitatio Numinis tui offensi. Da illum sanctum prophetam imitari qui dicebat de se Ps. cxix. פַּלְגֵי־מַיִם יָרְדוּ עֵינָי עַל לֹא־שָׁמְרוּ תוֹרָתֶךָ׃ En virum pium, et qui sciret quid esset vere dolendum, quid vere lacrymis dignum. Id nempe unum, quod solum vere malum : quando sive nos, sive nostri, aut alii Deum offendimus. O Rex æterne, da mihi meisque hanc mentem, da hoc unum serio cavere, ne tuam sanctissimam Majestatem offendamus. Erunt omnia mihi, omnia uxori, omnia liberis læta meisque omnibus, si hoc unum beneficium a tua inexhausta bonitate impetramus, quod ut impetremus supplex te oro, Deus immortalis, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit honos, laus et gloria. Amen.

VII. *Eid. Aug.* Hodie literæ Londino venerunt. Sed de uxore et tota familia nihil. Quæ res mire auget sollicitudinem meam. Sed sperabo in tua, Domine Jesu, bonitate vel παρ' ἐλπίδα. O serva uxorem, me, et totam domum. Amen.

VI. *Eid. Aug.* Quam longa hinc ad diem Dominicum expectatio, quo literas saltem Londino spero me habiturum. Equidem ærumnæ jam huic par non sum. Sed tu spes es mea, Domine Jesu, meæ, et meorum unica salus. Tibi me, meam, et meos omnes permitto. Amen.

v. *Eid. Aug.* Etiam hodie summo mane profectus cum Domino Episcopo Laternam quam vocant accuratius spectavi, opus plane dignissimum spectatu. Quod quidem ita constructum est, ut non facile quis intelligat, cui basi innitatur. Sed nos dum singula, ima, summa, in eo opere observamus, facile animadvertimus totum laternæ opus inniti tabulato quod sustinent ingentes trabes parieti affixæ. Sed in eo difficultas est, qua ratione trabes illæ ita potuerint componi ut fixæ hærerent: quippe eorum ima solum pars in parietem incumbit. Quomodo igitur sustinetur tigni ἄκρον quod est erectum? Nam quia neque jacent illa tigna, sicut solent in lacunaribus ædium, neque more fornicis opposita sibi invicem occurrunt, ut alterum alteri resistens firmitatem operi pariat, sed in magnam altitudinem erigunt, et totum spatium medium relinquunt vacuum, quæri potest, cui innitantur illa tignorum ἄκρα erecta. Sed puto fabrum mediocriter suæ artis peritum, facile esse responsurum, et mihi quoque veniebat in mentem, quod dicerem ea de re, sed omitto. Ars autem eo magis celatur, quia totum lignum ab exteriore parte laminis plumbeis est contectum. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Sed mihi pridem omnem ad studia alacritatem ademit præsens mearum rerum conditio. Quid enim agit charissima uxor? quid liberi? ut valent? Tum autem meis libris an æternum carebo? O meam conditionem duram, ὦ ὑπερβασιῶν

ἀλεγεινῶν. Non enim dubito, ὦ Τριὰς παναγία, hæc mihi contingere, solitudinem hanc, jacturam rei familiaris, eversionem studiorum meorum, quia bonis meis fruens τὸν δοτῆρα non celebravi, ut oportuit, non colui, ut debui. Et sunt quidem, Deus æterne, tua justissima judicia; agnosco, fateor, pœnitet delictorum. Sed quoniam tua est infinita benignitas, καὶ ἐν ᾅδου sperabo in te, et tibi supplex me, meam, et meos omnes, O mundi Salvator, commendabo, et in ea spe acquiescam. Amen. Ad cætera incommoda accedit ἡ τοῦ θεράποντος νωχελίη qui mihi meorum absentiam reddit tanto magis intolerabilem. Atque hæc levicula incommoda me tamen admonent ut Deum precibus coner δυσωπεῖν qui nutu me potest beare: qui me, meam, et meos servet. Amen.

IV. *Eid. Aug.* Epistolas Camerarii hodie absolvi, quas quidem habui. Non pœnitet operæ. Vir magnus fuit multis nominibus. Sed pietas, probitas et peritia utriusque Linguæ excelluerunt in illo. Legat eas epistolas qui vult in arte vitæ hujus pie degendæ proficere. Sed de Camerario et ejus epistolis alias. Interea ego de charissima uxore, de liberis, de sorore et rebus meis nihil disco, quo nomine quantum crucier scis tu, Domine Jesu, cui me, meam, et meos, atque mea omnia permitto ac committo. Deus profecto est, qui me servavit hactenus et meam, ac meos. Deum igitur invocabo ἀδιαλείπτως. αὐτὸς ποιήσει. Amen.

III. *Eid. Aug.* O ærumnosam vitam meam! cui propter sollicitudinem de uxore ac liberis nihil quicquam læti potest contingere. Quod si suavissima humanitate magni hujus Præsulis non recrearer, quid me fieret? Tu, Domine Jesu, conciliasti mihi ejus benevolentiam. Tibi honos, et gratia, qui serva, oro supplex, me, meam, et meos. Amen.

*Prid. Eid. Aug.* Equidem avertere animum a sollicitudine hac tanta quæ ἄγχει cogor, et libros, quorum copia est, lectito. Sed non multum proficio: nisi quoties ad te, bone Jesu, πολυέλεε Θεὸς, oculos animi et cogitationem meam refero. In te acquiesco; tibi permitto me, meam, et meos. O nos respice, benigne σῶτερ. Amen.

*Eid. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια ut possum. Deus adsit mihi, meæ, ac meis.

XIX. *Kal. Sept.* Hodie sacrosanctæ Domini cœnæ participavimus Deum venerati, ut hujus tanti mysterii daret nobis intelligentiam quantum expedit ad gloriam ejus promovendam et τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐργάζεσθαι ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ. Quod, O Deus æterne, Pater benignissime, dignare mihi concedere, nec solum mihi, sed meæ, et meis omnibus. Hodie literas a famulo, qui Londini est, accepi. At de uxore nihil, præter incertos rumusculos illam parare adventum ad me, quod tu velis, O Deus, et me, meam, ac meos serva. Amen.

XVIII. *Kal. Sept.* Hodie comitati sumus D. Episcopum Eliam proficiscentem, ut diem festum ob

liberationem Regis a Comitum Gowriorum insidiis celebraret in sua Ecclesia. Erat Decanus in primo aditu templi, ubi excepit D. Episcopum, et inde præeuntibus et canentibus Ψαλμοὺς Canonicis processio facta intra ædem illam sacram. Postea preces matutinæ habitæ. Tum autem concionatus est D. Episcopus pie et graviter. Postremo celebrata est inter paucos S. Eucharistia. Qui hanc magnificentiam improbant multa hic reprehenderent. Ego admiror hæc veteris Ecclesiæ vestigia, quæ Deus servet; servet et me, uxorem ac liberos.

XVII. *Kal. Sept.* Hodie cum D. Episcopo Wisbicum urbem petimus. Ea est urbs hujus Episcopatus altera; major, ut accepimus, Elia: atque ego libenter facio, ut a tanto viro ne divellar, priusquam de meis aliquid intellexero. Equidem ad hoc silentium uxoris et meorum stupeo. Deus bone, quid est? quid dicam? quid suspicabor? crucior, crucior animi, maleque omnino de me mei merentur, si culpa illorum hic versatur. Quicquid hoc est, te supplex oro, Deus æterne, serves hanc domum, mei miserearis, meæ, ac meorum omnium. Quid nobis opus sit, nosti tu, Deus æterne, melius. O ades propitius per Jesum Christum Filium tuum μονογενῆ, cui una cum Patre et Spiritu Sancto laus sit, honos et gloria. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Quum superiorem noctem mansissemus Duninchchoniæ sive Dunintoniæ, hodie

Wisbicum pervenimus. Et hesternum iter decem mille passuum erat, et hodiernum quoque. Fuit autem via per loca palustria quæ magna ex parte conteguntur aquis per totam hiemem. Sed loca inter Dunamiam et Dunintoniam hoc saltem habent commodi, quod ubi recesserunt aquæ, læta præbent gregibus et armentis pascua. Ipse ager Dunintoniensis et re et specie pulcherrimus est. Edi ibi præcocia tam flava et tam suavia, quam videar comedisse in Francico agro. At postquam milliare tertium vel quartum perfecimus, et diversoriolum præteriimus quod Opsoni dicitur, per multa milliaria iter egimus inter arundines secundum fluviolum, quem qui navigant in suis lintribus, sæpe occultantur ab arundinibus utrinque ripam prætexentibus. Tandem Wisbicum appulimus, prodieruntque obviam D. Episcopo Judex oppidi, item decem primi, et caterva ingens equitum, ut videantur fuisse in comitatu D. Episcopi, cum Urbem est ingressus, ad CL equites. Urbs porrigitur secundum fluviolum, unde nomen habet, quasi dicas rostrum fluvii illius. Quum Dunintoniæ pellegissem librum Witaceri contra Campianum, hodie cepi Eunapium legere, quem librum casu nactus sum non certo consilio, missum a D. Richardsono a quo non petieram. Ita dies hic est actus. Deo laus et honos, cui me, meam, et meos supplex commendo. Illi honos et gloria. Amen.

XV. *Kal. Sept.* Concioni hodie interfui in tem-

plo satis elegantis structuræ. Inde loca in arce invisimus, ubi servati sunt sub extrema tempora Elizabethæ quidam Jesuitæ et alii Pontificii. Tum autem domum reversus totum fere diem in libris egi. Deo laus, honos et gloria, cui me, meam et meos supplex commendo. Amen.

XIV. *Kal. Sept.* Totum mane in studiis egi, itaque Eunapium fere absolvi. A prandio conscensis equis inspeximus canales hujus agri. Progressus est igitur D. Episcopus cum paucis comitibus in adversam urbis et terrarum partem illi unde venimus. Confecimus quatuor aut quinque milliaria. Erat ob oculos nobis posita Lincolnia, puta Comitatum intelligere non Urbem, in quam mox etiam pervenimus, atque ego in ea saltem pedem posui. Ad sinistram erat ager Norfolciæ, quem die sequente adiimus. Vidimus magnam planitiem quæ ut pleraque in agro Eliensi et Wisbeciensi tegi solet aquis per hiemem. Ambulabamus toto fere hoc itinere post unum aut alterum a Wisbeco miliare in aggeribus quos vocant *seabancs*, quasi maris dorsa, sive dorsa i. e. aggeres oppositos mari. In reditu aliam viam ingressus est D. Episcopus, cujus exitum quum non inveniret, quæsitus est dux qui nos inde educeret. Erat ibi ἀνεμολέτης, et in eo puer qui indicinam vadi promisit, atque adeo viam præire statim cœpit. Non confeceramus ducentos passus cum pervenimus ad vadum, quod, nisi Deus adfuisset D. Episcopo, fatale illi fuit futurum: qui, animadverso

præeuntes non sine ingenti periculo trajicere, ut pedem referat flectit equum. Ille in collem se erigere incipit, ac sessorem dejicit: qui neque in πτώσει, neque dum est humi intra pedes equi, damnum ullum accepit. Ego ita pavore sum perculsus, ut per aliquot horas vix me receperim ab illa commotione. Deo laus, honos et gratia, quod virum pium servavit, quem et servet: servet et me, meam, ac meos. Amen.

XIII. *Kal. Sept.* Eunapio absoluto ac de more lectis aliquot psalmis ad perspiciendam urbem prodiimus. Vidimus pistrinum machinosum ubi fit oleum e semine raparum: cujus copia fit ingens in hoc oppido. Est enim magnus ejus usus, ut aiunt, in carendis lanis unde panni Anglicani fiunt optimi. Vidimus etiam aves aliquas exquisitas quæ saginabantur vendendæ. Erat inter cæteras avis quæ dicitur Godwie q. d. Dei ingenium, quæ mirifice commendatur. Itaque dicebat ornithotrophus se Wisbici ubi annonæ est magna vilitas, singulas aves vendere quinis aut senis solidis Anglicis h. e. quinquaginta aut sexaginta Gallicis: Londinum autem delatas easdem aves se viginti asses Anglicos aut eo amplius pro singulis domum reportasse. Avis est perdici minori æqualis aut etiam minor, ut valde mirer pretii magnitudinem. Color cinereus: rostrum habet longius digito meo maximo porrecto. Coctæ carnes subnigræ ut palustrium. Ego in mensa D. Episcopi edi, nec valde probavi: cur admo-

dum oto præferatur caussam non video. Sunt etiam ea die absoluta judicia solennia, uti vocant, quæ præsidente D. Episcopo fuerunt celebrata. Ibi inter alias caussas actum est de generoso quodam parricidii reo quod filium occidisset, et quidem unigenitum. Filius erat patri immorigerus, ganearum et aleæ sectator. Die quadam contra patris vetitum proripuit se ex ædibus et totum diem inter ganeones et aleatores posuit. Tulit pater hoc filii rebellium iniquissimo animo, cepitque cum impetus filii castigandi ubi esset reversus. Venit alta jam nocte: cui ingresso domum occurrit pater, et verbis increpitans simul colaphum impegit magna sane vi, ut docuit exitus. Nam delata manus sub aurem puerum dejecit humum, qui paullo post exspiravit. Triste et lamentabile exemplum liberis, ut parentibus obediant, nec minus insigne parentibus documentum, ne irati liberos castigent, sed ut parens meus faciebat animo tranquillo et sedato. Hoc die domum reversi sumus Dunamiam itinere per Norfolciam instituto, quæ mihi est visa regio amœnissima et vel propter copiam gregum et armentorum in pascuis errantium, pascentium, jacentium visenda. Simul D. Episcopus ad canales quosdam inspiciendos est deductus ὁδοῦ πάρεργον. Atque ita hodie confecimus miliaria ad viginti quinque. Fluvium eundem bis trajecimus, semel ponte, iterum scapha, deinde ad tertium a Dynamia lapidem, alium fluviolum

vado trajecimus. Ita Dei benignitate reversi sumus. Illi sit honos et gratia. Me interim curæ de uxore et familia incredibilem in modum sollicitum habebant ob tam diuturnum silentium, cum ecce afferuntur mihi quatuor *τῆς φιλτάτης* fasciculi, quibus de sua et liberorum sic satis prospera valetudine me facit certiorem; de meis autem rebus multa narrat *οὐ πάντως κατὰ θυμὸν ἐμοί.* Sed bene erit Deo volente. Illud me male habet, quod uxorem video nondum venturam. Tu, Deus æterne, illius curas subleva, et nos junge omnes, ut tibi pura mente, toto animo serviamus.

Antiquitas Eliæ.

Monasterium quod fuit ante Henricum VIII magnæ celebritatis, dicitur conditum circa annum a Domino 770. Episcopatus satis multo post est institutus tempore Henrici primi, qui fuit Conquæstoris filius. Auctor condendi fuit Abbas, vir Regii sanguinis, qui inter moras rei a Pontifice impetrandæ obiit.

Insulæ Eliensis divisio.

Dividitur in tres Centurias: ita Angli appellant partes Comitatuum suorum. Tres Centuriæ sunt Elia, Wisbicum et . . . . Unaquæque Centuria habet pagos plures *οἱ συντελοῦντας.*

Eliensis insulæ *ἰδιώματα.*

Parte anni magna tegitur aquis, sed aliter quam Ægyptus. Nam quæ partes teguntur, ad omnia alia sunt inutiles, præterquam ad pascua.

Μακρόβιοι in agro Eliensi.

Familiare est hic videre homines, qui excedant annum centesimum et centesimum vigesimum. Nam qui superassent octogesimum item et octogesimum quintum, et firmo corpore essent, et opus facerent in agro ipse vidi.

Talparum terra.

Sic appello campum per quem præterii cum Doninctoniam peteremus, non procul a Donincstonia, ubi pater D. Peithou occurrit D. Episcopo. Ibi sunt ἐπαναστήματα in plano campo tam densa ut fuerit mihi res miraculo.

Loca ὑγρόξηρα.

Hodie narrabat D. Episcopo vir generosus D. Peithou pater in pascuis multis Eliæ insulæ circa Doninctoniam, ubi aquæ omnia occupant, greges et armenta se recipere in colliculos quos aquæ non tegunt, hæc vero altiora loca per æstatem præbere aquas potando pecori. Quum miraretur D. Episcopus et caussam quæreret, dixit D. Peithou naturam locorum eam esse ut hieme terra attollatur, æstate subsidat: habere igitur hieme aquam intra se sub superficie, æstate deprimi superficiem et fieri κοιλώματα quæ aquæ impleant. Addidit pagum esse Benwisch non procul ab alio pago Chatres prope Donincstoniam quem ipsi vidimus, dictum Benwisch corrupto nomine a Venetiarum similitudine. Habet fere ducentas domos parvas et humiles, omnes περιρρύτους ut insulas. Harum domorum sola hieme esse altiora pedes

aliquot quam æstate; attolli enim ὀφθαλμοὺς crescentibus aquis interioribus: hoc probari, si palum defigas, et juxta superficiem soli fissuram imprimas in palo hieme, videbis æstate terram descendere infra fissuram. In Benwisch fere qui habitant sunt piscatores et aucupes et fiunt μακρόβιοι.

Die primo itineris occurrit nobis rusticus qui equi sui nudo dorso insistens vehebatur tanta confidentia, ut admitteret ad cursum, neque aliquis nostrorum posset consequi ipsum ita currentem.

In his locis sunt grallatores insignes qui grallis altissimis insistentes citissime currunt, atque interim manus liberas habent.

Raræ in his terris arbores, nec fere usquam, nisi circa pagos aut oppida, quare qui iter faciunt, ubi vident arbores, ibi sciunt esse pagum aut aliam habitationem. Ad ignem utuntur vel his, quas vocant turbas (*turfs*) h. e. terra effossa ad cremandi usum, quæ mera terra est: vel iis quas vocant———. Eæ sunt glebæ cum gramine virente effossæ, quæ siccatæ primo singulæ, postea in metas magnas conjiciuntur, habentque ab altera parte fœnum, ab altera terram: sed oportet urentibus istas, ut diximus, ante supinatas aquiloni ostendere glebas.

Inter Dunaniam et Wisbicum est pagus in quo nihil crescit præter cannabi et————. Itaque mirabamur totum fere agrum vestitum esse alta cannabi cum præteribamus. Dicebat a D. Epi-

scopo minister quidam adeo fructuosam esse hanc culturam, ut quidam e quatuor jugerum cannabi reditum haberet annuum librarum Anglicarum ad centum et quinquaginta.

Lapidicinæ agri Eliensis habentur inter Duna-niam et Eliam, quas ipse vidi.

Opes insulæ Eliensis possumus ex hoc conjicere. Dunania ubi hæc scribebam est pagus ad milliare alterum ab Elia paucarum domorum. Habet tamen armentum, ubi boves aut vaccæ sunt amplius quadringentæ præter greges ovium. Miratus sum quando grallatorem unum vaccas quadringentas solum pascere cum uno filiolo vidi.

Non unum, sed tria oppida sunt, quæ Wisbicum singula dicantur. Istud, quod vidimus, omnium maximum est, et Wisbicum S. Petri ob ædem B. Petri dicitur; reliqua cognominibus distinguuntur. Hæc oppidula aut viculos potius visit D. Episcopus: et mira narrantur de pactis pecuniam ipsius respicientibus, et de bona hexi pacti quinquennis.

Solum insulæ Eliæ circa Wisbicum plane est quale illud quod describit Paneg. in pat. Maximiano, Audi, etc. quem locum expendit Junius Animadvers. IV. 11, p. 172. Plane experti sumus solum ad ingressum intremere, pressum sidere, et concuti.

Domus fere omnes Wisbici culmo tectæ ut et in magna urbe Norvici, quæ est metropolis comitatus Norfolciensis.

Notandum est per totam hanc regionem varios canales et incilia esse perfossa exonerandæ aquæ.

Bliterræ aves. Oti vel Otides.

In agro Eliensi est avis fere par Gallinæ misto colore flavo et cinereo, etc. alta admodum crura habens, quæ appellatur Bliterra: hæc dicitur immittere solere rostrum in arundinem proximam quamque, et vocem intonare tam horribilem ut rei imperiti dicant esse vocem cacodæmonis, tam altam ut duo viri nobiles mihi affirmarent a tertio aut quarto milliari audiri. Non est suavis cibus.

Otus vero, sive Otis, est avis perdice minor, quæ simia est, et stulta imitatione decipi capique solet: hanc avem Proceres et Reges cupide in *θήραις* aucupantur. Præbet delicatissimum cibum, si palatum mihi satis eruditum; vidi et vivas. Aiunt, si venator pedem alterum attollat, facere idem avem, si brachium producat, ipsam producere alam, et omnes gestus imitari.

XII. *Kal. Sept.* Concio hodie et consueta sacra. Tum ad epistolas scribendas animum appuli. Ad uxorem prolixe quum scripsissem, quia doloris inerant quædam indicia, quæ illi putavi fore molesta, epistolam laceravi illam, item alteram, tertia quoque in periculo fuit. Domine Jesu, serva illam, me, liberos, et omnes meos. Amen.

XI. *Kal. Sept.* Hodie venit a Rege qui nuntiaret quanta cum voluptate Rex libellum nuper nobis scriptum legisset, quantum probasset, de quo etiam prolixe D. Lichfeldensis Episcopus. Siquid

est boni in eo libro, tibi, Domine Jesu, laus, honos et gratia. Amen.

X. *Kal. Sept.* Hodie meis de rebus cogitans εἰς τὸ μέλλον σὺν τῷ Θεῷ constitui die lunæ proximo Cantabrigiam concedere, ut ibi proximum diem spectaculo urbis et Collegiorum impendam. Die Mercurii in meritoria rheda itineri Londinum versus, Deo volente, me accingam. Londini necessariis rebus de domo et id genus aliis prospicere incipiam. Atque ut possit uxor ipsa domum conducere sibi gratam, constitui eam primum ducere ad domum Remii vel aliam μισθωτήν. Quod si postquam Londinum venero, didicero cessare uxorem, ad D. Savilium profectus Regi obviam procedam. Atque dum Londini ero, de libro meo cum D. Legato agam. Hæc sic hodie proponebam. Deus disponet, qui me, meam, et meos servet ad sui nominis gloriam. Amen.

IX. *Kal. Sept.* Hodie quoque ad uxorem literas dedi, postquam rediissemus a lapidicina Eliensi, quam cum D. Episcopo spectavimus. Θεῷ χάρις, qui me, uxorem, et meos omnes servet, ac nominatim filium natu maximum. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Deus ades mihi τῷ ἁμαρτωλῷ, meæ, et meis. Amen.

VII. *Kal. Sept.* Ὦ σῶτερ τοῦ κόσμου, υἱὲ Θεοῦ, Κύριε Ἰησοῦ, δέομαί σου καὶ εὔχομαι ταπεινῶς, חָנֵּנִי אֱלֹהִים כְּחַסְדֶּךָ כְּרֹב רַחֲמֶיךָ מְחֵה פְשָׁעָי. Serva, Domine, uxorem, liberos et omnes meos in tui nominis timore. Amen.

VI. *Kal. Sept.* In vita Melancthonis, quam scripsit Camerarius, fere diem posui: nisi quod sollicitudo de uxore me valde afficit, cui tu, Domine Jesu, da rectum consilium, da voluntatem et facultatem omnia exsequi pie et sancte, atque illam, bone Deus, cum liberis mihi redde. Amen.

V. *Kal. Sept.* Concio et S. Liturgia de more. Deus mihi, meæ, liberis et meis omnibus pietatem veram inspiret, nos servet ac brevi conjungat. Amen.

IV. *Kal. Sept.* Mane totum studiis et pietati impendimus. A prandio partem magnam circumjacentis agri circa et ultra Eliam in equo lustravi cum reverendissimo Episcopo, neque id sine voluptate, si potest mihi ulla contingere solida voluptas dum carebo uxore, liberis et libris. Te, Deus æterne, veneror, respice nos. Amen.

III. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια ut possumus, in tantis curis, tanta inopia librorum. Sed omnia reddit leviora viri maximi D. Episcopi humanitas, quem, O Deus, serva, et mei miserere, meæ, et meorum omnium. Amen.

*Prid. Kal. Sept.* Magnus hodie nobilitatis Eliensis concursus ad D. Episcopum, qui, ut semper, eos excepit epulis dapsilibus et adjicialibus. Ego desiderio meæ et meorum magis magisque indies τήκομαι. Domine Jesu, πολυέλεε Θεὸς, respice nos, et sanata sunt omnia nostra vulnera. Amen.

*Kal. Sept.* Te veneror, Deus æterne, qui dedisti mensem inchoare, da perficere feliciter et εὐσεβῶς,

da meæ, meisque liberis, ut ante finem mensis, sicut spem aliquam tua bonitas mihi fecit, una simus, una te laudemus, tibi serviamus, per Jesum Christum Filium tuum, qui una cum Patre et Spiritu Sancto regnat in æternum. Amen. Hodie mane dolore stomachi pene sum enectus. O Domine, libera me hoc incommodo.

IV. *Non. Sept.* Mane aliquid in studiis, sed parum: a prandio nihil prorsus: neque tamen pœnitet, nam totum tempus fui cum magno præsule D. Episcopo et amicissimo Tomsone. Interim vero reliquit me servus nequam, et Eliam profectus ibi mansit hac nocte. Cogor igitur mihi ministrare, desertus a nebulone perditissimo. Quanquam non est fortasse propria illi culpa, sed commune vitium famulorum Anglorum, a quibus, si sapiam, quantum fieri poterit, abstinebo. Atque hæc molestia duriorem mihi reddit meæ et meorum absentiam. Tu, Domine Jesu, et me, et meam, ac meos serva, ac, si placet, nos brevi junge. Amen.

III. *Non. Sept.* Domine Jesu, respice me, uxorem, liberos, et omnes meos. Amen. Hodie celebratus est dies festus S. Bartholomæi precibus et orationibus.

*Prid. Non. Sept.* Sacra et concio de more. Me vero ut hesterna tempestas habebat sollicitum de transitu uxoris, si ille χειμὼν durasset, ita serenitas hodierna auget desiderium hinc proficiscendi, si Dominus dabit ut brevi veniat; quod

O da, Deus æterne, et nos serva, atque invicem junge. Amen.

*Non. Sept.* Profectionem in crastinum adornabam, si Deus voluerit, qui me, meam, et meos omnes servet, nobisque benedicat. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Adhuc tenet me captivum, sed aureis vinculis suæ humanitatis, ὁ πάνυ D. Episcopus, a quo ipse quum ægre divellar, in incertam præsertim spem, ignarus de uxore quid sim Londini accepturus; etiam ille me non admodum lubens, ut apparet, dimittit. Sed discedendum tamen σὺν Θεῷ ad summum die crastina. Hanc vero diem magna ex parte egimus sine libris. Domine Jesu, et meam mihi, et liberos ac libros redde, si placet, ad tui nominis gloriam. Amen.

VII. *Eid. Sept.* Quod bene Deus vertat, hodie domum redeo: hoc est Londinum: discedens a viro æternum mihi venerando: cui ἀντὶ φιλοξενίης det Deus μυρία ἀγαθά. Tu quoque fac, Domine Jesu, ut et in itinere εὐοδευθῶ, et ut Londini de uxoris et meorum omnium valetudine prospera et brevi adventu læta audiam. Ναὶ, Κύριε, ἄκουσον, δεόμαί σου. Ἀμήν.

VI. *Eid. Sept.* Hodie Cantabrigiæ substiti, et aliquot invisi collegia quæ prius non videram. Tum autem humanitate detentus doctissimi viri hospitis mei D. Richardsoni ut profectionem in crastinum differrem, passus sum me adduci. Quumque apud D. Cancellarium Academiæ cœnarem, plerosque Professores hujus loci habui

convivas: estque ea cœna inter eruditos sermones transacta. Deum veneror, benedicat Ecclesiæ Anglicanæ, et huic inclytæ Academiæ. Vidi apud eruditissimum Arisonium, Hugonem Victorem in Psalmos, item Dionysium ab Aracel Carthusianum, quos non pœnituit inspexisse, et legere constitui σὺν Θεῷ, qui pro sua inexhausta bonitate benedicat mihi, meæ meisque omnibus. Amen.

v. *Eid. Sept.* Hodie volente Deo iterum nos ad iter accingimus. Venimus igitur Waram Dei beneficio ἀπήμαντοι, qui et uxorem, et meos omnes servet ἀπημάντους. Amen.

iv. *Eid. Sept.* Londinum hodie rediimus ἀπήμαντοι, Deo gratia. Invenimus literas uxoris, quæ de ejus adventu nihil certi nuntiant. Tu, Domine Jesu, eam adduces, et nos his molestiis, quæ gravissimæ sunt, liberabis. Ego hic præterquam pecuniæ, Dei beneficio, cæterarum omnium rerum ἀπορίᾳ afflictor, quam non sum expertus per omnem vitam. Sed gloria Deo immortali, qui dedit facultatem expediendi me ex his angustiis, qui servet utinam et uxorem ac liberos et omnes meos. Amen.

iii. *Eid. Sept.* Post sacra more Anglicano ad Legatum adii, et mox ad scribendas literas me recepi. Scripsi autem Dunaniam, et in Galliam multas epistolas; ad uxorem præsertim, quam, O Domine, serva, et omnes meos. Amen.

*Prid. Eid. Sept.* Hodie Maierni uxorem esse ad

Doveram intellexi: at conjugem meam Lutetiæ hærere. Utinam sensus mearum ærumnarum ad illam perveniat. Sed feramus, quod necesse est ferre. Tu, Deus æterne, illam servabis, et mihi reddes, quando erit voluntas tua. Hodie cepi describere sub vesperam librum ad Frontonem. Domine Jesu, medere meis et meorum malis. Amen.

*Eid. Sept.* Accepi hodie literas ab uxore, quæ spem adventus nullam faciunt, nisi incertam. Ego autem certi aliquid tandem expectabam. Itaque sum vehementissime commotus et testes doloris atque amentiæ meæ literas ad eam anxius animi misi. Deum oro ut meas literas ab amoris impatientia profectas bene ipsa interpretetur, et statim veniat. Sed me commorant verba D. Maierni hesterna, et quod dicebat hodie Magdalenus, uxorem sibi dixisse post mensem se de adventu cogitaturam. Utinam, Domine Jesu, *εἰς ἀγαθὸν κρίνοις τὰ πάντα.* Ego de hoc argumento constitui nunquam vel verbum unum ad uxorem scribere; et semper, de aliis scribens, reditum voluntati ejus permittam. Deus nos omnes servet, et timorem sui nominis doceat. Amen.

XVIII. *Kal. Oct.* Domine Jesu, ades mihi, meæ et meis omnibus. Jam sum sollicitus de uxore, ne literis meis paullo acrioribus offendatur. Sed movit illa me, qui profecto *ἐν κακουχίαις* provocavi ad illam querimoniam, salva amoris nostri integritate, quem Deus ne sirit posse minui. Atque

hodie ad Dominam Killegrew migravi ex ædibus D. Decani Paulini. Deus huic sanctissimæ vitæ matronæ rependat bona, quæ mihi, meisque et fecit et facit, detque mihi, ut, brevi recepta uxore, liberem amicos sollicitudine omni de me. Amen.

XVII. *Kal. Oct.* Domine, miserere mei. Ego æger animi ac corporis ad Regem hodie ejus jussu proficiscor. Te veneror, ut me, meam et meos serves ac nobis benedicas. Amen.

XVI. *Kal. Oct.* Quum apud D. Savilium noctem egissem, nec mature in aulam hesterna die pervenire potuissem, hodie cum D. Episcopo Lichfeldensi Regi venanti obviam processimus in locum, ubi erat pransurus. Vidi ibi Regem, et de multis rebus prolixe egi cum ipso, maxime de hæresi Vorstiana, cui vix par audacia et abominatione alia videtur adhuc nata. Multa pie et dixit et fecit Rex serenissimus hac occasione. Adfui illi et cœnanti, quod omne tempus positum est in vituperatione miraculorum fatuorum, stultorum, quæ Rex legerat, opinor, in nono libro Plessæi. Affirmat Rex Papam vel eo nomine Anti-Christum esse, quod res tam falsas et ridiculas populo Christiano obtrudat pro veris credendas. Impie sane. Sed an sint plane omnia falsa nescio, neque item an universæ Ecclesiæ ea culpa sit imputanda. Sed de his alibi, si Deus volet: qui mei, meæ, et meorum misereatur. Amen.

XV. *Kal. Oct.* Comitati S. Regem ad Oatland, ubi erat Regina, Londinum repetiimus via amœna

confecta in qua vidimus Hamtomcour, nobilissimum Regis palatium, quod denotat Aulam, ad pagum Hamton, deinde Richemond, ubi est Princeps, et aliud cujus nomen non occurrit, omnia ad Tamesin, brevibus intervallis inter se dissita. Dominus Jesus mei, meæ, et meorum misereatur. Amen.

XIV. *Kal. Oct.* Concionem Gallicam pastoris Aurelii hodie audivimus, et ad Dominam Killegrew sumus reversi, et summam illius humanitatem experti. Redde illi, Domine Jesu, quæ mihi peccatori misero præstat beneficia. Vere Ecclesia quædam est hujus nobilissimæ et piissimæ matronæ domus. Da, *Πάτερ ἐπουράνιε*, ut postquam uxor redierit et liberi, possimus hujus pietatem imitari et assiduitatem in legenda S. Scriptura. O respice benignus meam domum, Domine Jesu, et iter uxoris accelera *καὶ εὐόδωσον*. Amen.

XIII. *Kal. Oct.* Mane totum posui in lectione et meditatione *Ψαλμῶν τίνων.* Hanc ego in misera hac vita et præsenti mea solitudine miserrima solam voluptatem, solum gaudium percipio, quod ex librorum sacrorum lectione animo meo oboritur. Gaudium dico, quia etsi non permittit mihi gaudere sollicitudo de uxore et liberis, itemque aliæ molestissimæ curæ; quia tamen animum, uti possum, attollo ad Creatorem et Redemtorem meum, dum in his sum cogitationibus, pia quadam lætitia perfundor et gaudeo, te, Deus æterne, supplex venerans, ut meum, meæ et meorum animos a falsis gaudiis ad verum illud tra-

ducas, quod tui timentibus est proprium. Observo enim in S. Scriptura passim gaudii hujus fieri mentionem, et pios a Deo vel petere illud, vel pro obtento gratias agere. In Ψαλμ. 119, tot locis occurrit vox שָׂשׂוֹן et inde deducta, quæ lætitiam quandam singularem denotant. David post peccatum suum in Ψ. 51, petit a Deo ut sibi restituat שָׂשׂוֹן וְשִׂמְחָה, deinde explicat quale gaudium intelligat sic הָשִׁיבָה לִּי שְׂשׂוֹן יִשְׁעֶךָ. Paulus quoque Apostolus ad Rom. xiv. 17 docet Regnum Dei esse non escam, non potum, sed δικαιοσύνην καὶ εἰρήνην καὶ χαρὰν ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. O bone Deus, gaudium hoc gaudere doce me, doce uxorem meam et liberos. Amen.

XII. *Kal. Oct.* Legebam hodie B. Ambrosium in Psalmos. Ille quidem non totum ψαλτήριον exposuit, sed paucos tantum et præsertim τὸν CXVIIII. Verum ex iis quæ habentur illius, satis potest intelligi quæ fuerit tunc temporis ratio doctorum explicandi S. Scripturam inter Latinos; quum præsertim B. Augustinus, qui paullo post scripsit, non multum sit diversus a ratione Ambrosii. Interpretatio omnis vel est vocum, et quærit sensum ac veram Lectionem, vel est sensus, ut sic dicam, interioris, et doctrinæ verbis comprehensæ. Utrumque genus interpretationis desiderat S. Scriptura, et utrumque fere Patres adhibuerunt. Ambrosius igitur in Psalmos subinde interpretationes expendit Græcas et Latinas. Inter Græcos interpretes Aquilam sæpissime nominat, et ejus ver-

siones profert atque explicat. Sic in primo Ψ. notat χλευαρὰς eum posuisse ἀντὶ τοῦ νῦν, λοιμῶν, et τὸ μεταπεφυτευμένον pro τὸ πεφυτευμένον, et *resonabit* pro eo quod alii *meditabitur*, item *dirigentur*, quod alii *prosperabuntur*. Sic quum legatur in Latina versione, *Non sic impii, non sic*, notat Ambrosius hanc repetitionem ex quorundam sententia non esse auctoris. Nam ipse quidem Hebraica ne aspexit quidem. Quare etiam in fine Ψ. notat in Græco textu esse ὁδὸν δικαίων, et ὁδὸν ἀσεβῶν, sed Latinum interpretem dixisse *viam justorum* et *iter malorum non otiose* ait, et conatur rationem aliquam comminisci. Quod ad sensus interioris interpretationem attinet, quum sit quædam interpretatio literalis, quæ doctrinam elicit τῷ ῥητῷ convenientem, quædam allegorica, analogica etc. observo Ambrosium multum adhærere τῷ ῥητῷ et e singulis aut verbis aut complexionibus verborum doctrinam salutarem elicere. Sic explicat separatim voces *beatus, vir, abiit,* etc., in singulis observat dogma, ut ipse appellat, aliquod. Verbi caussa, quia dixit David *abiit*, non *abit*, annotat ergo colligendum esse *Neminem, dum adhuc vivit, posse dici beatum; posse enim, dum adhuc vivimus, peccare, et amittere beatitudinem; exspectandum igitur finem.* Expendit mox, cur David posuerit beatitudinem non in habitu pietatis, sed in fuga impietatis, et ita deinceps. Passim Ambrosius separat moralia a mysticis, ut versu 3 in ו (VI) et versu 2 in ח (IX). Atque obiter solet digredi ad

explicationem locorum quos e libris diversis S. Scripturæ attulit, ut sub finem Ψ. illa e libro Apocalyp., *Beatus qui habet partem in prima resurrectione;* ubi de duobus generibus resurrectionis ea disserit quæ ego non satis capio. Paullo ante explicans locum Isaiæ ubi ait, *Non confundetur qui in angustia est usque in tempus. Hoc primum bibe,* multis hortatur nos ut bibamus poculum afflictionis, bibamus poculum Veteris et N. T. et divinam scripturam; ubi fuse explicat quid illud sit. Denique familiare est Ambrosio digredi ad tractationem locorum S. Scripturæ satis remotorum, ut in Ψ. 119 passim. Sunt enim homiliæ, quas habemus in illum Ψ. vel inde ad 1 versum ה (v). Observa etiam multa πρὸς φιλολογίαν posse disci ex illo magno viro, ut illo loco ad v. 1, ה (v.) de ratione militari veterum itinera faciendi, et quarto die quiescendi, etc. Hæc obiter hodie annotabam Deum supplex venerans, ut me, meam, et meos sua cura dignetur.

NB. Ut gaudium et tristitia concurrunt pio diversa ratione, ita Regnum Christi aliquando dicitur jugum suave et leve, aliquando describitur admodum turbulentum, ut in Ψ. 2. Et sæpe in Evangelio ejusmodi ἐναντιοφανῆ.

Ψ. 5. in יַעְלְצוּ בְךָ gaudio exultent sperantes in te.

NB. Hujus gaudii caussa est aliquando afflictio pro Christo. Paul. Cor. vii. 4. ὑπερπερισσεύομαι τῇ χαρᾷ ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν. Mira vox. Caussa efficacissima indicatur Ψ. xix. 9. Statuta Dei מְשַׂמְּחֵי לֵב.

Nota caussam περιχαρείας apud Chrysostomum I. p. 1.

Vide Bell. ad Ψ. 85 sive 86, versu 3. et 4. et 10. ubi varia γραφή.

Vide præf. Ambrosii in Ψαλ. Illud de Magis Matth. ii. 10. ἐχάρησαν χαρὰν μεγαλὴν σφόδρα. Sic Luc. ii. 10. Totum Canticum Canticorum, et quæ Ambrosius in præf. Ψ. 119.

Notat tamen S. Scriptura etiam στεναγμοὺς piorum, ut Rom. viii. 23, et in hoc psalmo, versu 135. *effuderunt,* ait, *oculi mei* διεξόδους ὑδάτων *quod non servant legem tuam.* Aliter Heb. Prov. xxviii. 14. Beatus semper pavidus: et Matth. v. 2. μακάριοι οἱ πενθοῦντες.

XI. *Kal. Oct.* Quæ possum negotiis et gemitibus suffurari tempora ea impendo lectioni psalmorum, et tantisper acquiesco ex omnibus ærumnis. O admirabile ἰατρεῖον! Hic sunt medicinæ adversus omnia morborum animi genera. Hodie illud meditabar e Ψ. CXIX. in ו. וְאֶעֱנֶה חֹרְפִי דָבָר כִּי־בָטַחְתִּי בִּדְבָרֶךָ 'Αποκρινοῦμαι, ait, τοῖς ὄνειδος ἐμοὶ προφέρουσιν, ὅτι πέποιθα ἐπὶ τοῖς σοῖς λόγοις. O Domine, ego quoque, miserrimus peccator, habeo meos חֹרְפִי. Tu da posse illis hoc responsum dare vere. Serva, Deus æterne, uxorem mihi, me illi, utrumque liberis, liberos nobis. Amen. Mane ad domum ivi quam nuper conduxi. A prandio literas ad uxorem scripsi, et serio cum ea expostulavi de hac diuturniore mora. Scripsi commotior, et nonnihil iratus. Sed te, Deus æterne, veneror, componas animos nostros ad voluntatem tuam: serves me hic, meam, et meos omnes, ubicunque fuerint. Tibi, Deus immortalis, honos et gloria. Amen.

X. *Kal. Oct.* Hodie venit supellex quam misit uxor; venerunt et chartæ et literæ a sorore. Non tam lætatus fui acceptione chartarum, quam

ingemui recordatione librorum, qui hærent Lutetiæ. Tu, Domine Jesu, serva uxorem, illam adduce et liberos, ac nostra omnia mala sana pro tua inexhausta bonitate. Amen.

IX. *Kal. Oct.* O vitam ærumnosam! Librum ne aspicio quidem dudum. Et hodie jussus sum ad Regem cras ire. Tu, Deus æterne, me rege, et gressus meos dirige, ac me, meam, ac meos serva. Amen.

VIII. *Kal. Oct.* Proficiscor ad Regem jussus. Benedic itineri, Domine, et uxorem mihi redde et liberos ac libros. Amen.

Tædium vitæ aulicæ.

VII. *Kal. Oct.* Diem Κυριακὴν egi apud Regem, et partem etiam cum Rege, quem, O Domine, serva, et veritate tua magis magisque in dies illustra. Serva etiam uxorem, et liberos, καὶ ἔστω αὐτοῖς ἡγεμὼν τῆς ὁδοῦ. Amen.

VI. *Kal. Oct.* Londinum hodie redii defessus et pene satur vitæ, talis quidem. Nam quæ mea est sine libris vita? Et sic redii ut brevi sit redeundum, nisi Rex optimus sententiam mutet. Sed hoc Θεῷ μελήσει, qui, pro sua infinita bonitate, uxorem et liberos servet, adducat. Amen. Famulum habui Jacobum Anglum, quem putavi esse ignavum illum quidem, sed fidelem. Is mihi furto abstulit quinque aureos Arabicos, e decem, quos dudum servabam, et præterea sex aut septem aureos, quos illi in antecessum numeraveram. Hæc mihi nota. Alia fortasse abstulit majora

et plura. Poterat enim omnia, quæ habui, quæque nuper e Gallia accepi, in potestate habens. Deus misereatur illius, et mei, atque meæ, et omnium.

v. *Kal. Oct.* Hodie libellum nuper scriptum jussu Regis tradidi excudendum. Tu, Domine Jesu, benedic ei opellæ, et studia mea ad tui nominis gloriam promovendam dirige. Ego interim de uxore nihil audio. Πάντως ἀδικεῖς ἐμὲ, ὦ φιλτάτη. Domine, serva, et adduc illam et liberos, nosque omnes finge tibi gratos. Amen.

Aujourdui ai retenu Vagnier a mon service, et promis jusques a la venue de ma femme se nourissant 10*s.* par jour.

iv. *Kal. Oct.* Langueo, deficio, et cupio deficere, si mihi diutius in hoc statu manendum. Deus æterne, omnis mea spes et consolatio in tua bonitate. O redde mihi, qui solus potes, uxorem καὶ τέκνα ἀπήμαντα. Amen. Hodie constitui, volente Deo, mutare sententiam de locanda in urbe domo: tanta est difficultas, tanta charitas.

iii. *Kal. Oct.* Quod felix et faustum Deus immortalis esse velit, hodiedomum Londini conduxi, et in eam rem usus sum fideli opera duorum ministrorum D. Capelli et D. Aurelii. Domus ipsa sic satis placet: pretium quoque non immodicum. Superest ut tu, Domine Jesu, uxorem adducas et liberos, desque nobis tibi in ea domo inservire sincero animo et vera pietate. O respice, Deus æterne, hanc domum, et nos misere dispersos tamdiu, tandem junge. Amen.

*Prid. Kal. Oct.* En miserias vitæ meæ! Uxor necdum venit: ego de illa nihil intelligo. Interim jactor miser et animo et corpore. Nunc igitur ad Regem jussus proficiscor, reversurus, cum Deo, cum Regi placuerit. O da mihi, Πάτερ ἐπουράνιε, apud Regem pium nihil dicere, nihil facere, nihil tota vita cogitare, quod non voluntati tuæ congruat. Fac etiam, si placet, ut reversus de uxore læta intelligam, utque ego, illa, et liberi omnes vitam instituamus in dies magis magisque ex Lege tua. Amen.

*Kal. Oct.* Ex aula hodie redii, præter spem meam, qui verebar diutius fore mihi apud Regem manendum; at non præter votum, qui invitus a studiis discedam. Reversus audivi, sed parum certo rumore, uxorem brevi adventuram. Quam tu, Domine Jesu, serva; dux illi esto itineris, et sive terra, sive mari, libera ipsam et omnes liberos ab omni malo. Ναὶ δέομαί σου, Κύριε ὦ σῶτερ. Amen.

VI. *Non. Oct.* Τὴν Κυριακὴν orsus ab auditione concionis Gallicæ Vacandalum cursorem, qui e Gallia recens venit, conveni et de uxore sciscitatus sum, si quid sciret. Hoc unum ab illo didici, quod lætarer, ipsam profectionem in Angliam omni diligentia accelerare. Cætera magna me sollicitudine afficiunt; filiolam unam e meis laborare variolis, quas vocant, uxorem insomnia laborasse et affecta valetudine fuisse, de profectione nihil adhuc habere constitutum. Deus bone,

quo recidunt spes mihi? Habeo cur mœream, et angar. Quia tamen, O Deus immortalis, scio certo καὶ πάντως πεπληροφόρημαι te Patrem meum esse, et meorum, neque eventurum quicquam, nisi quod tua divina providentia decreverit, me, meam, et meos, bone Deus, tibi permitto, teque oro supplex, ut nos regas, nos serves, illam et illos ducas, atque perducas, faciasque ut a te uno pendeamus. Amen.

V. *Non. Oct.* Hodie literas accepi a meis. Uxor itineri se accinctam significat, remorari nonnihil, quod Maria et Paulus leniter ægrotent. Tu, Domine Jesu, in quo spes omnes meæ sunt sitæ, subleva uxoris measque ærumnas: sana ægrotos: serva illi bonam valetudinem, ut te colamus una, tibi serviamus, tibi gratias agamus ἀδιαλείπτως. Amen. O Domine Jesu, ades meæ et meis ὁδεύουσι.

IV. *Non. Oct.* O ærumnas exspectantium! Deus æterne, serva me, uxorem, ac liberos, atque universam domum. Amen. O Domine Jesu, serva, et adduce meam, et meos.

III. *Non. Oct.* De uxore hodie intellexi rumore incerto eam adhuc differre profectionem ob morbum filiæ. Deficio, O Deus æterne, hac longa expectatione. Tu, bone Jesu, meam et meos serva, atque adduce pro tua bonitate. Amen.

*Prid. Non. Oct.* Semperne ego querar de absentia uxoris? Uti video, illa, quando potuit et debuit, venire noluit, nunc cum vult, non potest.

Quam vereor ne ipsam detineat morbus aut liberorum, aut ipsius? Te supplex veneror, Deus æterne, miserere mei, miserere meæ, miserere meorum. Vide afflictam domum jamdudum, vide ærumnas meas, et quia bonus es, subleva dolorem meum. Equidem animum despondeo, planeque et corpore et animo langueo. Et fateor, Deus immortalis, propter mea, et meæ, ac meorum peccata, hæc mala mihi evenire, ut uxore, liberis ac libris caream miser. Sed speramus tamen in te, Domine, et semper sperabimus. Tu Creator, tu Servator noster es. Tu nos redime ab his molestiis: da uxori facultatem itineris perficiendi, et salvam cum toto comitatu ad salvum perduce, ut tandem conjuncti te colamus, tibi serviamus, te adoremus puro et sincero affectu. O exaudi, Pater cælestis, meas humiles preces per Jesum Christum Filium unicum tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto sine principio sine fine regnat, regnabit. Amen.

*Non. Oct.* Deus, miserere mei, miserere servi tui etsi indigni gratia tua. Uxor non venit, nec quid agat scio. Careo uxore, careo liberis, careo libris. Tædet me istius infelicis et adeo ærumnosæ vitæ. Deus misericors, miserere mei et meorum. Amen.

VIII. *Eid. Oct.* Hic dies meæ miseriæ et calamitatis me admonet. Hoc enim die vertens annus incipit ex quo a meis Lutetia discessi. Et ne nunc quidem certum quicquam habeo, quando meam, aut meos, sive liberos, sive libros videbo.

Non possum de his rebus sine lacrymis cogitare. Deus servet personas. De studiis quidem actum est meis, nisi tua, Christe Jesu, succurrat ἄφατος benignitas. Te supplex oro, et γονυπετήσας adoro, liberes me ex his angustiis, quarum caussæ omnes tibi sunt notæ. Da meis et animum et facultatem accurrendi quamprimum. Imo da mihi, Deus immortalis, et meis velle, quod vis, et patienter exspectare voluntatem tuam. Scio et plane πέποιθα finem te brevi meis hisce ærumnis impositurum. Amen. Hæc scripseram, cum accepi nuntium uxorem esse in itinere. Ipsa tamen id non scribit, sed spem facit aliarum literarum, quibus id significabit. Utinam veniat ipsa, non scribat. Ades illi, Deus æterne. Amen.

VII. *Eid. Oct.* Domine, spem habeo in tua bonitate, quæ me erexit in spem adventus uxoris meæ et meorum. O ades, Domine, et sive terra iter facit, sive navigat, protege illam et illos. Amen.

VI. *Eid. Oct.*. Domine, doce me, meam et meos vera gaudia, et eorum fontem qui extra pietatem nullus est. Deduc, oro te supplex, uxorem, et nobis benedice. Amen.

V. *Eid. Oct.* Exspecto misericordiam tuam, Deus æterne. O miserere mei, meæ, et omnium meorum. Amen.

IV. *Eid. Oct.* Hui longam expectationem! Nam ex quo uxor est in itinere, ut quidem mihi affirmatum est, quam multi jam dies fluxerunt? Sed fiat, Deus æterne, voluntas tua. Amen.

III. *Eid. Oct.* Plane ita est. Uxor itineri ante quindecim dies accincta Diepæ ventum secundum præstolatur. Id vero in tua unius potestate situm est, O Deus æterne atque immortalis. Te supplex veneror, et tuum Numen tremendum adoro, exaudias vota nostra, et uxorem cum toto comitatu salvam adducas. Ναὶ ἐλέαιρε, Κύριε παντοδύναμε. Amen.

*Prid. Eid. Oct.* Hic dies quam lætus mihi meisque illuxerit, nescio: molestissimus certe fuit ob hanc caussam. Conduxi domum in urbe sic satis commodam, etsi parvam. Hodie cum eo qui locavit omne negotium perfeci. Allata sunt instrumenta in eam rem facta, prolixa et vægrandia et plurima. Miratus sum δικορραφίαν. Tum autem pro scriptura exacti sunt schelini quadraginta quod dedit me in stuporem. Transactum pro triginta schelinis sive aureis gallinis quinque, quum ægre in Gallia unum fuerim daturus. Sed bene vertat Dominus Jesus. Satis bene rem gessimus, si cum ejus favore domum illam simus ego, uxor et liberi ingressuri: quod da, Πάτερ ἐπουράνιε. Amen.

*Eid. Oct.* Me vero, Deus æterne, verba deficiunt cupientem tibi gratias agere pro hodierno beneficio. Venit enim, venit tandem ἡ φιλτάτη uxor mea, tibi, bone Jesu, quod res videtur arguere, chara et tuis beneficiis onusta. Tu terra, tu mari, illam servasti, tu illam salvam ad salvum perduxisti cum liberis et parte magna librorum. Quid dicam? quid faciam, bone Jesu, ut meam

erga divinam Majestatem οὐκ ἀχαριστίαν faciam testatam? Quod solum tentare possum, id faciam pro virili. Tuas laudes canam, te prædicabo, te colam, et tuum cultum pietatemque meos docebo. Deus immortalis, miserere mei, miserere meæ, miserere meorum. Omnia jam urgent me, ut in tuas laudes et gratiarum actiones effundar. Sit sacrosanctæ Trinitati laus, honos et gloria καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

XVII. *Kal. Nov.* Hodie ego atque uxor, una cum familiæ parte, sacræ Domini cœnæ in Ecclesia Gallicana communicavimus. Incitabat nos beneficium recens, adventus uxoris, ut Deo in piorum conventu gratias ageremus. Scis tu quidem, Christe Jesu, quæ meæ sint circa id sanctissimum negotium hæsitationes, et quam magis probetur mihi forma Anglicana. Sed pia ratione ductus sum, ne abstinerem penitus a communione cum Ecclesia illa. Videbam enim id esse infirmioribus scandalo, a quo præbendo me Deus servet. Certe hoc videor posse dicere confidenter, aut tota vetus Ecclesia beneficium illud et mysterium male expressit, aut nostri multum in ea parte peccant. Oro supplex majestatem tuam, Deus æterne, medearis Ecclesiæ tuæ malis, et eos scrupulis liberes, qui tibi pura mente servire cupiunt. Serva et domum meam totam, Deus immortalis. Amen.

XVI. *Kal. Nov.* Quod velit esse felix Dominus Jesus, hodie ego et uxor ab ædibus Dominæ Kiligrew ad domum conductam nobis transiimus.

Fac, Deus æterne, ut hic et ubicunque erimus, tibi inservire, te colere, et sincere adorare optemus, et revera id præstemus. Amen.

xv. *Kal. Nov.* Benedic, Christe Jesu, huic domui, et uxorem ἀρρωστοῦσαν sana. Amen.

xiv. *Kal. Nov.* Deus, benedic mihi, meæ, et meis. Amen.

xiii. *Kal. Nov.* Video non esse unicum in manu Dei flagellum, quando suos vult admonere officii. Te veneror, Deus æterne, et hanc domum tibi supplex commendo.

xii. *Kal. Nov.* En ut ærumnæ ærumnis succedunt. Advenerunt libri mei, et quatuor aut quinque dies hærent in portu. Monstra hominum publicani Angli negotium facessunt. Itaque crucior animi, quod relicta dulcissima patria ad has Charybdes devenerim. Nihil Episcopus Eliensis, nihildum Archiepiscopus profuerunt. Malæ bestiæ. Quis nos furor agitat? Sed ἐπέχω, et te, Deus æterne, supplex oro, ut mei, meæ, et meorum miserearis. Amen.

xi. *Kal. Nov.* Hodie libros et suppellectilem recepi, adjutus favore et benevolentia D. Archiepiscopi. Tibi, Domine Jesu, tibi ago gratias quantas possum maximas. O serva hanc domum ad nominis tui gloriam. Amen.

x. *Kal. Nov.* Ad sacram synaxim Ecclesiæ Anglicanæ conveni, et Deum oravi ut huic formæ benediceret. Oro etiam te et supplex precor, Deus æterne, reddas uxori valetudinem bonam, et nos omnes serves. Amen.

IX. *Kal. Nov.* Deum immortalem, quam ego te offendi, qui ita manum tuam super me, meam, ac meos aggraves? Laborat enim uxor magnis doloribus, quos, O Domine, sana, qui solus es verus *ὑγιείας δοτήρ.* Amen.

VIII. *Kal. Nov.* Domine Deus, respice me ac meos, et miserere nostri. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Libros dudum nullos video. Miserere mei, meæ, et meorum, Deus æterne. Amen.

VI. *Kal. Nov.* In literis scribendis et apparando itinere totus fui hodie, et, quum ex adventu Merici lætarer, mox cur dolerem, habui. Sic est vita humana. Da, Domine Jesu, in his exercitiis assiduis proficere. Amen.

V. *Kal. Nov.* Roistonum ad Regem hodie proficiscor. Tu, Deus immortalis, dirige vias meas, dirige linguam, et cor tibi gratum finge. Serva proficiscentem: serva manentes, et omnibus meis benedice. Amen.

IV. *Kal. Nov.* Quum Waræ noctem egissemus, mane Roistonum ivimus. Regem vidimus, allocuti sumus, et de libro a nobis edito valde magnifice loquentem audivimus. Sed nos illa non tangunt, qui si quid boni scripsimus Deus fecit, si peccavimus, et multa quotidie peccamus, peccatum nostrum est, cui tu, Deus, ignosce, et nos tuere. Amen.

III. *Kal. Nov.* Κυριακὴν apud Regem et cum Rege egimus, cui et nobis, tu, Domine, benedice. Amen.

*Prid. Kal. Nov.* Cum Rege de negotio egimus, cujus caussa ego et vir magnus D. Eliensis fueramus acciti, et Deo gratias ago, qui Regem optimum servet, et magnum Episcopum, et me, ac meos. Amen.

*Kal. Nov.* Hodie Regi valediximus, et Waram rediimus. Θεῷ χάρις.

IV. *Non. Nov.* Domum hodie redii ἀπήμαντος πρὸς ἀπήμαντον uxorem et totam domum. Deo Opt. Max. laus, honos et gloria. Amen.

III. *Non. Nov.* Vidi epistolam a Jacobo Rege scriptam ad Ordines contra Vorstium, Arminium, Bertium plenam ingentis vehementiæ. Arminium vocat inimicum Dei, et hunc et Bertium hæreticos perditos. Laudo maximi Regis zelum pro religione. Scimus tamen viros graves et apprime doctos de Bertio non ita plane sentire, neque de Arminio. Τὸ δ' εὖ νικάτω. Tu, Deus æterne, libera meam mentem ab omni opinione prava, et da sentire, da loqui mihi, meæ, et meis quæ tibi sint grata. Amen.

*Prid.* Deus æterne, benedic mihi, meæ ac meis. Amen.

*Non. Nov.* Domine Jesu, Servator unice, serva me, ac meos, et mea, ac meorum peccata tege. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* Ad sacram synaxim ego, uxor, liberi hodie profecti. Deo gratias egimus, qui hæc nobis otia faciat, et hæc dona largiatur. Illi honos, laus et gloria. Amen.

VII. *Eid. Nov.* Literas hodie scripsimus. Aliud nihil. Θεῷ χάρις, qui me, meam, et meos servet. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Christe σῶτερ, ades mihi, et in iis quæ meditor, da grata tibi meditari et scribere. Velis etiam domum hanc servare. Amen.

V. *Eid. Nov.* Quod Deus bene vertat, minutam et paucarum chartarum opellam a Rege imperatam hodie inchoavi: si tamen inchoavi. Da, Πάτερ ἐπουράνιε, ea scribere, quæ tibi sint futura grata. Amen.

IV. *Eid. Nov.* Etiam hodie in scribendis literis fuimus occupati. In penso aliquid fecimus. Deo sit laus, et gloria, qui nos omnes servet κατὰ ψυχὴν, καὶ κατὰ σῶμα. Amen.

III. *Eid. Nov.* Hodie apud Regem fui. Totum tempus perdidi. Deus huic domo benedicat. Amen.

*Prid. Eid. Nov.* In penso aliquid hodie. Θεῷ χάρις, qui me, uxorem, filium Johannem, et cæteros liberos servet. Amen.

*Eid. Nov.* Τὴν κυριακὴν partim apud Regem partim in museo egi. Domine Jesu, ades mihi, si unquam, et mentem meam dirige. Amen.

XVIII. *Kal. Dec.* Apud D. Eliensem fui hodie, et de penso cum eo communicavi. Deus incepto benedicat ad sui nominis gloriam et nostram omnium salutem. Amen.

XVII. *Kal. Dec.* Apud Regem fui hodie. Domine Jesu, serva regnum et hoc et Gallicum et in his me ac meos. Amen.

XVI. *Kal. Dec.* Hodie adfuimus sepulturæ viri pii et reverendi D. Fontani. Deus det fideles Ecclesiæ suæ pastores, et me, meam, filium natu maximum et omnes meos servet. Amen.

XV. *Kal. Dec.* A Vorstio hodie literas accepi; sed et ab Heinsio, et Theodoro Cantero, cujus exilium et ingens calamitas varietatis rerum humanarum me non sinit oblivisci. Te, Deus æterne, oro, serves me, meam, ac meos in tui nominis timore. Amen.

XIV. *Kal. Dec.* Domine Jesu, respice hanc domum, et nobis ades, ut tibi pura mente serviamus omnes. Amen.

XIII. *Kal. Dec.* Opellam absolvi, quum per superiores dies fuissem occupatus. Deus studiis meis, et uxori, et Johanni filio et toti domui benedicat. Amen.

XII. *Kal. Dec.* Κυριακὴν ἐν οἴκῳ Κυρίου Dei gratia primum posuimus: deinde apud Regem fuimus, et alia curavimus. Deus, miserere. Amen.

XI. *Kal. Dec.* Hodie a D. Wintoniensi accepi munus quod illi placuit mihi immerenti mittere. Postea nescio quid molestiarum expertus sum, dum iter paro in crastinum; Domine Jesu, defessus sum vivendo, et jam tædet me inutilis vitæ. Priora mea studia perierunt: hæc in quibus versor novitium pudent. Undique angustiæ. Sed tua sola me recreat bonitas, Christe, qui vocas ad te τοὺς πεφορτισμένους. O respice, bone Jesu, hanc domum, serva parentes liberis, libe-

ros parentibus ad tui nominis gloriam. Amen. Amen.

x. *Kal. Dec.* Regem heri profectum urbe hodie sequor, te volente, Christe Jesu, et faciente, qui, O benigne Pater, da semper in te sperare, te pura mente colere, et in vera pietate me, meam, ac meos omnes serva. Amen.

ix. *Kal. Dec.* Etiam hunc diem in palatio Theobaldino egimus, impediente Legato Sabaudiæ ne Rex discederet. Deus Regem, regnum, et omnes bonos fortunet. Θεῷ χάρις. Amen.

viii. *Kal. Dec.* Roistonum hodie cum reverendissimo Episcopo Eliensi sum profectus. Deus mihi, meæ, et meis benedicat. Amen.

vii. *Kal. Dec.* Totum diem Rex optimus nobis tribuit, fuimusque ego et D. Episcopus Eliensis a prandio et ante prandium cum ejus Majestate plurimas horas. Ita negotium transactum, cujus caussa veneramus: ac statim itineri nos accinximus. Θεῷ χάρις.

vi. *Kal. Dec.* Deo immortali honos, laus et gloria, quod ad τὴν φιλτάτην et universam domum me reduxerit ἀπήμαντον πρὸς ἀπημάντους. Christe Jesu, serva nos et nobis benedice. Amen.

v. *Kal. Dec.* Κυριακὴν varie egimus. Deus benedicat huic domui, et nos omnes sui timorem doceat. Amen.

iv. *Kal. Dec.* Frustra hodie ad D. Archiepiscopum sum profectus. Reliquum tempus in studiis posui. Deus benedic huic familiæ. Amen.

III. *Kal. Dec.* In descriptione nuperæ opellæ operam posuimus. Domine Jesu, benedic studiis et domui universæ huic. Amen.

*Prid. Kal. Dec.* Ecce mensis est exactus, et tua benignitas finem videre nobis dedit. O da, Jesu bone, quod superest vitæ tibi impendere, te colere et puro animo adorare. Amen.

*Kal. Dec.* Hic ultimus mensis anni: quem, O Domine, da lætis exigere mihi, meæ, et meis omnibus, lætis, inquam, id est in tui timore lætantibus, et tuam legem assidue meditantibus. Amen.

IV. *Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια in hoc incerto meorum studiorum. Deus, miserere nostri. Amen.

III. *Non. Dec.* Domi turbellæ multæ, dum in magna copia famulorum nemo fungitur officio, neque, ut par erat, uxorem sublevat. Atque hæc imperitia linguæ Anglicanæ multum nos vexat præter alia incommoda hujusce regionis. Sed, O bone Deus, tua fiat in me, mea, et meis sancta voluntas. Amen.

*Prid. Non. Dec.* Uxor morbo pedis detenta est domi jam per plures dies. Ego ad synaxim Anglicam ivi cum Merico; reliqui liberi ad Gallicam. Utinam benedicere tua infinita bonitate, Deus æterne, huic domui velis. Non hoc quidem nos meremur, non ego, non mea, aut mei. Sed nos in tua bonitate sola speramus, et te unum oramus, unum adoramus. Nominatim te rogamus ego, atque uxor, Christe Jesu, ut filium natu maximum, qui magnæ nobis molestiæ est, cor-

rigas, et ab amore vitii ad virtutis pietatisque studia traducas. O ades mihi, meæ, meisque omnibus, Domine Jesu. Amen.

*Non. Dec.* Magnam diei partem cum D. Eliensi egi, et D. Legato, non mediocri cupiditate literas expectans e Gallia de nuperi libelli acceptione. Tu, Domine Jesu, velis pro tua bonitate, omnia εἰς ἀγαθὸν κρίνειν, et mihi, meæ meisque benedicere. Amen.

VIII. *Eid. Dec.* Domo non exiimus. Museum tamen vix sumus ingressi, levi morbo impediti. Dominus mei, meæ et meorum misereatur. Amen.

VII. *Eid. Dec.* Ne hoc quidem die multum libros versavimus, mira aviditate literas expectantes a Gallia de rebus meis post acceptum librum hic nuper editum,

Nempe Epistolam ad Frontonem.

Domine Jesu, benedic mihi, meæ, et meis. Amen.

VI. *Eid. Dec.* Aliquid egimus, sed non multum, et torquent me non pauca, quæ Deo Opt. Max. permitto, et meipsum, et uxorem, ac liberos. Tu, Domine, miserere. Amen.

V. *Eid. Dec.* Hodie literas accepi de nupero libello ab amicis Parisiensibus, etiam a D. Thuano, et Villaregio, utroque viro maximo. Deus benedicere nostris conatibus et familiæ dignetur. Amen.

IV. *Eid. Dec.* S. Cœnæ Domini hodie participavi, et quidem in Ecclesia Gallica. Nam in Anglica lingua parum adhuc profeci, ac ne cogitare quidem potui de eo studio. Uxorem domi

detinuit morbus pedis, quo, bone Deus, illam libera. Reverso domum imposita est necessitas eundi ad Regem Roistonum, cui itineri et universæ vitæ, bone Jesu, dignare benedicere. Serva euntem, et redeuntem. Serva uxorem, et liberos cum tota domo, ac familia. Amen.

III. *Eid. Dec.* Jussus ad Regem hodie proficiscor. Tu, Domine, itineri velis benedicere. Studia quidem mea dudum perierunt. O mutata tempora! Sed, Deus immortalis, miserere mei, et meorum. Serva liberis nostris parentem utrumque, serva parentibus liberos, ea tamen lege, ut et parentes et liberi sincero corde te colant, tibi serviant, tibi uni placere studeant. Fac, Deus æterne, ut in lege tua omnis nostra sit voluptas, omnis consolatio, a te incipiant omnes nostræ actiones, in te desinant. Tibi sit honos, laus et gloria. Amen.

*Prid. Eid. Dec.* Roistonum hodie perveni cum Domino Eliensi, viro magno, et cujus humanitati ipse plurimum debeo. Reddat illi Deus suam erga me φιλανθρωπίαν. Qui etiam servet uxorem, liberos, et omnes meos mecum. Amen.

*Eid. Dec.* Hodie perfecimus cum serenissimo Rege quod heri non potueramus. Deum veneror supplex, servet optimum Regem, et illo utatur ad suam gloriam promovendam. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Hodie reversus domum ex itinere ad Regem, uxorem reperi neque optime neque pessime valentem. Tibi, Domine Jesu, et

uxorem, et me, et liberos omnes commendo supplex. O benedic nobis, Christe Jesu. Amen.

XVIII. *Kal. Jan.* Aliquid hodie, sed oppido parum. Domine Jesu, respice me, meam, ac meos. Amen.

Misi hodie ad Regem librum, in quo erant Opuscula Dudithii etc. edita a Reulero 1610, item discursus epistolares politico-theologici.

XVII. *Kal. Jan.* Hodie quoque aut parum, aut nihil. Dominus respicere dignetur me, meam, et meos. Amen.

XVI. *Kal. Jan.* Synaxi Gallicæ interfuimus ego, uxor, et tota fere domus. Tum ad D. Eliensem adii, ob literas D. Bathoniensis, qui etiam ad me scripsit Regis jussu repetens chartas quas nuper retuleramus. Dominus nostri misereatur. Amen.

XV. *Kal. Jan.* Apud D. Archiepiscopum hodie fui, et cur Deum orarem, ut illum servet Ecclesiæ suæ, caussam habui. Tu, Domine, nos tuo præsidio protege. Amen.

XIV. *Kal. Jan.* Apud Decanum Paulinum hodie fui cum uxore. Deus nobis benedicat et nostris. Amen.

XIII. *Kal. Jan.* Hodie literas ex Aula accepi: nondum, ut video, finis erit tam levis opellæ. Ego hæc non capio. Te veneror supplex, Deus æterne, benedicas huic domui. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Periit tempus in descriptione epistolæ, quæ longum tempus me occupavit sine culpa mea. Deus mihi, meæ et meis benedicat. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Aliquid hodie in variis studiis, sed tenuitati meæ, Deus, benedice et meis omnibus.

X. *Kal. Jan.* Aliquid, sed minimum hodie. Deo sit laus, honos et gloria. Amen.

IX. *Kal. Jan.* Κυριακὴν domi egi propter vehementem distillationem. Uxor et tota domus Gallicæ concioni pro more interfuerunt. Deus istis pietatis exercitiis benedicat, et nos illustret luce veritatis suæ. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Literas hodie ab amicis Parisiensibus varias accepi, quæ novas ærumnas mihi afferunt. Sed feremus et perferemus omnia, modo tua nobis adsit dextera, Domine Jesu. Amen.

VII. *Kal. Jan.* Cum amicis pastoribus hujus Ecclesiæ in Anglia congregatæ diem fere totum posui. Deus mihi, meæ et meis peccata nostra condonet. Amen.

VI. V. *Kal. Jan.* In cubiculo uxoris morbus me tenuit, et negotia alia procul libris. Deus, miserere mei, uxoris, Johannis filii et omnium liberorum. Amen.

IV. *Kal. Jan.* Etiam hodie inter libros non fui, sed inter amicos, qui me inviserunt. Dominus nos omnes et nostros servet. Hodie Epistola Regis jussu scripta ad Cardinalem Perronium est missa. Faxit Deus, ut ad gloriam ipsius promovendam id aliquid conducat. Amen.

III. *Kal. Jan.* In cubiculo uxoris morbus me

tenuit etiam hodie, ubi quædam legi, plura scripsi ad amicos in Galliam, maxime Thuanum. Deus benedic familiæ huic, et me, meam, ac meos serva. Amen.

*Prid. Kal. Jan.* Etiam hunc diem in cubiculo uxoris egi propter valetudinem, et otium meum lectioni piorum scriptorum impendi. Atque ita ad finem anni hujus, Deus immortalis, est perventum. Cujus anni spatium animo revolvens, et tacitus apud me reputans, non possum non exclamare, O tuam, Deus benignissime, infinitam erga me benignitatem! Stupet animus tantæ felicitatis non capax. Initio anni separatus eram ab uxore et liberis: tu mox uxorem et liberorum partem adduxisti. Erant res nostræ in Gallia incompositæ et præsentiam uxoris requirebant. Fuit igitur ἡ φιλτάτη in patria, et a me ipsos abfuit sex menses. Interim morbo ipse hic, illa Lutetiæ sumus tentati. Sparsus etiam est rumor, Reginam Galliæ nolle uxori redeundi huc concedere potestatem, rumor non plane vanus. Nam ipsa Regina diserte dixit semel uxori. Mire igitur utriusque nostrum animi sunt perturbati, quum neque ego honeste possem redire in Gallias tam cito serenissimo Rege optimo relicto, neque uxor ad me posset accedere, si animum Regina offirmaret. Multum ea περιπέτεια me torsit, quæ etiam τὴν φιλτάτην non mediocriter afflixit. Sit nomen Domini benedictum, qui non solum preces nostras exaudivit, sed etiam vota ipsa prope-

modum superavit. Rediit ad maritum ἡ θεόσδοτος uxor, venere liberi præter unum omnes, librorum etiam qui vetabantur afferri, pars non pœnitenda est allata. Omnia itineris tam longi pericula, omnia terræ, omnia maris sunt felicissime superata. Quid multa? valemus ego, uxor, liberi, et alta hic fruimur animi et corporis quiete. Christe Jesu, quanta hæc tua est erga nos bonitas! Quanta indulgentia! Nam ego, uxor, liberi, peccatores miseri sumus, oculos in cælum attollere indigni sumus: ira tua atque indignatione dignissimi sumus. Sed tua nimirum, Deus clementissime, bonitas inexhausta et infinita vitia nostra et peccata licet ψαμμακοσιογάργαρα superavit et vicit. Tegis igitur, Pater optime, culpas nostras et παραβάσεις non imputas. Gratias tibi, παναγία ἐν μονάδι Τριάς. O da nobis, Deus sancte, beneficiis tuis bene utendo, iram non provocemus. Da mihi misero peccatori, ut ad regendam hanc domum nihil spectem aliud, nisi ut fiat voluntas tua per me et meos. Da uxori et mihi, ut tota voluntate, tota animi mente, tuæ, Πάτερ ἐπουράνιε, providentiæ nos permittamus, curas et sollicitudines nostras a nobis in te devolvamus et dictis factisque nominis tui timorem præferamus. Da liberis nostris, ut in pietate vera educati, pie semper vitam instituant, et cum accesserit ætas, non inutiles ad gloriam tuam vivant. Filium, qui in Galliis est, Pater cælestis, respice benigno oculo, et in rectam viam illum siste, ac ab idolo-

latria purum conserva, nobisque omnibus largire, ut in tantis de rebus ad religionem spectantibus controversiis non subtiliter disputare, sed tibi vivere, hoc est, pie et sancte, discamus. Sororem etiam et alios cognatos serva, bone Deus. O exaudi mea supplicis vota, Deus æterne, et nos omnes tuis beneficiis dignos præsta, qui sumus natura nostra indignissimi. Exaudi, ὦ θεάνθρωπε Jesu Christe, et pretioso tuo sanguine peccata nostra dele. Amen. Amen. Amen.

### Annus Domini CIↃ DC XII.

Bene habet. Orditur hic annus ἀπὸ τῆς Κυριακῆς. Tibi igitur, O sanctissima Τριὰς ἐν μονάδι, hic dies sacer esto. Imo ab hoc principio pergat totus annus hic sacer tibi esse, et nos sancti. Tibi animi, mentes, corpora, omnia denique nostra sunto, tibi inquam soli, Deus æterne, ita consecrata, ut nihil faciamus, nihil dicamus, ac ne cogitemus quidem, quod Legi tuæ ac voluntati non sit congruens et veris Christianis conveniens. Illustra nos, Πάτερ ἐπουράνιε, et bea agnitione veritatis a te revelatæ in sacrosancto verbo tuo, libera nos ab erroribus, qui longe lateque hodie obtinent, postquam eo ventum est ut plerique summam pietatem putent de rebus ad religionem pertinentibus subtiliter et acute disputare. Itaque contrariis opinionibus orbis Christianus mirum in modum agitatus, professionem gloriosissimi nominis disputando de pietate Christiana magis

quam Christiane vivendo hodie tuetur. Quid hodie tam fixum et gentium consensu probatum ac ratum, quod in disputandi materiam non vertatur? De quo non dubitetur? Nam etiam de natura tua, Deus æterne, infinite, omnipotens, omniscie, novæ opiniones exoriuntur, et acriter defenduntur. Quid autem futurum certi in rebus mortalium, si hæc doctrina animis omnium hominum impressa in dubium vocatur? Jam de cæteris fidei nostræ articulis quæ dubitationes hinc inde excitentur, triste dictu. Fatemur omnes mensuram veri et recti esse τὴν σὴν, ὦ Θεὸς, ἁγίαν γραφὴν, et tamen inter illos ipsos, qui in hac parte maxime consentiunt, quanta, quam atrox dissensio! prorsus ut ad σβέσιν τῆς ἀληθείας res videatur vergere, propter ψύξιν ἀγάπης, nisi tua dextera Ecclesiæ tuæ adfuerit βοηθός. In hoc tanto diluvio contrariarum opinionum, da mihi, Deus æterne, meisque ut ad montes Sacræ Scripturæ tuæ confugientes stationem in illis firmam et stabilem inveniamus. Firma fidem nostram, da tantum proficere in notitia mysteriorum tuorum, quantum satis est, ad gloriam tui nominis procurandam et salutem nostram. Fidem in dies auge mihi, meæ, et meis, et ardens desiderium ea præstandi, quæ futura sint Majestati tuæ grata. Esto hæc basis nostrarum omnium deliberationum et capiendorum consiliorum, ut omnia referamus ad tuam gloriam promovendam et vitam pie instituendam. Ac quoniam gravis deliberatio immi-

net, si nos Regina in Galliam revocaverit, O ades, Πάτερ ἐπουράνιε, et flecte corda nostra ad consilia recta. Nos quidem cæci sumus, et, quid conducat nobis et nostris, ignoramus. Quod unum possumus Deus Opt. Max. tuæ providentiæ nos permittimus, tu nostram præteritam vitam tege, et, quod superest, rege. Benedic huic languenti jamdudum domui, et jacturam rei familiaris, quam fecimus, sarci, ac πολλαπλασίαζε, si ea est voluntas tua. Respice parentes, respice liberos, omnibus tui timorem largire, animisque omnium veram pietatem infunde. Σοῦ γὰρ τὸ δῶρον ἀνθρωπίνῃ μελέτῃ οὐκ ἐφικτόν. Filium, qui in Galliis est, siste in rectam viam, et, mei et illius misertus, uxoris nutantem firma valetudinem et meam. Studiis meis benedice; liberis docilem animum et ingenium tribue. Sorori et omnibus πρὸς γένος rectam consiliorum viam ostende, et necessaria subministra. O exaudi, Deus immortalis, per Filium tuum τὸν μονογενῆ Κύριον ἡμῶν Jesum Christum, qui una tecum, Deus Pater, Deus ipse, et Spiritu Sancto Deo, sine principio, sine fine regnat, regnaturus εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen. Amen. Amen.

*Kal. Jan.* Synaxi Gallicæ hodie interfuimus. Dominus Jesus mihi, meæ et meis benedicat. Hodie etiam Rex serenissimus novum negotium mihi imposuit, sed paucorum, σὺν Θεῷ, dierum. Amen.

IV. *Non. Jan.* Apud Legatum hodie pransus,

didici ab eo velle Reginam me brevi revocare. Domine Jesu, ades, et mei, meæ, et meorum miserere. Amen.

III. *Non. Jan.* Regi hodie adfui prandenti, et de variis rebus sermones cum ejus Majestate habui. Deus illum protegat, et hanc domum servet. Amen.

*Prid. Non. Jan.* Nativitatem Domini apud Regem celebravi, sed prius in mea parœcia Cœnæ Domini participavi. Deus immortalis, pietatem veram animo instillet meo et omnium meorum. Amen.

*Non. Jan.* Synaxi Gallicæ hodie interfui cum uxore et familia: deinde apud D. Maiernium sumus pransi. Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Jan.* Literæ hodie Parisiis venerunt multæ, quarum nonnullæ valde me sollicitum habent propter ruinas domus meæ e calamitate Genevæ accepta exorientes. Domine Jesu, da rectum consilium et miserere. Amen.

VII. *Eid. Jan.* Deus æterne, serva hanc domum inter incommoda non parva versantem per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

VI. *Eid. Jan.* Sacræ synaxi Gallicæ ego et mei interfuimus; et inde ad Regem profectus, cumque eo locutus, cum uxore reliquum fere diem posui, de nostris negotiis deliberantes. Sed, O Deus, respice nos et statum nostrum per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

V. *Eid. Jan.* Literæ ad varios, et cum D. Archiepiscopo sermones. Θεῷ τῷ πανελέῳ χάρις.

IV. *Eid. Jan.* Apud Regem hodie fui, et diu cum ejus Majestate sum locutus: tum literas varias scripsi. Ita finitus est annus Anglicano calculo. Sit Deo Opt. Max. honos, laus et gloria. Amen.

III. *Eid. Jan.* Erat hoc principium anni in Anglia, quem orsi sumus a lectione et auditione verbi Dei in synaxi Gallica. Legi deinde per occasionem D. Martæ libros *De jurisdictione* etc. Multaque in eo auctore observavi principibus infesta. Percurri et libros Henrici Henriquez, quorum est inscriptio *Summæ Theologiæ moralis tomus primus.* Continet plures libros, quorum hæc sunt argumenta, *Liber de fine hominis.* In synopsi hic liber cæteris præponitur, sed in ipso opere omnibus subjicitur. I. De sacramentis in genere. II. De baptismo. III. De sacramento confirmationis et extremæ unctionis. IV. De pœnitentiæ sacramento et virtute, et de contritione, quæ est prima pars materiæ. V. sive De pœnitentiæ sacramento lib. II. VI. De clavibus Ecclesiæ pro foro pœnitentiæ, qui est De pœnitentia lib. III. VII. De clavibus pro indulgentiis. VIII. De Eucharistiæ sacramento. IX. De sacrificio Missæ. X. De ordinis sacramento. XI. De matrimonii sacramento. XII. De impedimentis matrimonii. XIII. De excommunicationis censura. XIV. De irregularitatis impedimento. Auctor est eruditus et laboriosus. Complexus

in eo opere summam doctrinæ Romanæ in illis materiis hodie regnantem. Est vero tota doctrina eorum librorum e Scholasticis eque recentioribus scriptis petita. Tuetur omnia absurda, aut temere introducta. Ut in *De fine hominis*, sub finem confidenter asserit in futura vita beatos esse donandos corona aurea, præterquam, ait, dabuntur tres aureolæ Virgini, Doctori, aut Martyri: hæc aureola, ait, non est in corpore sed in anima. Fortasse, ait, in manu Martyris erit quasi ramus ex palma, ut in cicatricibus et loco martyrii erit eximius splendor, in Doctore quasi subviridis ramus, etc. Piget ineptiarum. Ejusdem libri cap. XXIII. fuse disputat de Antichristo qualem describunt Pontificii. Cap. XXX. docet igneam pœnam purgatorii esse acerbiorem quam fuerit cruciatus martyrum, et quam fuit dolor animæ Christi in passione: et patiuntur varia pœnarum genera: prope exitum tamen pœna mitigatur ante introitum gloriæ. Ibidem asserit certo destinari sub terra quatuor receptacula animarum: I. Infernum in centro terræ. II. Paullo superius locus purgatorii. III. Limbus puerorum. IV. Limbus Patrum sanctorum, quos Christus ad inferos descendens beatificavit. Hic locus vacuus jam est: ut post diem judicii vacuus erit locus purgatorii, fortasse ut amplietur circumquaque locus Inferni. En ineptias. Revoca, Domine, hæc præclara ingenia ad notitiam accu-

ratam doctrinæ tuæ cælestis. Da etiam mihi, meæ, ac meis, ut pie et sancte hunc annum et vitam totam exigamus. Amen.

Antichristum conantur nostris applicare Pontificii, idque facete. Vide Bozium in Signis etc., signo 56. p. 529, et in signo 100, tomo 2[do] in fine.

*Prid. Eid. Jan.* O Domine Jesu, Patrone et Domine mi unice, ades, et familiam hanc solito favore prosequere. Deo Patri, Filio et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria. Amen.

*Eid. Jan.* Liberalitatem serenissimi Regis hodie sum expertus, missis ab ejus Majestate nomine Strenarum quatuor vasis argenteis, inter quæ est salinum sane egregium. Deus illi, et ejus domui, et sanguini regio benedicat; necnon D. Archiepiscopo, qui etiam ipse poculum misit satis grande. O serva τοὺς ἐμοὺς εὐεργέτας, benigne Deus, et mihi meisque veram pietatem instilla, per Jesum Christum, qui una cum Deo Patre et Deo Spiritu Sancto regnat, æternumque regnabit. Amen.

XIX. *Kal. Feb.* In epistolis Gregorii VII. hodie multus fui, et quum de ejus ambitione pessime sentiam, doctrinam tamen illius in epistolis magni facio. Tu, Domine Jesu, da mihi, meæ, et meis tibi servire pia mente. Amen.

XVIII. *Kal. Feb.* Apud serenissimum Regem hodie fui, et pro munere recente gratias egi. Dominus Jesus ejus Majestatem servet, et quicquid illi charum. Det etiam ὁ ἐπουράνιος Πατὴρ

mihi, meæ et meis sentire et facere sibi grata. Amen.

XVII. *Kal. Feb.* Pauca hodie ob profectionem ad D. Regem. Deus benedicat ceptis. Amen.

XVI. *Kal. Feb.* Apud Archiepiscopum hodie fui, et de nupero dono gratias egi, debitorem illi Deum Opt. Max. delegans. Deus illum servet, et benedicat huic domui. Amen.

XV. *Kal. Feb.* Gravissimos capitis dolores expertus hac nocte non multum egi. Θεῷ χάρις καὶ δόξα.

XIV. *Kal. Feb.* Gravissimos hodie quoque cruciatus expertus in oculo dextro et vicina parte capitis in cubiculo uxoris me continui, et cum amicis fere diem egi. Deus πολυέλεε, respice me, meam, et meos. Amen.

XIII. *Kal. Feb.* Meliuscule hodie valui. Θεῷ χάρις. Amen.

XII. *Kal. Feb.* Sacræ synaxi hodie cum tota familia Dei gratia interfui. O respice hanc domum, Deus æterne. Amen.

XI. *Kal. Feb.* Cum amicis hodie fui D. Capello, Maiernio et Thorio, quos Deus servet, et me, meam et meos cum illis. Amen.

X. *Kal. Feb.* Domine, benedic domui huic omnibus modis per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

IX. *Kal. Feb.* Sollicitus hæc scribo, et animi anxius. Nam de patria rumores obscuri seruntur illætabiles. Domine Deus, serva Regem, Re-

ginam, et regnum; necnon huic domui benedice per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

VIII. *Kal. Feb.* De Gallia nihildum, et spero ἐν Κυρίῳ meliora. Tu, Deus æterne, mihi, et meæ, ac meis benedice. Amen.

VII. *Kal. Feb.* Hodie literas a D. Thuano accepi, sed ἑώλους, et in quibus nihil quod me sollicitudine liberet. Deus servet patriam, et benedicat huic domui. Amen.

VI. *Kal. Feb.* Aliquid hodie, etsi non multum. Θεῷ χάρις, qui respiciat propitius hanc domum. Amen.

V. *Kal. Feb.* Hodie aliquid, Dei gratia, cui honos et laus. Amen.

IV. *Kal. Feb.* Concio cum uxore et familia: deinde amici, et studia. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Feb.* Pauca hodie, et fere nihil. Deus mei, meæ, et meorum rationem ducat, et omnium misereatur. Amen.

*Prid. Kal. Feb.* Aliquid hodie Dei beneficio, cui honos, laus et gloria. Amen.

*Kal. Feb.* Benedic, Domine Jesu, mihi, meæ, meis, et da nobis omnibus hunc mensem et totam vitam tuo cultui impendere. Amen.

IV. *Non. Feb.* Aliquid, sed non quantum optabamus. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Feb.* Aliquid hodie. Deo gratia, et honos, qui hanc domum servet. Amen.

*Prid. Non. Feb.* Etiam hodie aliquid, et scriptæ literæ ad Bertium et Vorstium. Deus medeatur Ecclesiæ suæ malis. Amen.

*Non. Feb.* Synaxis, amici, studia. Θεῷ χάρις, qui me, meam, et meos servet. Amen.

VIII. *Eid. Feb.* Hodie accepi orationem Martillerii contra Jesuitas, et mire laudavi. Deus immortalis servet illum, servet omnes bonos et universum regnum: statuat de me et meis quod futurum est utile ad gloriam ipsius et salutem nostram. Amen.

VII. *Eid. Feb.* Aliquid hodie, sed exspectatio mea est in Domino. Amen.

VI. *Eid. Feb.* Aliquid hodie. Deus æternus familiæ universæ et studiis benedicat. Amen.

V. *Eid. Feb.* Parum hodie. Deus nostri misereatur. Amen.

IV. *Eid. Feb.* Ignosce, Pater indulgentissime, peccatis meis, meæ, et meorum per Jesum Christum τὸν σωτῆρα τοῦ κόσμου. Amen.

III. *Eid. Feb.* Aliquid in penso hodie. Θεῷ τῷ πανελέῳ χάρις.

*Prid. Eid. Feb.* Sacræ synaxi hodie interfui, et cum meis Gallis S. Cœnæ Domini sum factus particeps. Optarem quidem plura veteris disciplinæ vestigia in nostris Ecclesiis extare, sed ego privatus sum, et obstinatio Pontificiorum me terret. Utinam per linguæ Anglicanæ peritiam liceret mihi Anglo fieri hac in parte. Sed tu, Domine Jesu, respice me, meam et meos. Amen.

*Eid. Feb.* Apud amicos fui hodie D. Decanum et D. Eliensem, quos solos Anglorum familiares habeo: tum in penso aliquid. Deo laus et honos.

XVI. *Kal. Mar.* Aliquid hodie, Dei gratia, in penso. Deus, spero in te. Amen.

XV. *Kal. Mar.* Studia, quibus benedicat Deus, et nos omnes fingere velit sibi gratos. Amen.

XIV. *Kal. Mar.* Literæ, studia, preces ad Deum τὸν ἐμὸν σωτῆρα καὶ τῶν ἐμῶν. Ἀμήν.

XIII. *Kal. Mar.* Matutini temporis partem amisi invitatus a D. Legato Regis Christianissimi: reliquum in studiis posui, ut dabatur. Atque ita exactus est annus hic vitæ meæ. Utinam, Pater cælestis, possem pie gloriari, et hunc annum et superiores ita me egisse, ut aliquid saltem possem confidere fecisse me tibi gratum. Utinam ita vias meas direxissem, ut hanc παρρησίαν possem mihi assumere. Sed non sinit me anteactæ vitæ conscientia vel cogitare de me aliquid simile. Quid enim ego sum, nisi infelix peccator? et eo quidem gravior peccator, quod voluntatem tuam, Deus immortalis, non ita ignoro, ut possim ignorantiam prætexere. Scio nihil tuæ Sanctæ Majestati placere, quod non sit sanctum, purum, et Legi tuæ congruens. Scio, quæ præmia bonos, quæ supplicia malos maneant. Et quum hoc sciam, non cesso tamen, Deus æterne, tuum tremendum Numen peccatis meis provocare. Video infelix meliora, proboque, deteriora sequor. Sentio in me singulis horis, singulis momentis pugnam inter spiritum et carnem: cupio vinci carnem: cupio vivere spiritu: cupio mori huic mundo: cupio vivere Christo. Sed, O miserum

me, quam longe abest a voluntate mea facultas! Te appello, ter sancte Deus, inchoatæ in me bonæ voluntatis testem. Sed noli, Pater sancte, ex operibus meis me judicare. Quin potius sanguine pretioso Filii tui τοῦ μονογενοῦς me munda, et mundus ero. Da mihi hanc fidem, et fidem veram, quæ crescat quotidie, ut ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ ad obsequium tuæ voluntatis me quam humillime componam. At quoniam personam mihi multiplicem tua providentia imposuit, fac vocationis meæ semper meminerim. Maritus sum: pater sum: frater sum: affinis sum non paucorum. Da, qui solus potes, præstem me erga uxorem, liberos, sororem, cognatos, affines qualem esse me honestas, virtus, et vera pietas jubent. Quod autem per varios casus dedit mihi tua Majestas hunc annum exigere sine graviore noxa aut querella, ago tibi supplex, Deus æterne, non quas debeo, neque enim possum, πολλοῦ γε καὶ δεῖ, μᾶλλον δὲ τοῦ παντὸς, sed ago tamen tibi, ὦ τρισάγιε Θεὸς, quantas possum maximas gratias. Scio, Deus æterne, quicquid boni sum nactus in hac misera vita, id totum muneris esse tui, esseque ea totidem tuæ ἀφάτου καὶ ἀνεκδιηγήτου χρηστότητος certissima argumenta. O perge, bone Deus, tua me, meam, ac meos clementia prosequi, et peccata nostra tegere per Dominum nostrum Jesum Christum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit et nunc et semper honos, laus, et gloria εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

## Annus Vitæ liv.

Jam ille quidem inchoatur tuo singulari erga miserum me peccatorem beneficio, O Deus salutis meæ. Atque ego magna ardeo cupiditate et hunc annum et quicquid superest vitæ tibi honorique tuo consecrandi. Cupio prioris vitæ peccata et delicta omnia mea posterioribus factis obruere, nihil facere, nihil dicere, nihil cogitare, quod vere Christianum non deceat. Cupio studia mea, et hoc maxime opus, quod habeo jam præ manibus, gloriæ nominis tui promovendæ inservire. Denique quantus quantus sum, impendere me, et mea omnia servitio tui, Deus æterne, Numinis opto, ac vehementissime discupio. Ne respue, Pater, hoc quantulumcunque est bonæ voluntatis meæ sacrificium. Da velle semper quæ sint pia, justa, sancta: da posse pie perficere quæ fuero pie aggressus. Scit tua, Deus immortalis, Majestas quantum hisce humeris onus incumbat rei familiaris et familiæ tam amplæ cura, eamque ad provinciam quam male sim a natura comparatus, ne id quidem nescis, Deus *πολυέλεε*. Ea igitur cura et *στοργὴ φυσικὴ* ne me a piis inceptis avocet, aut transversum nescio quo in avia rapiat, ipse præsta; nos vires et corporis et ingenii plane deficiunt. In te uno, *ὦ ἐπουράνιε Πάτερ*, meæ omnes mihi spes sunt sitæ, tuo unius præsidio fretus, tua benignitate nixus et recreatus securus agam. Fac, Deus immor-

talis, huic semper ancoræ ego, mea, et mei omnes semper innitamur, utque ope tua freti mundo renuntiemus, tibi uni placere satagamus, te pura mente colamus, in tua unius cura et paterna providentia ἐπαναπαυώμεθα. O preces meas exaudi, Deus sancte, et meos, meæ, meorumque omnium gressus dirige, per Jesum Christum τὸν μονογενῆ σου Υἱὸν, τὸν μονώτατον τοῦ κόσμου Σωτῆρα, qui una cum Deo Patre et Deo Spiritu Sancto Deus ipse τῷ Πατρὶ ὁμοούσιος sine principio, sine fine regnat, vincit, imperat εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Γένοιτο, γένοιτο. Amen.

XII. *Kal. Mar.* In penso non ita dudum suscepto plures horas posui. Faxit Dominus Jesus, ut ad sui nominis gloriam et Ecclesiæ ædificationem hæc referantur, quæ jam meditor. Qui etiam, pro sua infinita bonitate, servet me, meam, ac meos ἀπημάντους. Amen.

XI. *Kal. Mar.* Sacræ synaxi hodie interfuimus. Laus Deo sancto.

X. *Kal. Mar.* Hodie jussus sum a Rege ut se convenirem proximo die Jovis. Deus illum servet, et regnum, qui etiam huic domui benedicat. Amen.

IX. *Kal. Mar.* Hodie nonum Baronii tomum percurrere absolvi, atque hodie apud D. Archiepiscopum fui dignissimum eo loco præsulem. Θεῷ χάρις, qui me, meam, et meos servet. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Apud Legatum fui hodie. Deus æterne, serva nos omnes. Amen.

VII. *Kal. Mar.* Ad Regem, ut jussus fui, proficiscor, te venerans, Deus immortalis, ut digneris ita mentem linguamque dirigere, ut apud Principem nihil dicam, nihil cogitem, atque adeo per totius vitæ curriculum nihil mediter, quod non referatur ad nominis tui gloriam, Ecclesiæ tuæ ædificationem, et meam ac meorum salutem. Serva me in itinere: serva meam et meos a quibus discedo, et qui ubique sunt locorum. Amen. Amen.

VI. *Kal. Mar.* Reversus a Rege parum valui, neque optime valentem uxorem inveni. Sed mox, spero, valebimus, teque adeo, ὦ σῶτερ, ut valeamus nos et nostri omnes, supplex oro. Amen.

V. *Kal. Mar.* Ad literas scribendas animum applicui, plures dies futurus in eo negotio occupatus. Θεὸς, ἐλέαιρε. Amen.

IV. *Kal. Mar.* Aurelium pastorem hodie concionantem audivi et Deum laudavi. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Mar.* Literæ, aliud nihil. Deus ἐλέαιρε. Amen.

*Prid. Kal. Mar.* Adii hodie S. Regem, cras etiam adire jussus. Serva illum, Domine, et universo regno benedice, et nobis omnibus, qui in illo sumus καὶ τοῖς λοιποῖς τοῖς ἐν γένει. Amen.

*Kal. Mar.* Regi hodie adfui, et varia ab eo mandata accepi. Dei nomen sit benedictum. Amen.

VI. *Non. Mar.* Hodie discessit a nobis Isaacus Chabanæus studiorum caussa Lutetiam repetens.

Domine Jesu, serva illum euntem, serva et nos, qui manemus. Amen.

v. *Non. Mar.* Filiola ægrota nos sollicitos habet, Chabanæus etiam, qui, ut speramus, brevi transmissurus est mare. Deus æterne, et hos serva, et nos omnes protege. Amen.

iv. *Non. Mar.* Synaxi sacræ hodie interfuimus, Θεοῦ χάριτι, qui me, meam, et meos servet, et Chabanæo maria jam naviganti, ut spero, vel mox navigaturo adsit propitius. Amen.

iii. *Non. Mar.* In penso hodie fuimus, cui et universæ domui benedicat Deus. Amen.

*Prid. Non. Mar.* Deus æterne, peccatis nostris et nostrorum ignosce, et nos serva, quique ad nos pertinent. Amen.

*Non. Mar.* In penso fuimus assidui. Deus, benedic inceptis meis et meorum. Amen.

viii. *Eid. Mar.* In penso etiam hodie assidui fuimus. Deo sit laus, honos, et gloria. Amen.

vii. *Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια, Dei beneficio, qui nos omnes servet. Amen.

vi. *Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

v. *Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια ut die sacro. Θεῷ χάρις.

iv. *Eid. Mar.* Deus mihi, meæ, meisque omnibus adsit, nos servet, et veram pietatem doceat. Mihi autem silentium mei Chabanæi est molestum. Sed in te spes mea, Deus Israel. Amen.

iii. *Eid. Mar.* Hodie a Chabanæo meo literas accepi, sed ἑώλους in ipsa Anglia scriptas. Deus et nos omnes et illum servet. Amen.

*Prid. Eid. Mar.* Chabanæus meus est in Gallia, quod hodie didici. Deus æterne, serva illum et me, meam, ac meos.

*Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια in penso suscepto, cui, O Deus, benedicito, et universæ huic domui per Jesum Christum. Amen.

XVII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις, qui nos omnes servet. Amen.

XVI. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια in suscepto penso Baroniano, cui operi et reliquis meis et meæ, et meorumque omnium inceptis, Deus immortalis benedicat per Jesum Christum. Amen.

XV. *Kal. Apr.* Sacræ synaxi Gallicæ hodie interfuimus ego et uxor, et pars liberorum. Domine Jesu, serva nos, et ignosce peccatis nostris. Amen.

XIV. *Kal. Apr.* Qui heri sero admodum ex aula rediissemus, et admodum defessi, paullo serius surreximus: deinde in penso toti fuimus. Deus mihi, meæ, et meis dignetur benedicere. Amen.

XIII. *Kal. Apr.* In penso hodie fuimus. Θεῷ χάρις. Amen.

XII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια in penso, Θεὸς ἐλεαίροι ἡμᾶς τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ. Ἀμήν.

X. *Kal. Apr.* Parans me, si Deus benedixerit, ad disputationem contra Baronium, operis ἰχνογραφίαν rudem hodie absolvi. Te supplex veneror, Deus æterne, velis, faxisque ut omnes mei meorumque conatus ad nominis tui gloriam et Ecclesiæ tuæ ædificationem referantur. Amen.

IX. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Apr.* Diem sacrum pro more Dei cultui et Regis ministerio impendimus. Domine Jesu, miserere nostri et serva hanc domum. Amen.

VII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Amen.

VI. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια et iter ad Regem. Τῷ Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια· fuique in libris ad propositum. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Hodie cum jussu Regis traderem typographo, literæ venerunt a Chabanæo meo cum libello eodem Lutetiæ edito. Faxit Deus non sit ea opella inutilis: et mihi, meæ, et meis benedicat. Amen.

III. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Amen.

*Prid. Kal. Apr.* Quam sollicitum me habet filii tot jam mensium silentium! Neque enimvero meus Chabanæus officio fungitur hac in parte. Deus respiciat universam domum. Amen.

*Kal. Apr.* De more sacrum diem concioni audiendæ impendi, et ministerio Regis, qui accepto perditissimi nebulonis Peleterii libro novo novum onus mihi injunxit. Sed leve est id totum negotium, et Deus, spero, mihi meisque aderit. Amen.

IV. *Non. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια pene omissa, dum mane totum pono in aula. Deus ceptis benedicat meis et meorum. Amen.

III. *Non. Apr.* Obruor curis: urgent amici literis suis, modo Græcis, modo Latinis, urget Rex, et

pensum quotidianum exigit. Quid faciam? Deus æterne, vires suffice hisce laboribus, et domui huic benedice. Amen.

*Prid. Non. Apr.* Quod bene vertat, in penso totum diem multi fuimus. Θεῷ χάρις.

*Non. Apr.* Avocamur, hei mihi, a studiis, nimis sæpe. Deus æterne, benedic huic domui. Amen.

VIII. *Eid. Apr.* Hodie epistolam cepimus scribere ad Edmundum Legatum, ubi de Pellione. Deus benedicat et illi paucarum horarum opellulæ, et mihi meæque ac meis. Amen.

VII. *Eid. Apr.* Deus ades, et hærentem adjuva. Amen.

VI. *Eid. Apr.* Dies Κυριακὴ impensa varie. Mane epistola ad D. Edmundum Legatum sibi vindicavit, deinde Rex. A cœna literas Lutetia accepi, et tibi, Deus æterne, gratias egi. O serva hanc domum. Amen.

V. *Eid. Apr.* Deus ades, rege me, rege meam et meos. Amen.

IV. *Eid. Apr.* Epistolam, ubi de Peleterio Gallo, hodie absolvi. Deus servet nos et nostra. Amen.

III. *Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια hodie repetiimus. Θεῷ χάρις.

*Prid. Eid. Apr.* Deus benedicat mihi, meæ, et meis. Amen.

*Eid. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed morbus uxoris male me habet. Tu, Deus æterne, respice hanc domum. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* In Cypriano diem posui. Uti-

nam tales servos suos Dei benignitas Ecclesiæ dare dignetur, qui nos servet et nostros qui ubique locorum sunt. Amen.

XVII. *Kal. Mai.* In aula diem fere egi, et concionantem D. Archiepiscopum intellexi, si tamen intelligere dici potest qui vocem ignotam parum capiat. Deus ades mihi, meæ, et meis. Amen.

XVI. *Kal. Mai.* Literæ hodie ad amicos Hollandos me cum aliis curis occuparunt. Τῷ Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Mai.* Apud Regem hodie fuimus, et magnam diei partem alibi quam inter libros egimus. Deus huic domo benedicat. Amen.

XIV. *Kal. Mai.* Apud Principem hodie fuimus: deinde studiis aliquot horas dedimus. Θεῷ δόξα καὶ χάρις.

XIII. *Kal. Mai.* Hodie pransus apud D. Eliensem, a prandio cum uxore interfui lotioni pedum pauperum, quæ fit in hac Ecclesia egregie. Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Mai.* In Chrysostomo fui et hodie, legique multa illius, præsertim quæ scripsit in caput VI. Johannis. Deus det mihi et meis illam doctrinam capere ut pium decet. Nos in illa cogitatione et sæpe alias, et nunc cum maxime sumus, quia die Domini Pascha futurum est, quod, volente Deo, cum Anglis sumus celebraturi. Ita velit Deus, et nobis veram lucem velit affulgere, et pro sua misericordia peccata nostra omnium deleat. Amen.

XI. *Kal. Mai.* In piis meditationibus, et lectione librorum meliorum, præsertim Chrysostomi, diem posui. Atque utinam det mihi Dominus Jesus ita proficere in cognitione veritatis ut vita omnis mea pietatem sapiat. Utinam die crastino sic ad sacram mensam accedam, ut pium decet. Quod, O Servator mundi, da mihi, supplex te veneror, per Jesum Christum Filium tuum unigenitum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos et gloria εἰς αἰῶνας. Amen.

X. *Kal. Mai.* Quod felix et faustum sit, hodie cum Ecclesia Anglicana in Regis sacello communicavi S. Cœnæ Domini: in posteriore concione adfui Regi communicanti, et pietatem optimi Principis magna cum voluptate animadverti. Deus servet Regem, regiam domum, et regnum. Det etiam mihi, meæ, et meis pura mente sibi inservire, præstetque idem Opt. Max. Servator noster valentem uxorem, quæ nunc parum valet. Amen.

IX. *Kal. Mai.* In Chrysostomo et hodie fui non sine pia voluptate, tu, Domine, fac, non sine utilitate; et mihi, meæ, ac meis benedic. Amen.

VIII. *Kal. Mai.* Apud Regem hodie fui, et de Gallia audivi parum læta. Dominus mala consilia mutet in melius, idemque hanc domum servet. Amen.

VII. *Kal. Mai.* Literas Cantuaria hodie accepi et partem pensionis annuæ. Deus det frui hoc otio ad sui nominis gloriam. Amen.

VI. *Kal. Mai.* Parum aut nihil. Deus, nos respice. Amen.

V. *Kal. Mai.* Quod Deus Opt. Max. consilium velit fortunare; post longam deliberationem, longam meditationem et præparationem, hodie accinxi me scriptioni Antibaronianæ. Scis tu, bone Jesu, nulla me adduci levitate, nulla inanis gloriolæ titillatione, sed sola cupiditate veritatis defendendæ, in re præsertim tanti momenti. Nam quum multa sint justa reprehensione digna apud Baronium in Annalibus, nihil tamen est in quo plus ille operæ posuerit quam ut Papæ Romani tyrannidem in Ecclesia universam et maxime in Reges et Principes confirmaret. Vident omnes quo hæc doctrina jam pervenerit, quos progressus fecerit, et quotidie faciat, quot tristia exempla ab illo fonte manantia prodierint. Tibi, magne mundi Rector, eam tyrannidem probari nec credo, nec, ut credam, adduci unquam potero. Putamus eos, qui pro sua virili huic errori sese opponunt, et recte facere, et Deo veritatis vindici gratum offerre sacrificium. Hoc fretus, et spe omni mea in Dei auxilio posita, aggredior polire quæ dudum observari et editioni illa parare. Veneror supremum Numen, adsit conatibus meis, det veritatis notitiam, liberet mentem ab erroribus, servet me, meam, et meos ἀπημάντους per Jesum Christum unicum mundi Servatorem, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria in æternum. Amen.

IV. *Kal. Mai.* Primum versum cogitati operis nondum posui, et multæ me quotidie curæ avocant atque impediunt. Dominus Jesus benedicat mihi, meæ, et meis, et cepta fortunet.

III. *Kal. Mai.* Concio, Rex, amici: dies totus. Da, Domine, in tui timore quotidie crescere. Amen.

*Prid. Kal. Mai.* Paucas hodie horas studiis impendi, fui enim apud Archiepiscopum et D. Comitem Hanoniæ invisi. Θεῷ χάρις.

*Kal. Mai.* Quod Deus fortunet, mensem ingressus sum, qui, nisi fallor, dabit principium operi quod paramus, volente et faciente Deo, qui nos omnes servet. Amen.

VI. *Non. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις, qui nostri misereatur. Amen.

V. *Non. Mai.* Literæ hodie toto fere die scriptæ, quum interim de rebus meis nullas ipse accipiam. Deus, ades. Amen.

IV. *Non. Mai.* Hodie didici Schoppium adversus me scripsisse. Exspecto avide id scriptum. Sed tu, Domine, da tui timorem mihi, meæ, et meis. Amen.

III. *Non. Mai.* Paucas horas posui in studiis. Deus adsit mihi, meæ, et meis. Amen.

*Prid. Non. Mai.* Diem sacrum in concione Gallica de more posui et apud Regem, deinde cum Duce Bullionæo fui, qui hodie appulit. Θεῷ χάρις.

*Non. Mai.* Hodie literas accepi a Chabanæo et amicis, sed me Chabanæus male tractat. Deus æterne, da consilium rectum. Amen.

VIII. *Eid. Mai.* Apud Regem fuimus, et Ducem Bullionæum ab illo admitti vidimus. Θεῷ χάρις.

VII. *Eid. Mai.* Cum amicis Gallis et Anglis, D. Decano Paulino, D. du Tiloir, et D. Justello diem egi, Deo gratiæ. Deo laus et honos. Amen.

VI. *Eid. Mai.* Amici, studia, epistolæ, hæc sunt quæ me hodie occuparunt. Deus respiciat hanc domum. Amen.

V. *Eid. Mai.* Hodie cum amicis du Tiloir et Justello fui apud D. Decanum, nec multum studui. Deus nos servet.

IV. *Eid. Mai.* Studia, literæ e Gallia, amici. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Mai.* Sanctæ Cœnæ Domini in Ecclesia Gallica hodie communicavimus: deinde apud Regem fuimus, nec multas horas hodie studiis impendimus. Deus nostri misereatur. Amen.

*Prid. Eid. Mai.* Regem hodie convenimus jussi. Libros Schoppii τοῦ ἀλιτηρίου vidimus. Deus me, meam, et meos servet. Amen.

*Eid. Mai.* Adii hodie Regem, et quædam nefandi apostatæ Schoppii cum ejus Majestate legi. O furorem hominis! Deus miserere mei, meæ et meorum. Amen.

XVII. *Kal. Jun.* Amici, et literæ, quas scripsi, ut hodie vel viderem librum aliquem mihi non permiserunt. Miserere, Deus. Amen.

XVI. *Kal. Jun.* Literæ, amici; sic fere actus dies. Deus, respice me et meos. Amen.

XV. *Kal. Jun.* Etiam hodie apud Regem fui,

et ad ipsum duxi D. du Tiloir et D. Justellum. Multus fuit sermo de opinionibus quæ Sedanenses hodie a Parisiensibus divellunt. Deus componat has turbas et nos servet. Amen. Hodie Regis pietatem, doctrinam, et facultatem utriusque sermonis Gallici et Latini nobis mirari licuit. Ego certe valde sum admiratus. Serva, Deus æterne, tantum Principem.

XIV. *Kal. Jun.* Jussus redire ad Regem, aut in aula, aut inter amicos diem totum posui. O infelicitatem studiorum meorum! Miserere, Deus, mei et meorum. Amen.

XIII. *Kal. Jun.* Concionem apud D. Bullionæum audivi quam habuit D. Gordonius: inde ad Regem. Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Jun.* Domo hodie pedem non extuli τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι, cujus benignitati me, meam, meos meaque studia commendo supplex. O ades, Domine. Amen.

XI. *Kal. Jun.* Ad Regem hodie profectus totum mane amisi, et dolui. Miserere, Deus. Amen.

X. *Kal. Jun.* Dolores ingruunt in me undique, et cura rei familiaris me enecat. Sed scio quid faciam: in te, Deus æterne, hoc quicquid est curæ transferam, et in tua bonitate meam, et meorum spes omnes locabo. O da vivere ex lege tua mihi meisque. Amen.

IX. *Kal. Jun.* Totum diem inter amicos egi D. Bullionæum, D. Plesserium et alios. Deus mihi, meæ et meis benedicat. Amen.

VIII. *Kal. Jun.* O ærumnosam hanc vitam! Uxor propter ignorantiam linguæ ita ægre fert moram in his locis, ut pars molestiarum in me derivetur longe maxima. Domine Deus, æquum est, justum est, quicquid facis: fiat igitur voluntas tua in me et meis. Amen.

VII. *Kal. Jun.* Diem sacrum posui et domi et in aula. Deus nostri misereatur. Amen.

VI. *Kal. Jun.* Diem totum in literis posui scribendis, aut apud D. Bullionæum. Miseret me sane mei: sed ita Deus vult, cui honos et gloria.

V. *Kal. Jun.* Ite, studia. Nihil vobiscum mihi. Ecce totum diem in aula egi ad 10 horam noctis. O dolorem gravem! Deus, miserere. Amen.

III. *Kal. Jun.* Domo hodie non exii, sed me amici valde occuparunt. Deus benedicat mihi, meæ et meis. Amen.

*Prid. Kal. Jun.* Apud Regem fui hodie, et cum Saravia viro doctissimo sum pransus. Θεῷ χάρις.

*Kal. Jun.* Mensem inchoamus, tua, Deus æterne, fiducia freti, te orantes, ac supplices venerantes ut familiæ universæ digneris benedicere. Amen.

IV. *Non. Jun.* Studui hodie, Deo gloria, et gratiæ εἰς αἰῶνας αἰώνων.

III. *Non. Jun.* Concio, aula, studia; hæc hodie. Gloria Deo. Amen.

*Prid. Non. Jun.* Studia satis serio Dei ope et benignitate: illi gratias.

*Non. Jun.* Studia Dei benignitate, qui nobis benedicat. Amen.

VIII. *Eid. Jun.* Deus æterne, miserere mei, meæ, et meorum. Amen.

VII. *Eid. Jun.* Studia et literæ. Deus, miserere mei et meorum. Amen.

VI. *Eid. Jun* Deus, ades et benedic mihi, meæ, meis. In te spes mea. Amen.

V. *Eid. Jun.* Studia hodie me habuerunt, quibus benedic, Pater ἐπουράνιε, et me, meam, ac meos veram pietatem doce. Amen.

IV. *Eid. Jun.* Erat dies Pentecostæ quem in aula fere egimus, et concioni matutinæ utrique interfuimus ac sacræ Domini cœnæ interfuimus. Θεῷ χάρις.

III. *Prid. Eid. Jun.* Studia, amici. Θεῷ χάρις.

*Id. Jun.* Aula, studia, literæ et uxoris ἀσθένεια me hodie occuparunt. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Jul.* Ad D. Overalium hodie profectus reliquum tempus in literis scribendis posui, aut cum uxore, quam, O Deus, sana, et nos serva. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Redeunt ærumnæ veteres: uxor ægrotat et quidem valde. Te igitur, Deus æterne, appello supplex εἰς βοήθειαν ἐμοί. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Studia quantum per uxoris valetudinem licebat. Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Jul.* Bene valet uxor tuo, Deus æterne, beneficio immortali. O gratias tibi, laus et honos εἰς αἰῶνας αἰώνων. Amen. Hodie filia natu maxima et illi proxima sacræ Domini cœnæ participarunt.

Deus æterne, et illis, et nobis omnibus da tui timorem. Amen.

XIV. *Kal. Jul.* Studia ut quidem poteramus. *Θεῷ χάρις καὶ δόξα.* Amen.

XIII. *Kal. Jul.* Deus benedicat studiis, et servet me, meam, et meos. Amen.

XII. *Kal. Jul.* Benedic, Domine, ceptis meis et universæ huic familiæ.

XI. *Kal. Jul.* Studia, amici, literæ. Domine, benedic mihi et meis. Amen.

X. *Kal. Jul.* Studia *ἐγκύκλια* et amici me hodie habuerunt. Domine benedic meo huic incepto et meæ ac meis. Amen.

IX. *Kal. Jul.* Domine Deus, tu es *ὁ ἐμὸς κλῆρος καὶ τῶν ἐμῶν.* Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Concio, studia et id genus *ἐγκύκλια.* Deus me, meam, et meos servet. Amen.

VII. *Kal. Jul.* De filio natu maximo nihil nisi triste jamdudum audio. Miserere, Deus, et illius infelicis et mei, et meæ, et meorum. Amen.

VI. *Kal. Jul.* Rex et aliæ curæ me avocarunt a libris. Deus, benedic mihi et meis. Amen.

V. *Kal. Jul.* Officia amicorum pene ante lucem lecto me excitarunt, et diu occupatum habuerunt; inde studia. Deus, in te spero, miserere mei, et meorum.

IV. *Kal. Jul.* Ad optimum Bedvellum hodie sum profectus cum uxore. Deus et illum et nos servet.

III. *Kal. Jul.* *Τὰ ἐγκύκλια* in hoc penso. Deus benedicat mihi, meæ, meis. Amen.

*Prid. Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Sic mensis exactus tuo, Deus æterne, beneficio. Tibi honos et gloria. Amen.

FINIS SEXTI FASCICULI.

---

INCIPIT SEPTIMUS FASCICULUS.

*Kal. Jul.* Dies erat κυριακὴ, faustum hujus mensis principium, quem ut a sacrorum ἱερουργίᾳ sumus auspicati ego, uxor, liberi, ita ut pergamus magis magisque in dies te colere, Deus æterne, supplices te rogamus. O benedic, Πάτερ ἐπουράνιε, mihi, meæ, et meis. Amen.

VI. *Non. Jul.* Cepi hoc die quædam describere e chartis chronicis τοῦ μακαρίτου Linelei. Sciebam e scriptis, quæ videram, virum fuisse doctissimum; sed opinionem meam superant hæ chartæ chronologicæ, quas utinam vir magnus perfecisset, et edere potuisset. Constitui ea excerpere quæ ad annos Domini faciunt, usurus illis, σὺν Θεῷ, cum auctoris laude paullo post. Dabimus huic curæ plus temporis propter studium nostrum veri cognoscendi: quod da mihi, Πάτερ ἐπουράνιε, et mihi, meæ, ac meis benedice.

V. *Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Tu, Deus æterne, spes mea unica. Tibi gloria. Amen.

IV. *Non. Jul.* Ad Regem Grenovicum hodie profectus, multas tamen horas penso tribui. Tibi, Deus æterne, gloria, laus et gratia. Amen.

III. *Non. Jul.* Literæ, amici, nec multum in penso promovi. Deus, miserere.

*Prid. Non. Jul.* Studia satis acriter, nisi quod tristia, quæ de filii Johannis moribus intelligo, me exanimant. O Domine, miserere illius, et in rectam viam illum reduc, et nobis omnibus benedic. Amen.

*Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Tu, Deus æterne, medere malis meis et meorum, et nostri miserere. Amen.

VIII. *Eid. Jul.* Sacra σύναξις, amici, studia. Deus, in te uno spes mea. Amen.

VII. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed jussi ad aulam proficisci non parum temporis amisimus. Imo vero oculum dextrum pene amisimus, icti a nebulone quodam pugno cum in rheda veheremur ad Regem. Magnum omnino ictum accepimus, sine ulla plane caussa. Sed nimirum populus Angliæ sub miti imperio optimi Principum lascivit: τίκτει τοι κόρος ὕβριν, et longæ pacis mala hunc populum pati non est mirum. Deus servet Regem, qui florentem hanc præstat secundum Deum Rempublicam. Hodie suspensus est Milor Sacur Comes Scotus ex primaria nobilitate, et magnum humanæ vanitatis morte sua dedit exemplum. O da, Pater ἐπουράνιε, mihi, meæ, et meis te timere, et in quacunque vitæ parte te laudare, tibi pure servire. Amen. Infelicem filium Johannem siste in rectam viam, bone Jesu, et peccatis illius da veniam, oro te supplex. Amen.

VI. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Curæ et sollicitudines crescunt. Θεῷ χάρις, qui me dignatur varie exercere. Optimus etiam Rex novam opellam injunxit. Sed Deus aderit.

v. *Eid. Jul.* Literæ et aliquid in studiis. Θεῷ χάρις.

iv. *Eid. Jul.* Amici, literæ, studia. Domine Jesu, serva me, meam, et meos. Amen.

iii. *Eid. Jul.* Literas scripsimus, et paucas horas studiis dedimus. Θεῷ χάρις.

*Prid. Eid. Jul.* Et hodie literas scripsimus, neque studia neglexımus, quantum per curas ἐνδιαθέτους licebat. Deus æterne, respice ærumnas meas, et mihi, meæ ac meis da tui timorem. Amen.

*Eid. Jul.* Sacræ synaxi καὶ τῇ παναγίᾳ κοινωνίᾳ τοῦ σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ hodie interfuimus ego, uxor, liberi. Deus, da nobis tui timorem et nostris omnibus. Amen.

xvii. *Kal. Aug.* Literæ, amici: τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

xvi. *Kal. Aug.* Hodie legi multa apud Sixtum Senensem, virum sane doctum, et cui literæ sacræ multum debent. Θεῷ χάρις.

xv. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, Θεῷ χάρις, qui nos servet. Amen.

xiv. *Kal. Aug.* Mane pene amisi in tricis domesticis sane molestis. A prandio uxor cum fœmina primaria D. Kilegrew rus concessit, ad D. Kilegrew illius affinem. Deus salvas ducat et reducat, qui nos quoque servet, et filio Johanni bonam mentem dare dignetur. Amen.

xiii. *Kal. Aug.* Abest uxor: ego ad Regem hodie profectus multum eripui temporis studiis meis,

quibus Deus benedicat, et uxorem totamque domum servet. Amen.

xii. *Kal. Aug.* Deus uxorem mihi serva, me illi, et utrique liberos. Da nobis omnibus tui timorem, et miserere miseri Johannis. Amen.

xi. *Kal. Aug.* Concioni ego et liberi interfuimus. Jam ipse ad uxorem proficiscor. Tu, Domine, benedic nobis et nostris. Amen.

x. *Kal. Aug.* Heri ad uxorem profectus, mane hodie cum ipsa redii et turbas domi inveni. Sed tu compones, O Deus, et medeberis meis malis; miserere mei et meorum. Amen.

ix. *Kal. Aug.* Non multum hodie, neque nihil. Deus, benedic huic familiæ. Amen.

viii. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια et ad amicos literæ. Θεῷ χάρις. Amen.

vii. *Kal. Aug.* Hodie partem aliquam librorum, quos habeo in Gallia, accepi, tuo, Deus æterne, beneficio. Tibi honos et gloria. Tristia vero et de meis rebus et de publicis accepi, quæ tua, O τρισάγιε Θεὸς, bonitas vertet in melius, et, ut vertat, oro. Amen.

vi. *Kal. Aug.* Hodie observationes in Baronium serio sum aggressus. Nam hactenus magis paravi præsidia ad scribendum, quam scripsi; nunc Deo duce, ut confido, atque auspice, ad opus manum admovi. Da, Deus æterne, ea scribere, quæ faciant ad tui nominis gloriam, ædificationem Ecclesiæ, et salutem nostram. Nos quidem viribus deficimur et corporis et multo magis

ingenii. Sed quia speramus justam nos habere caussam operis suscipiendi, et gloriam tuam, O Christe Jesu, quærimus, sperabimus auxilium tuum non defuturum nobis, atque adeo, ut ne desit, te supplices vehementer oramus, obsecramus, obtestamur. Amen.

Vide in II. Kal. Mart. et V. Kal. Mai. in prid. Kal. Jan.

V. *Kal. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια, sed progredimur lente. Deus, ades. Amen.

IV. *Kal. Aug.* Concioni ego, uxor, et liberi omnes interfuimus. Sed utinam, O bone Jesu, quantum habemus cognitionis tuæ voluntatis, tantum haberemus facultatis vitæ ex præscripto tuæ voluntatis instituendæ. O da hoc nobis, Πάτερ ἐπουράνιε, mihi, inquam, uxori et liberis. Amen.

III. *Kal. Aug.* O Domine, accingo me itineri, si tua dabit clementia. Ades, et me, meam, ac meos bene duce. Amen.

*Prid. Kal. Aug.* Inter mille curas, mille molestias, mille ἀπορίας studia, quod possum, non negligo. Sed profecto si me non solaretur tua bonitas, O Deus, dudum defecissem. Tibi honos, laus, gratia et gloria. Amen.

*Kal. Aug.* Deus benedicat huic familiæ, det uxori suo tempore εὐτοκίαν, et illi, atque mihi, et liberis nostris τὸ ὑγιαίνειν σῶμα καὶ ψυχήν. Amen.

IV. *Non Aug.* Studeo, et labori non parco, sed non multum tamen promoveo. Tu, Domine Jesu, ades, et me, meam, et meos serva, ac nobis benedice. Amen.

III. *Non. Aug.* Ne nunc quidem multum profeci. Sed spero in Domino, et non confundar, scio.

*Prid. Non. Aug.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Deus, ades mihi, et meis. Amen.

*Non. Aug.* Diem κυριακὴν, ut potuimus, τῷ Κυρίῳ impendimus ego, uxor, liberi. Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Aug.* Studia et inceptum opus nos habuerunt admodum occupatos. Da, Πάτερ ἐπουράνιε, ne frustra cedant tot labores. Sed me hodie acceptus nuntius de obitu viri amicissimi atque optimi, Bongarsii τοῦ μακαρίτου, valde angit. Amisi enim amicum pietate, probitate et doctrina virum insignem. Accepi et de initiis motuum imprudentium longe tristissima et Galliæ nostræ perniciosissima. Ego consilia ministrorum, qui res administrant in Gallia, non capio: illud video humana illa nimis esse et valde periculosa. Tu, bone Jesu, ad bonum finem omnia dirige. Amen.

VII. *Eid. Aug.* Diem tristem et molestum. Totus fui in studiis, et promovi ne hilum quidem, ita curæ variæ animum meum agitant. Spero tamen in te, Deus æterne et omnipotens. O ades, et benedic huic domui. Amen.

VI. *Eid. Aug.* Lætiora in studiis hodie. Tuum hoc, Deus æterne, beneficium, qui meam tenuitatem respicies, et mihi benedices ac meis. Amen.

V. *Eid. Aug.* Hodie absolvi disputationem de prophetia Jacobi quam occasione Baronii eram aggressus. Siquid bene dixi, tuum id totum est,

Christe Jesu. Si erravi, meum hoc, sed tu da meliora, et miserere languentis. Amen.

IV. *Eid. Aug.* Alia curavimus hodie quam propositum. Sed talia multa accidunt. Deus, miserere mei. Amen.

III. *Eid. Aug.* Aliquod hodie in studiis. Θεῷ χάρις.

*Prid. Eid. Aug.* Κυριακὴν domi egimus ex caussa. Domine, miserere mei, meæ, et meorum. Amen.

*Eid. Aug.* Θεῷ χάρις, multa scripsi hodie: πάλιν Θεῷ χάρις.

XIX. *Kal. Sept.* Ad D. Archiepiscopum hodie sum profectus ad septimum hinc miliare, et mox sum reversus, et finem diatribæ imposui de Herode alienigena. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Sept.* Amici, studia leniter. Θεῷ χάρις. Hic dies insigni causone insignis.

XVII. *Kal. Sept.* Amici, et per occasionem scripta epistola adversus Scioppium mira sane celeritate. Mane ejusmodi nihil cogitabam, et scripseram jam ad D. Lingelshemium epistolam. Sed venere literæ ab Hœschelio quæ occasionem illi scriptioni adversus Scioppium præbuerunt. Deus ceptis benedicat * * * * * *. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* Literæ in Germaniam: studia deinde. Tu, Domine, benedice. Amen.

XV. *Kal. Sept.* Aliquid hodie etsi non multum. Benedic huic domui, Domine. Amen.

XIV. *Kal. Sept.* Κυριακὴν ego, et uxor, et liberi a concione orsi sumus non sine magna voluptate audita concione pii viri Capelli. Θεῷ χάρις.

XIII. *Kal. Sept.* Aliquid in studiis. Θεῷ χάρις, qui me, meam et meos respiciat. Amen.

XII. *Kal. Sept.* Aliquid hodie. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις. Amen.

XI. *Kal. Sept.* Disputationem de sectis Hebræorum hodie absolvi, tuo, Deus mi, beneficio. Tibi honos et gloria. Amen.

X. *Kal. Sept.* Literæ hodie a Rege de me ad D. Julium Cæsarem amantissime scriptæ. Deus ipsum servet. Amen.

"Chanceler of my Excheker, I will have Mr. Casaubon paid befor me, my wife, and my barnes," manu ipsius Regis.

IX. *Kal. Sept.* Neque studia processerunt, ut optabam, et multa impedimenta sunt oblata, fuitque domi fœmina primaria et honestissima uxor D. Legati Gallici. Tu, Domine, me respice, et meos. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Quædam hodie de Mercurio Trismegisto, sed quæ mox displicuerunt. Deus meæ familiæ et studiis benedicat.

VII. *Kal. Sept.* Concio et τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Sept.* Domine Jesu, ades mihi, meæ, et meis, ac nos in tui timorem dirige. Amen.

V. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια, sed inter varias curas et impedimenta. Θεὸς, ἐλέαιρε.

IV. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεὸς ἵλεως εἴη. Amen.

III. *Kal. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις καὶ δόξα. Amen.

*Prid. Kal. Sept.* Parum hodie, nec semper præstamus, quod volumus. Sed præstamus, quan-

tum tua, Deus bone, concedit nobis benignitas. O fac, Πάτερ ἐπουράνιε, ut omnes nostri conatus et meorum omnium ad tuam gloriam referantur. Amen.

*Kal. Sept.* Mensem dedisti auspicari, bone Deus, non sine testimonio tuæ benedictionis. Quod vivimus, quod spiramus, tui id beneficii est. O ades, bone Deus, et mihi, meæ ac meis da tui nominis timorem, et quia imminet tempus partus, da, cælestis Pater, illi εὐτοκίαν, et benedic huic domui. Amen.

IV. *Non. Sept.* Ego, uxor, liberi concioni de more interfuimus: deinde literas Lutetia accepimus, unde nihil jamdudum nisi triste accepimus. Sed fiat Dei voluntas. Amen.

III. *Non. Sept.* Ægrum animi sed uxoris solatiis fruentem mirum non est inter curas molestas et studia diem divisisse. Te, Deus mi, respicio, a te opem atque auxilium peto: scis quid me urat in Gallia. Tu medere malis nostris per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

*Prid. Non. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Amen.

*Non. Sept.* Literæ ad amicos: studiis quædam horæ impensæ. Θεῷ χάρις, qui O velis servare hanc domum, et uxori dare εὐτοκίαν. Ναὶ, Κύριε ὦ σῶτερ. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Hodie vidi missum a Rege librum Puteani adversus me, et risi: imo dolui furorem hominis non indocti. Deinde alias curas sustinui graves. Sed in te, Deus æterne, spero. Θεῷ χάρις.

VII. VI. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Amen.

V. *Eid. Sept.* Dies sacra partim in templo, partim in studiis non alienis a pietate acta. Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Sept.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Amen.

III. *Eid. Sept.* Aliquid hodie. Θεῷ χάρις.

*Prid. Eid. Sept.* In chronologicis aliquid promovimus, quæ utinam pars operam nostram non desideraret in Baronio. Deus, ades.

*Eid. Sept.* Aliquid hodie, si tamen manebit. Deus, ades. Amen.

XVIII. XVII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Oct.* Sacrosanctæ cœnæ Domini hodie communicavimus ego, uxor, filiæ. Sit Deo laus, honos et gloria. Amen.

XV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, sed leniter. Nam apud Legatum fui, et D. Karreu invisi. Τῷ Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. O serva hanc domum, Pater cælestis. Amen.

XIII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. O esto propitius, Deus æterne. Amen.

XII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεὸς εὐμενὴς εἴη. Amen.

XI. *Kal. Oct.* Multum hodie scripsimus, utinam aliquid λόγου ἄξιον. Tu facies, Deus æterne. Amen.

X. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, sed inter impedimenta. Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Oct.* Sacræ concioni Anglicæ hodie interfui. Uxor ægrotat. Fenestræ meæ ut sæpe lapidibus impetitæ. Deus, da consilium. Amen.

VIII. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, sed leniter. Θεὸς, ἐλέαιρε. Amen.

VII. *Kal. Oct.* Aliquid hodie, sed multum me impedivit cura illustrissimi Archiepiscopi de injuria nuper mihi facta. Τῷ Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια satis strenue, Dei gratia, qui velis, O bone Deus, uxori εὐτοκίαν dare, et omnibus τοῦ σοῦ ὀνόματος τὸν φόβον. Amen.

V. *Kal. Oct.* Literæ et aliquid in penso. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια ut poteram. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed miserere, misesere peccatoris, Christe Jesu, et meis, meæ, ac meorum conatibus benedice. Amen.

*Prid. Kal. Oct.* Concio, cui bonitate Dei ego, uxor semi ægra, et liberi omnes interfuimus. Miserere, bone Jesu, tuorum inutilium servorum. Amen.

*Kal. Oct.* Non optime hodie valui; parum igitur in penso promovi. Sed tu, Deus immortalis, qui dedisti mensem inchoare, ades, et da mihi, meæ et meis ad finem pervenire, et ulterius, si placet. Instat uxoris partus; ego sollicitus spem omnem meam in tua ope, bone Jesu, pono, et supplex veniam delictorum te peto. O ades. Amen.

VI. *Non. Oct.* Dolor dentium me hodie avocavit a libris. Tu, Domine, ades. Amen.

V. *Non. Oct.* Crescit dolor, atque ego me tradere medico sum coactus. Ita deseritur incep-

tum, quod ut aliquando perficiam, da mihi, Pater cælestis. Amen.

IV. *Non. Oct.* Hodie purgatio intermissa ob febrem et vires prostratas. Sed tu restitues, Deus æterne. Amen.

III. *Non. Oct.* Hodie carthartico sum purgatus, et bene cessit, Dei beneficio: tibi sit laus, honos et gloria. Amen.

*Prid. Non. Oct.* Hodie quum valerem meliuscule ad pensum redii, et annum Domini trigesimum primum sum aggressus. Te supplex oro, Deus æterne, ades inceptis, et benedic mihi, meæ, et meis. Amen.

*Non. Oct.* Κυριακὴν diem propter reliquias morbi egi domi. Uxor etiam hodie partui proxima, volente Deo, concioni interfuit. Tu, Domine, illam serva, et da ipsi εὐτοκίαν et nobis omnibus bonam mentem. Amen.

VIII. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις, qui nos serva, O bone Deus. Amen.

VII. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, etsi sentimus reliquias τῆς ἀρρωστίας, quas sana, O Deus, et nobis benedice omnibus. Amen.

VI. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Da, bone Deus, εὐτοκίαν uxori, et εὐστάθειαν domui. Amen.

V. *Eid. Oct.* Hodie Regem vidi, quem Deus servet; multa ille mihi dixit, quæ scire me mea intererat. Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Oct.* Meditatio de quæstione gravi me habuit. Tu, Domine, dirige mentem et calamum,

et da uxori meæ εὐτοκίαν, et benedic universæ domo.

III. *Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

*Prid. Eid. Oct.* Κυριακὴ erat et prima mensis. Itaque ego, uxor, et filiæ sacrosanctæ cœnæ Domini communicavimus. Benedic, Christe χρηστὲ, nobis omnibus, et da uxori εὐτοκίαν. Amen.

*Eid. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις, quem supplex veneror ut det uxori εὐτοκίαν et nos servet. Amen.

XVII. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεὸς, ἐλέαιρε καὶ τὴν ἐμὴν, καὶ ἐμὲ, καὶ τοὺς ἐμούς. Amen.

XVI. *Kal. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις, quem veneror supplex ut uxori det εὐτοκίαν, et nobis omnibus τὰ λῷστα. Amen.

XV. *Kal. Nov.* Mane τὰ ἐγκύκλια. A prandio amici. Deinde uxor habuit magna indicia imminentis partus. Itaque supplex, O Domine, ad te confugio, opem atque auxilium te poscens. Da Pater cælestis, matri εὐτοκίαν· infanti nascituro da, ut tuus sit, tibi consecratus, utque in timore nominis tui educatus tibi serviat suo tempore. Amen.

XIV. *Kal. Nov.* Domine Jesu, Christe χρηστὲ, Servator mundi unice, quas ego tibi grates agam? quibus verbis exprimam quantum tibi debeo? Omitto vetera, omitto quotidiana beneficia. Hodiernum ut recentissimum ita longe maximum est. Uxor jam ferme effœta et exhaustis viribus infantem peperit masculum, τὸν ὄγκον τηλικοῦτον, ut miremur ego atque illa illi suffecisse vires ad tam difficilem partum.

Sed tua, Deus æterne, adfuit illi dextera, et auxilium tuum illi paratum fuit. Dolores acerrimi fuerunt, sed ὀλιγοχρόνιοι, beneficio tuo, Domine Jesu. Secuta est λειποθυμία post partum sane gravis; sed tamen etiam ex illo incommodo nunc respirat ἡ φιλτάτη. Itaque melius omni ex parte nobiscum agitur, quam vel optare ipsi possemus. O cælestis Pater, tot tantisque beneficiis tuis erga me, erga uxorem et meos adde hunc cumulum duplicem pro tua inexhausta misericordia, ut et nos omnes memores, et assidue meditantes quantum tibi debeamus, ad omnem humilitatem nos componamus et devotionem quotidie incendamus tibi pie sancteque serviendi. Alterum est, ut digneris nato hodie infanti benedicere, et ad gloriam tuam promovendam ἱκανοῦν αὐτὸν καὶ πάντας ἡμᾶς. O exaudi, æterne Deus, per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto sine principio, sine fine vivit, regnat, imperat εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

Die Veneris post sextam matutinam, 9 Oct. stylo Angl.

XIII. *Kal. Nov.* Diem totum uxori impendi, bene alioquin pro tempore valenti, quo nomine immortales tibi, Deus æterne, gratias ago, et supplex oro, ut et illam, et me, et omnes liberos, universamque familiam serves, sospitesque. O Domine, in te uno spes omnes nobis sitæ. Amen.

XII. *Kal. Nov.* Et hunc diem partim cum uxore, partim cum vetere amico D. Turqueto egi, nisi quod sacræ concioni interfui. Et uxor quidem febri

subita correpta est a cœna. Sed quia id credimus ortum a lactis scaturientis copia, non metuimus graviora. Ego vero in tua, Deus æterne, bonitate spes omnes meas habeo repositas; itaque confundi non metuo. Miserere, Domine.

XI. *Kal. Nov.* Hodie ad libros redii. Sed uxor parum commode habens revocat me ad se. Tu, Deus æterne, illam sana, et nos serva omnes. Amen.

Nugæ Rabbinicæ in voce, עדקה. ע=90. ד=4. ק=100. ה=9. =199. Possidenti 199 ▽ debet præstari eleemosyna, non debet possidenti 200. Fag. in Piræ. A. p. 114.

X. *Kal. Nov.* Meliuscule uxor hodie valuit. Τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις.

IX. *Kal. Nov.* Aliquid in studiis, non multum, promovi. Domine Jesu, redde uxori priorem εὐεξίαν, et nos serva. Amen.

VIII. *Kal. Nov.* Literæ; studia fere neglecta. Deus, nos respice. Amen.

VII. *Kal. Nov.* Studia plane jacent, occupor enim varie, neque uxor optime valet. Sed da, Domine, meliora. Amen.

VI. *Kal. Nov.* Uxor gravissimos dolores capitis est experta, sed meliora speramus indies. Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Nov.* Hodie apud Regem fui, optimum semper Principem, cui Deus benedicat, et nos quoque servet. Amen.

IV. *Kal. Nov.* Hodie vix libros vidi, dum de sus-

ceptoribus futuris cum Rege sum sollicitus. Θεῷ χάρις.

III. *Kal. Nov.* Hodie ne vix quidem: et circa hoc negotium tam multæ difficultates oriuntur ut valde excrucier: tum autem uxor male habet. Omnino in solo Deo spes et solatium mihi. Amen.

*Prid. Kal. Nov.* A studiis feriati sumus hodie: itaque friget opus nostrum. Tu, Deus immortalis, da strenue aliquando pergere. Amen. Et pro exacto mense, salva uxore, me et liberis, etiam nuper nato, magnas tibi, Deus omnipotens, gratias.

*Kal. Nov.* O da felicem ire hunc mensem, Πάτερ ἐπουράνιε. Initia quidem sunt molestissima, et ἡ ἀσθένεια τῆς φιλτάτης * * * * * me angit. In te sperabo, bone Jesu. Tu vulnera facis, tu sanabis. Γένοιτο. γένοιτο.

IV. *Non. Nov.* Uxor non valet: tota domus fervet ob apparatum crastini diei: ego vix ut canis e balneo libros aspicio. Domine, respice hanc domum benignus. Amen.

III. *Non. Nov.* Hodie sacro lavacro tinctus est nuper natus filiolus, cujus susceptor esse dignatus est optimus et clementissimus Rex, qui de suo nomine gloriosissimo illi nomen dedit Jacobo. Locum Regis tenuit reverendissimus Episcopus Dominus Bathoniensis: adfuit baptizando et Dominus Episcopus Lichfeldensis vicariam operam præstans pro illustrissimo D. Archiepiscopo, qui fuit alter susceptor. Susceptrix autem fuit uxor

D. Karew olim Legati apud Regem Christianissimum. Tu, Domine Jesu, qui pro tua inexhausta bonitate dedisti gratiam invenire apud Regem Magnæ Britanniæ, da sic gratia et favore tanti Principis uti, ut omnia dicta factaque mea ad nominis tui gloriam et Ecclesiæ tuæ ædificationem referantur. Da etiam infanti Jacobo ut, educatus in vera pietate, tibi suo tempore servire pura mente et affectu sincero queat, utque omnes et parentes et liberi post decursum hujus caducæ vitæ spatium gaudiis cælestibus perfruamur, et contemplatione tui olim satiemur. O exaudi, Deus æterne, per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat, imperat, sine principio sine fine. Amen.

*Prid. Non. Nov.* Κυριακὴν apud Regem fere posuimus, unde reversi ad intermissa studia rediimus, quæ serio posse repetere da mihi, Deus æterne, et huic domui benedice. Amen.

*Non. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια utcunque. Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Nov.* Ad Regem hodie, et omissa fere ἐγκύκλια. Θεὸς ἵλεως εἴη.

VII. *Eid. Nov.* Aliquid hodie. Deus ceptis benedicat. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Hodie rus delatus est Jacobus noster, quem, Deus æterne, serva, et nobis benedice omnibus. Amen.

V. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια, et fervet opus. Sed tu, bone Jesu, dirige mentem meam et calamum meum, et omnia dicta factaque mea et meorum. Amen.

IV. *Eid. Nov.* Hodie cursum abrupi operis Baroniani, sed ad tempus, cum bono Deo. Cepi enim describere, quæ scripta erant. Tu benedic, Domine Jesu, mihi, meæ, et meis. Amen.

III. *Eid. Nov.* Apud Regem optimum partem τῆς κυριακῆς posui, partem studiis dedi. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen..

*Prid. Eid. Nov.* Describo nuper scripta; aliud nihil. Benedic, bone Jesu. Amen.

*Non. Nov.* Fui apud Regem, qui aliquid novi oneris mihi imposuit. Deus ceptis benedicat. Amen. Idemque me, meam, et meos servet.

XVIII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια in descriptione inchoata. Sed me amici hodie occupatum habuerunt apud Miræum Regis Pharmacopœum. Tu, Deus, benedic. Amen.

XVII. *Kal. Dec.* In luctu, Deus æterne, versamur cum omnibus bonis civibus. Jacet æger gravissime Princeps Henricus, spes altera regni hujus et Ecclesiæ. Tu, bone Jesu, exaudi preces parentum, totius regiæ domus, imo omnium piorum totius Angliæ. Tu potes, bone Jesu, ex Orco revocare in vitam, quos volueris cunque. In te igitur uno et solo speramus, et uni tibi ac soli vota nostra facimus. O exaudi, Deus æterne, per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto in unitate essentiæ vivit, regnat, imperat. Amen.

XVI. *Kal. Dec.* Adhuc anxii et solliciti de salute magni Principis, te, Deus æterne, oramus, obse-

cramus, producas illi vitam, si placet, ad promovendam gloriam tuam et solatium Parentum et omnium bonorum hujus regni. O exaudi vota nostra, Deus æterne. Amen.

XV. *Kal. Dec.* Heu miseri mortales, quid sumus? Vere σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. Jacet vi morbi extinctus ingentis exspectationis Princeps Walliæ, decus principum æqualium, spes altera hujus regni, amor omnium bonorum. Sperabant omnes eas illi vires corporis, quæ salvum et valentem quam diutissime ipsum essent præstituræ. Spondebat hoc ratio vitæ probe et modeste institutæ, et singularis pietas. Sed heu falsæ sunt spes nostræ, neque aliud restat, quod dicamus, nisi illud unum, Θεοῦ ἐτελείετο βουλή. Solare optimos Parentes, Regem et Reginam, fratrem etiam et sororem, et refunde illis quod videtur τῷ μακαρίτῃ negatum. O serva hoc regnum, Deus æterne, et novis fulcris illud subinde fulci, per Jesum Christum Filium tuum, qui una cum Patre et Spiritu Sancto vivit, regnat, imperat. Amen.

XIV. *Kal. Dec.* Deo dicatam diem ex parte divino cultui impendimus, mœsti ob tam tristem casum. Sed Θεοῦ ἐτελείετο βουλή. Illi gloria. Amen.

XIII. *Kal. Dec.* Studia et literæ ad amicos. Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια in descriptione. Θεῷ χάρις.

XI. *Kal. Dec.* Aliquid hodie, sed amici me habuerunt. Θεῷ χάρις.

x. *Kal. Dec.* Pergo in descriptione. Tu, Domine, benedic. Amen.

ix. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια in molesto negotio descriptionis. Sed ita oportet. Tu, Domine, benedic. Amen.

viii. *Kal. Dec.* Hodie rescivi de obitu viri nobilis et inter Anglos magni Domini Karew. Illum nuper Serenissimus Rex magna dignitate ornaverat, qua diu usus non est. Ea est rerum humanarum vanitas. Tu, Pater ἐπουράνιε, da tot exempla proficere et mihi, et meæ, ac meis omnibus, ut de te dies noctesque cogitantes parati semper simus ad fatalem horam per Jesum Christum, qui una cum Deo Patre Deus ipse et Spiritu Sancto Deo regnat sine principio, sine fine. Amen.

vii. *Kal. Dec.* Hodie vidi Regem sane mœstus mœstum et multum ab illo mutatum. Vidi et viduam amici veteris D. Karew. Nihil video præter tristia. Sed mea spes omnis in Deo. O serva me ac meos, qui solus potes. Amen.

vi. *Kal. Dec.* Hodie literas ab optimo virorum Thuano accepi, quibus facit me certiorem de obitu D. Fabri viri probitate et doctrina excellentissimi. Amisi amicum, quem ipse venerabar, et quem sciebam me amare. Ita amici me deserunt. Ego interim ut non inutilis gloriæ Dei vivam, supplex Deum veneror, et ut mihi, meæ, et meis adsit. Amen.

v. *Kal. Dec.* Pergo adhuc in descriptione. Tu, Deus æterne, rege hanc domum. Amen.

IV. *Kal. Dec.* Hodie literas Lutetia accepi de rebus meis, ut semper, molestas. Sed Deo me, meam et meos permitto. Hodie præparatio facta ad crastinum jejunium in Ecclesia Gallica, cui interfuimus *πανοικί. Θεῷ χάρις.*

III. *Kal. Dec.* Quod Deus benedicat, diem hodiernum ego, uxor, liberi in templo egimus, et in dictum jejunium, quantum in nobis erat miseris peccatoribus, sanctificavimus. Tres ministros audivimus pie et erudite docentes. Deus æterne, benedic *ταύτῃ τῇ τῆς εὐσεβείας ἀσκήσει*, et da ut ad te serio convertamur, per Jesum Christum, qui una tecum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit, regnat æternum. Amen.

*Prid. Kal. Dec.* Hodie quod sit faustum et lætum benedicente Deo, quæ descripseram operis inchoati, misi ad D. Archiepiscopum Cantuariensem, omnia ejus judicio permittens. Tu, Deus æterne, ceptis nostris benedice, et serva hanc familiam. Amen.

Envoié a Mons$^{r}$. l'Archevesq six demi et mais de papier de mon livre contre Bar.

*Kal. Dec.* Quod sit felix et faustum, attigimus ultimum anni mensem, quem ut læti exigamus da, Pater cælestis. Amen.

IV. *Non. Dec.* Sacræ concioni interfuimus ego, uxor, liberi. De filio Johanne illætabilia audivimus. O Deus bone, restitue illum in rectam viam. Amen.

III. *Kal. Dec.* Inchoatam nuper descriptionem

hodie absolvi, et literas ad multos amicos scripsi. Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Dec.* Cum amicis, quos invitaveram, atque imprimis Sculteto diem perfeci. Deo charis et laus.

*Non. Dec.* Literas hodie scripsi, et ad pensum cepi redire. Deus benedicat. Amen.

VIII. *Eid. Dec.* Ad pensum serio redire volui, sed librum Witakeri de conciliis amisi, qui dum quæritur, totum fere mane periit. Deus, ades. Amen.

VII. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Fui apud Dominum Archiepiscopum. Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

V. *Eid. Dec.* Die sacro concio, et τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

IV. III. *Prid. Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια et carmen epitaphium in Principem. Θεῷ χάρις.

XVIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια et ἐπίσκεψις Legati Galliarum. Θεῷ χάρις.

XVII. *Kal. Jan.* Hodie cœnæ Domini communicavimus ego, uxor, liberi. Laus et gratiæ Deo immortali.

XVI. *Kal. Jan.* Hodie ductum est funus illustrissimi Principis magno cum dolore omnium bonorum. Deus Regem et regiam domum servet. Amen.

XV. *Kal. Jan.* Ad annum Christi pervenimus trigesimum quartum. Det Deus reliqua per-

texere ad gloriam nominis ejus, et ædificationem Ecclesiæ, qui etiam servet me, meam et meos *ἐν τῷ ἑαυτοῦ φόβῳ*. Amen.

XIV. *Kal. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια* Dei gratia, et annus ille inchoatus. Serva, Deus, et me, et meos. Amen.

XIII. *Kal. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια*, sed lente, et uxor parum valet. Domine Jesu, respice me, meam et meos. Amen.

XII. *Kal. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια*, sed lente ob rerum difficultatem, et valetudinem meorum. Sed tu, Domine Jesu, serva nos. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια*, sed lente. Uxor parum valet. Ego modo didici Anglum quendam, ex invidia et improba æmulatione, ausum esse opus, quod jussu Regis aggressus sum, ipsum quoque aggredi, et tradidisse partem edendam hic. Vidi titulos, et vix mihi persuadeo ipsum non grassatum furto in mea scripta, quæ tam multi jam viderunt. O invidiam! O improbitatem! Nam si tale quid parabat, cur dissimulavit? Ego illi paratus fui *ἐκχωρεῖν*. Nunc, illo antevertente, quid consilii capiam, nescio. Puto Savilium, quem mihi olim descripsit Scaliger, esse auctorem consilii. Tu, Deus æterne, mea consilia rege. Amen.

X. *Kal. Jan.* Concio hodie, et a concione amici. Vidi beneficio amicissimi Sculteti librum in Baronium quem scripsit ille invidiæ filius ex suggestione Savilii invidiæ patris. Tu, Deus, da consilium, et me serva ac meos. Amen.

IX. *Kal. Jan.* De tempore Paschatis σταυρωσίμου Domini, in quo multa ardua. Tu, Deus, ades mihi, meæ et meis. Amen.

VIII. *Kal. Jan.* Parum hodie aut potius nihil. Sed tu, Domine Jesu, ades et in hoc incepto, et in tota vita, mihi meisque. Amen.

VII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, Dei gratia, qui benedicat huic familiæ. Amen.

VI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια per gratiam τοῦ μεγαλοῦ Θεοῦ, qui nos servet et donet sui timorem. Amen.

V. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια Θεοῦ χάριτι, qui servare nos dignetur. Amen.

IV. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Amen.

III. *Kal. Jan.* Diem sacrum egi apud Regem. Τῷ Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις. Sed admonet me hic dies ut animo repetam totius hujus anni jam exacti cursum, et ad animum revocem tua ingentia, O bone Jesu, erga me, meam et meos beneficia. Videor posse dicere non temere alium annum egisse me, in quo magis continuam benignitatem tuam sim expertus cum uxore et tota familia. Morbi aut mei aut uxoris aut liberorum vel leves vel nulli: rei familiaris difficultates nullæ, ὅτι καὶ λόγου ἄξιον. Ego, uxor, liberi in sua quisque vocatione pensa nostra satis diligenter curavimus. Quum ante paucos menses opus adversus Baronium essem aggressus ad 400 jam paginas et amplius confeci. Liberorum numerum filiolo auxisti, Deus bone, et uxori εὐτοκίαν

dedisti, utrique ut ea occasione maximi Regis benevolentiam experiremur. Pono inter læta filiorum institutionem in literis, virtute, et pietate. Denique si quid adversi mihi contigit, id per filium natu maximum accidit, quem video, nisi Dei miraculo servetur, in periculosissimo loco consistere. Et hoc quidem tristissimum est. Cætera vero satis læta. Quamobrem, Deus æterne, tantis a te acceptis beneficiis ago tibi quantas maximas possum gratias, non pro rei merito, nec quantas debeo, sed quantas certe possum maximas, tibi uni omnia, quibus fruor, bona ferens accepta, te unum *σωτῆρα*, unum *εὐεργέτην*, unum *ἐμοὶ τὰ πάντα*, et agnoscens mente humili, et prædicans gratissimo animo, idque unum a majestate tua petens, Deus æterne, ut propter te ipsum et propter meritum mortis Christi pergas benedicere huic domui, nos servare, nos tuo Spiritu regere, ut facta dictaque nostra omnia ad nominis tui gloriam, ædificationem Ecclesiæ tuæ, et salutem nostram dirigantur. Tege, O clementissime Domine, mea, meæ et meorum peccata; largire mihi et uxori prudentiam idoneam regendæ huic familiæ; rege facta, rege dicta nostra, ut et præceptis et exemplis liberos nostros in vera pietate instituamus. Johannem juvenem infelicem, O Pater, siste in rectam viam. Peccavimus, peccavimus, peccavimus: et judicia tua justa sunt. Sed miserere, O Deus, et cor illi finge tibi gratum. Reliquis liberis da proficere *κατὰ σῶμα καὶ ψυχὴν*

cum tua benedictione. Sororem meam misellam respice benignus, et reliquos ἐμοὶ πρὸς γένος. Rem familiarem in Gallia pene eversam restitue in integrum. Studiis meis benedic et universæ domui. Nutantem uxoris charissimæ valetudinem confirma, et nos omnes serva ἀνόσους καὶ ἀπημάντους, per Jesum Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum, cui una tecum, Pater cælestis, et cum Spiritu Sancto sit, et nunc et semper εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων honos, laus et gloria. Amen.

ANNUS CIↃ DC XIII.

*Kal. Jan.* Ergo ingredi novum annum dedisti tu mihi, Deus τρισάγιε, dedisti uxori, et liberis nostris. Agnosco τὴν ἄφατον καὶ ἀνεκλάλητον erga me et meos patientiam tuam, agnosco et totus contremisco, jure metuens ne hæc semper lenitas tua, bone Deus, irritata ad extremum peccatis meis et meorum, male vertat mihi et meis. Ego sum, O Domine, illa arbor, in qua colenda tua bonitas nihil reliqui fecit, cum sperares et jure tuo exigeres a me fructus tuis beneficiis respondentes. Ego et mea et mei sumus illa vitis, sancto tuo Prophetæ Isaiæ descripta, tanta fide, tanto studio, tanta diligentia a te curata. Sed heu et ego, et mea, et mei arbores sumus ac vinea ἄκαρπος, sine fructibus bonis certe, et exspectationem tuam, bone Deus, hactenus fefellimus. Facimus, non quæ par erat bona opera, sed quæ par erat vitare πάσῃ

σπουδῇ καὶ μηχανῇ mala opera, ea facimus, et sanctissimum Numen tuum peccatis quotidianis nostris in nos irritamus. Itaque si nos perditum iveris, Deus τρισάγιε, et ipsum ad pœnitentiam aditum nobis præcluseris, quid queramur, aut dicamus, nihil habemus, præter hoc unum, peccavimus, peccavimus, et judicia tua justa sunt, O mundi universi Judex æquissime. Sed scimus te clementissimum esse Patrem, et erga miseras creaturas tuas longe indulgentissimum. Non enim mortem cupis peccatorum, sed ut pœniteat illos, et ut resipiscant. Quin potius tantum ipse mundum amasti, opus manuum tuarum, ut Filium tuum, Filium unigenitum dederis, ut quicunque in illum sit crediturus, vitam habeat æternam. Hac ego fretus spe, quia perfecte bonus es, et perfectum ἱλαστήριον proposuisti, in Filio tuo supplex et γονυπετὴς ad pedes Majestatis tuæ accedo, pacem et veniam pro delictis meis, meæ et meorum te petens, et misericordiam tuam implorans. Miserere nostri, miserere nostri, Deus æterne, Deus ὑπεράρρητε, et tegens præteritas noxas, rege τοῦ λοιποῦ me, meam, et meos, ut dicta, facta nostra ad nominis tui gloriam semper referantur, Ecclesiæ tuæ ædificationem et salutem nostram. Da omnibus nobis ut κατὰ σῶμα καὶ ψυχὴν ἐρρωμένοι tibi et toto hoc anno et toto reliquæ vitæ curriculo fideliter inserviamus. Sana languores nostros. Utimur enim ego, uxor, pars major liberorum ancipiti valetudine: uxor præsertim, et Anna, quas, bone Deus, præsta sanas

et valentes. Ναὶ δέομαί σου, Κύριε. Da mihi et uxori pie ac prudenter προστῆναι τῆς οἰκίας, benedic laboribus nostris et inceptis. Opus quod sum aggressus da sic persequi, itaque in eo mentem calamumque meum rege, et dirige, ut nihil mihi excidat aut cum cælesti doctrina Verbi tui parum consentiens, aut eo viro parum dignum, qui scopum in scribendo habet propositum, gloriam tuam et proximi utilitatem. Miserere filii Johannis, et in viam rectam illum siste. Miserere, Pater, ovis ἀλωμένης: cæteros liberos inspira ad omne bonum opus; pietatem infunde in eorum animos, ingenium largire idoneum capiendo cultui ætati ipsorum convenienti; filios, filias orna virtutibus omnibus, illos etiam cognitione literarum et scientiarum. Rem familiarem dudum eversam et prope jam nullam stabili, ac consilia suggere mihi, et meæ, piæ prudentiæ plena. Sororem miseram, et omnes, qui me contingunt, pene omnes miseros, subleva in suis ærumnis. Hæc peto a te supplex, τρισάγιε Θεὸς, et quæ scis ipse mihi, meæ et meis expedire per Jesum Christum τὸν μονογενῆ Filium tuum, qui una tecum, Pater ἐπουράνιε, et cum Spiritu Sancto tuo sine principio sine fine nunc et semper vivit, regnat, imperat. Γένοιτο. Γένοιτο. Amen. Amen. Amen. Hodie fui in aula, sed Rex leviter ægrotabat, nec potuit concioni interesse. Tu, Domine, illum serva ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον. Amen.

IV. *Non. Jan.* Literas hodie scripsi, sed tamen ad pensum tandem redii. Τῷ Θεῷ χάρις.

III. *Non. Jan.* Hunc diem impendi lectioni Jael Mosis B. M. quod est opus excellentissimum. Deus benedicat studiis meis, et det ante omnia de vera pietate assidue cogitare mihi, meæ, et meis. Amen.

*Prid. Non. Jan.* Hoc die celebravimus in aula Regis *εὐσεβεστάτου*, Natalem Domini et S. Cœnæ participes sumus facti. Rex optimus ostendit nobis librum cui titulus *Catechesis Ecclesiarum Poloniæ et Lithuaniæ quæ colunt unum Deum Israelis, et hominem Jesum*, etc. quo libro nullus scelestior, nullus detestabilior a multis seculis est editus. Et ausus tamen auctor illum dicare Regi Magnæ Britanniæ. O scelus! Domine Jesu, dele ex memoria hominum has impietates. Amen.

*Non. Jan.* Pensum per aliquot dies intermissum, et tempus sumptum ad acrem meditationem de sacra Eucharistia. O Domine, illustra mentem meam. Amen.

VIII. *Eid. Jan.* Ad Regem hodie non ivi, neque domo sum egressus. Tu, bone Deus, Servator mi, serva me, meam et meos. Amen.

VII. *Eid. Jan.* Varia studia, et præparatio ad disputationem de Cœna Domini adversus Baronium. Tu, Domine Jesu, illustra mentem meam, et nos serva. Amen.

VI. *Eid. Jan.* Ad proxime tractandam quæstionem me paro: sed tu, O Deus, *ἱκάνωσον τὸν τὸ μηδὲν ὄντα*. Vidi Regem Dei beneficio valentem, et, ut valeat, te supplex, Deus æterne, oro. Serva et hanc domum, O Deus. Amen.

v. *Eid. Jan.* In Dionysio Areopagita totum diem fui, non fortasse inutiliter, si faverit ceptis divina clementia. Sed me angunt multa, imprimis morbus repentinus, et quidem, ut videtur, satis gravis, duorum liberorum Merici et Annæ. Sed tu, bone Jesu, eos sanabis, si placet, et nobis servabis. Quod ut facias, te supplices pater et mater oramus. Amen.

iv. *Eid. Jan.* Ultimus est dies anni Anglicani; parum sane lætabilis. Uxor gravissima febre et doloribus capitis ac tibiarum laborat. Anna et Johanna febricitant graviter. Studia jacent. Vides, bone Deus, meas ærumnas. Oro te supplex, liberes domum meam morbis, et nobis omnibus des veram pietatem. Amen.

iii. *Eid. Jan.* Erat dies Kal. Jan. anni Anglicani quem nos ut et hesternum auditione verbi divini sanctificavimus. Deus benedicat mihi, meæ et meis. Amen.

*Prid. Eid. Jan.* Deus mi, Deus mi, redde uxori valetudinem priorem, et nos omnes serva, ac dirige dicta factaque nostra. Amen.

*Eid. Jan.* Ad Regem, prout soleo καθ' ἑκάστην κυριακὴν, sum profectus, et vasis sex argenteis, strenarum nomine, ut est illi moris, sum ab ejus Majestate donatus. Deus immortalis servet tantum Principem, et regiam totam domum. Amen.

xix. *Kal. Feb.* Vix libros hodie vidi, nec optime valui. Deus æterne, serva nos omnes. Amen.

xviii. *Kal. Feb.* Apud Regem hodie fui. Pensi mei magnitudinem magis magisque agnosco, et

parte succumbo, imo plane deficerem, nisi tua, bone Jesu, me bonitas bene sperare faceret. Tu meam mentem illustra et rege. Amen.

XVII. *Kal. Feb.* Adhuc paro me ad futuram scriptionem, si tua, Deus æterne, gratia adfuerit. O ades mihi et meis. Amen.

XVI. *Kal. Feb.* Necdum ad opus redii. Tu, Domine, ades, et præsta otium, et mihi meisque bonam valetudinem. Amen.

XV. *Kal. Feb.* Adhuc in apparatu versamur, et det bonitas Jesu, ut ea dicamus, scribamus, quæ sint futura ipsi grata. O respice me, meam et meos, bone Deus. Amen.

XIV. *Kal. Feb.* Ne nunc quidem ad scriptionem animum appulimus. Ardua enim quæstio est. Sed tu, Domine, ades, et φώτισον ἡμᾶς καὶ σῶσον. Ἀμήν.

XIII. *Kal. Feb.* D. Marii concionem hodie audivi in illa φλογιζομένῃ ὑπὸ τῆς γεέννης de lingua apud Jacobum. Ille duo verba ad argumentum concionis legit, quod memini Bezam valde solitum detestari; et omnino οὐ τλητόν. Vidi postea serenissimum Regem. Θεῷ χάρις, qui me, meam et meos servet. Amen.

XII. *Kal. Feb.* Necdum ad pensum rediimus. Te veneror, ter sancta Trias, da sapere, dicere et scribere quæ tibi grata. Amen.

XI. *Kal. Feb.* Parturimus adhuc, et hunc diem in aliis studiis egimus, ut amicum scribentem contra Andream Eudæmona Johannem juvaremus. Deus me, meam et meos servet. Amen.

x. *Kal. Feb.* En fluit tempus, et ego adhuc in παρασκευῇ occupor. Sed te specto, mi Deus; in te spem pono. O ades. Amen.

ix. *Kal. Feb.* Necdum rediimus ad scriptionem, sed redibimus brevi, Θεοῦ διδόντος, qui servet me, meam, et meos. Amen.

viii. *Kal. Feb.* In Lutheranorum scriptis hodie fui multus, et gemui ardorem controversiæ infaustæ. Deus, medere malis tuæ Ecclesiæ, et mentem meam ac meorum dirige. Amen.

vii. *Kal. Feb.* Crescit difficultas, nec alia mihi spes, nisi in divino præsidio inter tot contrarias opiniones. Hodie vidi librum Andreæ Eudæmonos Johannis adversus me, futilem sane. Deus utrumque propitius respiciat. Amen.

vi. *Kal. Feb.* In historia sacra Hospiniani domi detentus hanc κυριακὴν diem posui, et ingemui malis Ecclesiæ. Quam tu, O Deus, respice, et nos omnes serva. Amen. Amen.

v. *Kal. Feb.* Adhuc τῆς παρασκευῆς ὅλοι γινόμεθα. Κύριε, βοήθει. Ἀμήν.

iv. *Kal. Feb.* Nondum ad scriptionem rediimus, mox redituri cum bono Deo. Amen.

iii. *Kal. Feb.* Cum amicis hodie fui: tum autem Paschasium serio tractavi. Deus studiis hisce meis, uxori, et liberis benedicat.

*Prid. Kal. Feb.* Quod Deus vertat bene, ad intermissam jampridem scripturam redii. O ades, bone Jesu, et mentem illustra, calamum rege. Amen.

*Kal. Feb.* Da, bone Deus, et hunc mensem, et quicquid superest vitæ, in operibus tibi gratis occupare. Vigeat in meo, uxoris et liberorum animis veræ pietatis amor et nominis tui *φόβος καὶ τρόμος*. Dignare etiam, bone Jesu, conatibus meis benedicere, et meam *ἀπορίαν λῦσον*. Scis tu, Pater *ἐπουράνιε*, quæ me difficultates crucient. O Pater, *εὐόδωσον τὴν ἐπιχείρησιν, εἴγε σοι φίλον. Ἀμήν.*

IV. *Non. Feb.* Jam ego ad pensum serio redii. O ades, bone Deus. Amen.

III. *Non. Feb.* Concio, studia, literæ. Deus, ades, et uxorem parum valentem sana. Amen.

*Prid. Non. Feb.* Ad pensum serio rediimus. Deus nos regat. Amen. Qui et uxorem parum valentem dignetur sublevare, et domum hanc servare. Amen.

*Non. Feb.* Deus, ades mihi, meæ et meis. Amen.

VIII. *Eid. Feb.* Acturi per instituti rationem de transubstantiatione etc. toti in ea meditatione sumus, Deum venerantes, ut regat calamum nostrum. Amen.

VII. *Eid. Feb.* Deus, benedic ceptis et domui meæ. Amen.

VI. *Eid. Feb.* Deus æterne, scis ærumnam meam: tu expedi me, bone Jesu. Amen.

V. *Eid. Feb.* Turbellæ propter inobedientiam quorundam domesticorum erga uxorem. Sed hæc levia. Me vero *ἀπορεῖν* ex alia caussa scis tu,

Deus æterne, qui respice me, et da πόρον εὑρεῖν. Amen.

Hodie libellus Petavii de Nithadi prosapia a famulo mag. eq. dis. allatus et improbe relatus est.

IV. *Eid. Feb.* Τὴν κυριακὴν partim meditando de rebus sacris, partim apud Regem egi. Τῷ Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Feb.* Amici, nec multum promovi. Deus, ades. Amen.

*Prid. Eid. Feb.* Apud Regem hodie fui, quem, O Deus, serva, et totum regnum. Mihi hodie hoc accidit molestissimum. Chartas meas Baronianas dedi recensendas cuidam amico, viro probo, optimo, et longe doctissimo. Ille jam mensem fere alterum differt reddere, nec legit tamen, de quo mihi certe constat. Repetii ipse sæpe; hodie misi præceptorem meorum liberorum, neque ego recepi, neque ille. Atqui vir ille probitate singulari est. Quid igitur? Ego aliud suspicari non possum, nisi virum illum optimum meas lucubrationes amicis suis ostendisse, et jam repetere aut certe recipere non posse. Deum immortalem! Quanta hæc est, quæ mihi fit injuria? Exspectabo tamen, et me componam ad omnia ferenda. Doleo certe, ut si unquam. Sed fiat, O Deus, voluntas tua. Amen.

*Eid. Feb.* Amici me a studiis avocarunt, et ab optimo viro partem recepi mearum chartarum, et integritatem illius cum summa doctrina perspexi. Deus domum hanc servet ἀπήμαντον. Amen.

XVI. *Kal. Mar.* Hæreo, sed tu me dirige, Deus æterne. Amen.

XV. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια in hoc penso: sed ades, O Deus. Amen.

XIV. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια in arduo penso. Tu, Domine Jesu, et studiis benedic, et vitam emenda meam ac meorum, et da proficere in actione crastina ad quam me paro.

XIII. *Kal. Mar.* Synaxi Ecclesiæ Gallicæ hodie interfuimus ego, uxor, et Johanna filia, ac S. Cœnæ Domini communicavimus, filia natu maxima ne adesset, casu factum est. Reliquum diem quantum mea et meorum valetudo permittebat studiis sacris impendi. Hic est dies actus ultimus anni vitæ meæ quinquagesimi quarti. Quem annum et reliquam totam vitam meam dum reputo, Deus immortalis, non possum facere, quin pronus cadam in faciem et tuum Numen adorem, qui me tanta benignitate hactenus sis prosecutus. O Deus, non hoc meritum est meum, scio, agnosco, profiteor et corde et calamo. Tua hæc est infinita bonitas, quæ me, meam et meos nunquam deseruit. At nos te deseruimus persæpe, te gravissime offendimus, et ab officio nostro longe recessimus. Ignosce, bone Jesu, et ad cætera tua beneficia illud adjice, ut crescamus quotidie in vera pietate, peccata nostra subinde ad animum revocemus, illa detestemur, tui amore et metu ab omni mala cogitatione impediamur, te denique posthac ego, uxor, liberi, et qui hic sunt, et qui

alibi, vitam instituamus, ut exemplo simus pietatis et omnis virtutis. Interea, Πάτερ ἐπουράνιε, quod me servaveris, quod studia mea non destitueris penitus auxilio tuo, quod charissimam uxorem mihi præstiteris utcunque valentem et liberos omnes, saltem qui hic sunt, ago supplex tibi gratias immortales. Da, æterne Deus, bene uti tuis beneficiis, et ex vera pietate vitam instituere per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto sine principio sine fine vivit, regnat, imperat. Amen.

### Annus Vitæ LV.

Quem quidem annum, Πάτερ ἐπουράνιε, ut feliciter inchoare, agere, peragere concedas, supplex te veneror. Mihi quidem spes omnes sitæ sunt in spe tui præsidii, subsidii, gratiæ. Ipse quam sim τὸ μηδὲν, quam indignus favore tuo, magne Deus, scio, et sæpe cogito: sæpe etiam, dum cogito, deficio, et quo me vertam nescio. Sed reficit me certa cognitio tuæ immensæ infinitæ bonitatis. Hanc toties expertus in me, mea, et meis, audeo sperare nunquam illam fore mihi defuturam, nunquam aditum ad illam fore mihi præclusum. Scio, Deus ὑπεράρρητε, usque adeo dilexisse te mundum, ut Filium tuum τὸν μονογενῆ dederis pro mundi salute, ut vitam habeat æternam quicunque in illum crediderit. Scio donum esse vere tuum, si quis fidei saltem prin-

cipia in se habeat. Scio tua dona esse ἀμεταμέλητα. Spero igitur in te, Deus immortalis, τρισάγιε, ὑπεράγαθε. O da mihi, meæ, et meis fidem veram, pietatem sinceram, zelum vere Christianum. Hæc si adfuerint, cætera scio et confido secutura. Respice, Deus mi, Deus salutis meæ, languentem hanc domum. Da εὐοδοῦν τὰ περὶ σῶμα, καὶ τὰ περὶ ψυχήν. Mihi et uxori prudentiam largire bene regendis liberis necessariam; liberis da humilem animum pietatis studium, industriam, et φιλοπονίαν matrem virtutis. Filium, qui Lutetiæ est, revoca in rectam viam, et in media peste serva a peste. Da parentibus et liberis ut officiis quisque propriis defungamur pie et sincere. Operi a me instituto benedic, χρηστὲ Χριστὲ, φώτισον ἐμοὶ τὸν νοῦν, ὦ ἀληθινὸν φῶς. Da semper omnia referre ad gloriam tuam, ædificationem Ecclesiæ, salutem meam et meorum. Rem familiarem dudum collapsam instaura, et prospice meis liberis et nobis quoque parentibus. Sororem τὴν ταλαίπωρον ne desere, magne Deus, et πᾶσι βοήθει τοῖς πρὸς γένος. Exaudi, Deus Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, cui una tecum et Spiritu Sancto tuo sit honos, laus, gloria, et omne imperium, ut erat a principio in secula seculorum. Amen.

XII. *Kal. Mar.* Apud Legatum Regis Christianissimi fuimus ego atque uxor. Plures horas studiis impendi τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι.

XI. *Kal. Mar.* Τῷ Θεῷ χάρις, qui nos serva, O Deus. Amen.

X. *Kal. Mar.* Aliquid hodie in penso. Deus benedicat. Amen.

IX. *Kal. Mar.* Literas hodie scripsi, et fere totum diem impendi. Θεῷ χάρις. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Aliquid hodie, at non multum. Θεῷ χάρις.

VII. *Kal. Mar.* Naumachiæ spectaculum hodie vidimus quæ pars erat apparatus ad nuptias illustrissimæ Principis Filiæ Regis. Deus benedicat illi. Amen.

VI. *Kal. Mar.* Benedicat Deus actioni hodiernæ, et celebratis nuptiis Filiæ Regis, cui spectaculo interesse me atque uxorem Rex voluit. Deus serva Regem et regiam domum.

V. *Kal. Mar.* Apud Regem hodie fuimus, nec pensum plane negleximus. Θεῷ χάρις.

IV. *Kal. Mar.* Etiam hodie apud Regem fuimus, et longos cum ejus Majestate sermones habuimus. Deus, serva tam pium Principem. Amen.

Preste R. Azaria a Mons[r]. Livius professeur en theologie.

III. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Mar.* Ad nodum quæstionis venimus et hæremus, sed in te speramus, Deus æterne, O ades. Amen.

*Kal. Mar.* Mensem inchoavimus scribendis literis: deinde in penso multi fuimus. Atque utinam Deo propitio cura liberemur, quæ nunc

mire nos exercet. Tu facies, Domine, et hanc domum servabis pro tua infinita bonitate. Amen.

vi. *Non. Mar.* Opellam abrupi, quæ me diu exercuit, et ad cursum operis totius redii, contexturus quæ desunt, si Deus dabit, absoluto anno trigesimo quarto. Θεῷ χάρις.

v. *Non. Mar.* Τὴν κυριακὴν apud Regem ex parte egi. Θεῷ χάρις.

iv. *Non. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

iii. *Non. Mar.* Bone Jesu, serva me, meam, ac meos. Amen.

*Prid. Non. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

*Non. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια· Deus mihi, meæ, et meis benedicat. Amen.

viii. *Eid. Mar.* Aliquid hodie. Deus mi, peccata mea et meorum dele. Amen.

vii. *Eid. Mar.* Concio, studia, amici. Θεῷ χάρις.

vi. *Eid. Mar.* In malo loco hæsimus. Sed tuam opem adfuturam confidimus, bone Jesu. Ναὶ, Κύριε, βοήθει καὶ ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς. Ἀμήν.

v. *Eid. Mar.* Hodie post tertiam mane surrexi, et totum diem fui in libris. Θεὸς, ἐλέαιρε. Ἀμήν.

iv. *Eid. Mar.* Hodie febricula tentatus non multum promovi. Sed ades, O Deus.

iii. *Eid. Mar.* Deus salutis meæ, benedic mihi, meæ, et meis. Amen.

*Prid. Eid. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Amen.

*Eid. Mar.*, xvii. xvi. xv. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, tuo, Domine Jesu, beneficio. Amen.

xiv. *Kal. Apr.* Sacræ Domini Cœnæ hodie com-

municavimus ego et filia: nam uxor minus valebat: deinde studia. Domine, ades, et nos serva. Amen.

XIII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

XI. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Hodie invisi D. Legatum, D. Eliensem et alios. Θεῷ χάρις.

X. IX. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Amen.

VIII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια et concio sacra cum omnibus meis. Laus Deo. Ivimus et ad parvulum Jacobum, cui etiam Christus benedicat. Amen.

VII. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, et dirige mentem meam, O Deus, per hæc senticeta. Amen.

VI. *Kal. Apr.* Aliquid hodie, sed parum. Deus, ades. Amen.

V. *Kal. Apr.* Hodie me avertit a proposito Rainoldi liber Prælectionum ante mihi non lectus. O doctum virum! Tu da similes, Pater ἐπουράνιε. Amen.

IV. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια, sed lente. Deus benedicat mihi, meæ et meis omnibus. Amen.

III. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια. Deus benedicat mihi, meæ et meis omnibus. Amen.

*Prid. Kal. Apr.* Pauca hodie. Sed magna cum voluptate Pacianum totum et alia legi. Θεὸς ἵλεως εἴη.

*Kal. Apr.* Sacra concio cum omnibus liberis: uxor ægrotabat leviter. Quam tu, mi Deus, sana, et nos omnes serva. Amen.

2. *Lundi.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed amici multum mihi temporis eripuerunt. Deus, serva hanc domum.

3. *Mardi.* Non multum hodie promovi invitatus a Principe filio Marchionis Badensis, et postea detentus diu gratissimo colloquio cum D. Grotio viro maximo. Tibi, Deus, honos, laus et gloria. Amen.

4. *Mercredi.* Vidi Regem, quædam scripsi. Θεῷ χάρις.

5. *Jeudi.* Τὰ ἐγκύκλια. Tu, Deus, benedic mihi, meæ, et meis omnibus. Amen.

6. *Vendredi.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

7. *Sabmedi.* De apparitionibus Domini a resurrectione hodie meditabar, et τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ stupens admirabar. O da in his proficere, O Deus. Amen.

8. *Dimanche.* Concio cum tota familia, deinde Rex, et amici. Θεῷ χάρις.

*Lund.*, *Mar.*, *Mer.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ τῷ παναρίστῳ χάρις.

12. *Jeudi.* Non multum hodie scripsi. Occurrit enim gravis materia, et magna diei parte fui apud D. Eliensem. Κύριε, ἐλέαιρε. Amen.

13. *Vend.* Nihil hodie, et concio pomeridiana audita cum uxore et liberis. Θεῷ χάρις.

14. *Sabm.* Nihil hodie præter privata studia. Tu, Deus, serva hanc domum. Amen.

15. *Dim.* Hodie S. synaxi communicavimus Dei gratia ego, uxor, liberi. Deus misereatur nostri, et nos servet. Amen.

16. *Lundi.* Apud Regem fui, nec studia plane neglexi. Θεῷ χάρις.

17. *Mar.* Apud Regem fui; amicis ξυνεγενόμην; studia non omisi. Laus Deo.

18. *Merc.* Apud D. Decanum Paulinum hodie cum Grotio sum pransus, cum uxore. Multa de variis rebus egimus: deinde ad pensum me contuli. Θεῷ χάρις.

19. *Jeudi.* Apud D. Eliensem hodie fui cum D. Grotio. Θεῷ χάρις.

20. *Vend.* In aula fui hodie, et partem aliquam temporis amisi. Θεὸς, ἐλέαιρε. Amen.

21. *Sabm.* In penso fui hodie. Tu, Domine, illustra cœcitatem mentis meæ. Amen.

22. *Dim.* Grenovicum ad Regem hodie sumus profecti cum uxore et parte familiæ; deinde in studiis et penso fuimus. Deus ceptis benedicat. Amen.

23. *Lun.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

24. *Mar.* Τὰ ἐγκύκλια intermisi, sed statim rediturus, Deo volente. Amen.

25. *Merc.* Τὰ ἐγκύκλια. Dei beneficio. Deus servet nostram domum. Amen.

26. *Jeu.* Τὰ ἐγκύκλια· Deus, serva hanc domum. Amen.

27. *Vend.* Apud Legatum Gallicum hodie fuimus ego et uxor. Θεῷ χάρις.

28. *Sabm.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

29. *Dim.* Concio cum uxore et liberis: deinde Rex, et postea ὁ φίλτατος Grotius. Θεῷ χάρις.

30. *Lundi.* Τὰ ἐγκύκλια, et cum amicissimis viris D. Decano Paulino et Hugone Grotio multus fui, quum ille cœnaret apud me. Deo laus et gloria.

*Kal. Mai.*, *Mardi.* Apud Legatum Gallicum hodie fuimus cum Grotio et Legato Ordinum, deinde quia instat uxoris profectio, ad literas scribendas me accinxi. Tu, Domine Jesu, ades incepto, et illam duc ac reduc, nosque omnes serva. Amen.

2. *Merc.* Totum diem literas scripsi dandas uxori. Domine Deus, ades illi, mihi, et omnibus nostris. Amen.

3. *Jeudi.* Hodie uxor τὸ ἐμὸν ἡμίτομον iter in Galliam, te duce, ut spero, Deus immortalis, instituit. Acerba utrique nostrum hæc separatio fuit, sed urgebant negotia, quæ omnino postulabant ut istud iter uxor susciperet. Suscepit igitur, et celerem reditum mihi promisit, te, bone Jesu, volente et faciente. Oro vero te supplex, Deus immortalis, ut ubicunque illa sit, comes ei adsis, illam serves, valetudinem illi bonam præstes, euntem ducas, eandem mox reducas. Omnia illi Lutetiæ præstes facilia, et nos quoque hic serves per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum, Deus Pater, et cum Spiritu Sancto Deo, Deus ipse regnas εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

4. *Vend.* Domine Deus, hodie de itinere hesterno uxoris cognovi, et tibi gratias ago. O serva illam, et nos omnes, O Deus. Amen.

5. *Sabm.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Qui servabit,

spero, uxorem, ducet, ac reducet, idque ut faciat, oro supplex. Amen.

6. *Dim.* Concio cum familia et studia. Te veneror, Domine Jesu, serva hanc domum, et matrem familias duc, reduc. Amen.

7. *Lundi.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Qui serva, obsecro, obtestor, uxorem euntem, manentem, redeuntem. Amen. Hodie pransus sum apud virum præstantem D. Wintoniensem, cujus excellens eruditio nota est ex libris ab ipso editis contra Pontificios et Puritanos. Is mihi narravit multa de confectione auri potabilis. Ostendit phialam plenam eo quod vocant elixir; est autem ipsum aurum potabile, id est liquor coquendo expressus ex auri tractura, ut vocant, et liquore infuso. Illud elixir erat coloris vini rubri, sed diluti admodum. Præcipua instrumenta, quibus utuntur, est sal album, et acetum acerrimum, et nescio quod aliud tertium. Aiebat medicus artifex nullum ad confectionem hujus auri potabilis adhiberi corrosivum, et ipsum aurum eo redigi ut ad naturam metalli redire non possit. Sed istud elixir diluitur vino decies, octies multiplicato; et ita propinatur ante prandium in cochleari argenteo. Atque ipse bibi, nec visus est gustus palato ingratus.

8. *Mardi.* Apud Regem hodie fui, quem serva, O Deus; serva et hanc domum. Serva, Christe χρηστὲ, uxorem euntem et redeuntem. Amen.

9. *Merc.* Hodie gratia Dei literas ab uxore ac-

cepi, et reversi sunt, qui illam fuerant comitati. Bone Jesu, tu illam hactenus servasti, et servabis, spero, idque ut facias, te supplex oro, obtestor. Amen.

10. *Jeudi.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Serva, Deus immortalis, et hanc domum, et præcipue uxorem in hoc itinere. Amen. Amen.

11. *Vend.* Τὰ ἐγκύκλια et ad uxorem literæ. Quam tu, Deus æterne, serva euntem et redeuntem, et nos omnes simul. Amen.

12. *Sabm.* Curæ me conficiunt, absente uxore, quam, O Deus, serva, et mihi redde per Jesum Christum Filium tuum, et serva in timore nominis tui hanc domum. Amen.

13. *Dim.* Sacræ Domini Cœnæ communicavimus ego, liberi: deinde apud Regem fuimus, et ad uxorem mox scripsimus. Quam serva, O Deus, et nos omnes. Amen.

14. *Lundi.* Hodie de itinere Oxoniensi constitutum mihi est, quod felix et faustum velit esse Deus. Tu, Deus æterne, scis justam esse caussam; tu benedices, si placet, per Jesum Christum Filium tuum, et me, uxorem ubiubi est, et totam domum servabis. Amen.

*Eid. Mai.*, 15. *Mardi.* Mane aliquid in studiis. Reliquum tempus egi apud S. Regem, D. Archiepiscopum et alios amicos, ut illis valedicerem, brevi Oxonium profecturus, si Deus volet. Sed de uxore nihil dum. Tu, bone Jesu, illam serva, ubicumque erit, et universam hanc domum. Amen.

XVII. *Kal. Jun.*, 16. *Mai.*, *Merc.* Vix librum hodie aspexi dum accingo me ad iter. Dictum mihi uxorem mare transiisse et Caletum appulisse. Deus illi benedicat, benedicat mihi, liberisque nostris omnibus. Amen.

XVI. *Kal. Jun.*, 17. *Mai.*, *Jeudi.* Hodie itineri me accingo diu optato. Tu, Deus æterne, ades eunti, benedic incepto, et reduc mox domum. Serva interim in timore tui nominis liberos istos, quos relinquo, et da illis sapere etiam super ætatem. Serva domum a malo. Benedic absenti uxori: da illi perficere suum iter, et mox redire ad nos, ut reversi omnes domum, tuæ gloriæ inservire pio animo omnes possimus. O exaudi, Deus æterne, per Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo vivit, regnat, vivet, regnabit æternum. Amen. Etonam hodie veni ad nobilissimum Savilium, cui, Deus, benedice. Amen.

18. *Vend.* Hodie cum D. Savilio et in rheda ipsius confectis miliaribus viginti septem Oxonium perveni. Ibi uti me voluit D. Savilius hospitio suo, hoc est, collegio Mertonensi cui ipse præest. Eadem die partem magnam collegiorum et aularum Oxoniensium lustravi et miratus sum nostrorum majorum pietatem et magnificentiam. Te veneror, Deus æterne, da proficere in hoc itinere, et uxorem cum omnibus liberis, sorore et amicis serva. Amen.

19. *Sabm.* Hodie cætera collegia lustravi, et pari admiratione sum affectus. A prandio disputa-

tioni interfui cui præerat Doctor Abotius vir doctissimus. Benedic, Domine Jesu, huic Academiæ, et me cum mea et meis serva. Amen.

20. *Dim.* Duas hodie conciones audivi eruditas sane, ut possum conjicere ex iis, quæ intellexi. Pransus sum apud D. Decanum. Cui tu, bone Jesu, benedic, et me cum uxore, liberis, et omnibus meis serva. Amen.

21. *Lundi.* Hodie ad D. Decanum migravi, commendatus illi a Domino Archiepiscopo. Itaque discedente D. Savilio non potui evitare quin D. Decano me dederem. Atque ille me summa humanitate excepit, et volentem, nolentem in suas ædes introduxit. Quas, O Deus, serva, et da mihi sic frui illius humanitate, ut semper tui meminerim, qui mihi hæc facis otia. O serva, benigne Pater, et uxorem, et liberos, et sororem, et omnes meos. Amen.

22. *Mardi.* Hodie in Bibliotheca Choniatæ θησαυρὸν ὀρθοδοξίας percurri, et ex eo quædam excerpsi futura usui, si Deus volet. Benedic studiis nostris, bone Jesu, et serva ἀπημάντους me, uxorem, liberos, et domum totam; miserere et sororis. Amen.

23. *Merc.* Hodie paucas horas Choniatæ dedi, occupatus partim in concione Latina, partim disputationibus theologicis quibus interfuimus. Dedimus et plures horas studiis Hebraicis cum Judæo, quem hic invenimus, viro doctissimo. Ita solor dolorem meum propter absentiam uxoris,

de qua nihildum intellexi. At tu, Domine, illam serva et totam domum in timore nominis tui. Amen.

24. *Jeudi.* Hodie concionem audivi viri eruditi, quam utinam totam intellexissem. Deinde cum Vicedecano et aliis clarissimis viris in aula publica pransi sumus. Horas matutinas lectioni Talmud impendimus. A prandio Choniaten absolvimus. Leonem a Castro in Isaiam percurrimus. A cœna literas domo accepimus, læta gratia Dei viventis nuntiantes, veruntamen quod caput erat, ab uxore aut de uxore nihil. Bone Jesu, quod das, accipio, et gratias ago supplex Majestati tuæ. Quod restat, veneror tuum Numen, ut serves uxorem, et brevi illam reducas: des bonam mentem liberis meis, et mihi atque omnibus meis, nominatim sorori τῇ ταλαιπώρῳ benedicas. Amen.

Percurri et Commentarium Basilii M. in Isaiam non comparandi, ut puto, cum Comm. in eundem Chrysostomi, sed opus est imperfectum, tantum in cap. 16. Percurri iterum, et valde placuit.

25. *Vend.* In Hebræis hodie et in Commentario Basilii in Isaiam fui, nec pœnitet operæ. Sit Deo laus. Quem supplex veneror, ut uxorem et liberos et sororem, meque cum his servet ἀπημάντους. Amen.

26. *Sabm.* Hodie interfui disputationibus theologicis quibus præfuit Doctor Abotius. Agebatur de fide et operibus. Nunquam ita mihi satisfactum est, ut ille fecit. Docuit illud, quod ante

justitiam Dei nos tuebitur, esse solam fidem in meritis Christi, sed bona opera ita commendavit, et necessitatem eorum sic docuit, ut nihil videatur dici ulterius debuisse. Attulit e Comm. Lutheri in cap. v. Ep. ad Galat. illud *Sola fides nos servat, sed non sola fides sufficit.* Distinxit etiam salutem inchoatam et confirmatam. Inchoata est, cum vocamur, de qua est in Evangelio, *Hodie salus advenit huic domui:* hæc opera non desiderat, et est ex pura et sola Dei gratia. Salus confirmata desiderat, ubique in illis, qui tempus habent opera bona edendi. Attulit et distinctionem necessarii ἁπλῶς et κατά τι. Lætatus sum illa audire. Non enim voces illorum ferre possum, qui dum fidem stabiliunt, opera bona plane rejiciunt. Accepi et Londino et Lutetia literas cætera lætas gratia tua, Christe Jesu, sed de uxore nihildum. Tu illam serva et nos omnes. Amen.

27. *Dim.* Utrique concioni hodie interfuimus. Pransi sumus in Collegio Magdalenæ lautissimo apparatu. Literas scripsi totum reliquum diem. Deus immortalis, serva me, meam et meos. Amen.

28. *Lundi.* Hodie in tomo I. Conciliorum Romæ editorum fui, et apud Doctorem Abotium sum pransus, qui regio apparatu suos convivas excepit. Deinde in Espencæi scriptis aliquot horas posui. Dominus Jesus benedicat meis studiis, uxori item, liberis, et sorori. Amen.

29. *Mardi.* Hodie meum opus D. Abotio communicavi, qui utinam seriam censuram exerceat.

Tu, Domine Jesu, ades mihi, meæ, et meis omnibus. Amen.

Dedi D. Abotio 6 chartas operis mei, D. Decano 5.

30. *Merc.* Hodie parum valui, et quasi vertigo quædam me mane occupavit euntem ad Bibliothecam. Audivi tamen concionem Latinam et disputationi interfui. Sed me sollicitudo enecat de uxore charissima, et liberis, ac sorore, quos omnes tu serva, Deus immortalis. Amen.

31. *Jeudi.* Gratias tibi, Deus immortalis, quod hodie de domo læta satis intelligere dedisti, didicisse et de uxoris transitu. Itaque illam esse Lutetiæ jam credo, tua modo illi adfuerit clementia. Tibi laus et honos. Amen.

1. *Jun.*, *Vend.* In perpetuis conviviis versamur: effundit enim se mirifice horum clarissimorum virorum amor in nos. Rependat illis Deus omnia bona, quæ nobis cupiunt. Tu vero, Christe Jesu, serva me, meam et meos. Amen.

2. *Sabm.* Hodie auriga rhedam adduxit, atque ego ineunte proxima hebdomada sum discessurus, te volente et faciente, Deus immortalis, quem supplex veneror, ut me, uxorem, et liberos, meosque omnes serves.

3. *Dim.* Diem Pentecostes hodie egimus. Communicavimus S. Cœnæ in templo cathedrali Ædis Christi, ministrante viro optimo D. Decano. Deinceps concionem vespertinam et matutinam audivimus, utinam plane intellexissemus. Posthac ad iter nos comparantes amicis valediximus. Deus

immortalis benedicat huic Academiæ, et omnibus bonis qui in ea florent. Te quoque supplex oro, Deus immortalis, ut me, meam, et meos omnes serves. Amen.

4. *Lundi.* Hodie cum bono Deo, Londinum iter instituo, et Oxonio atque amicis Oxoniensibus valedico. Tu, Deus immortalis, benedic et Academiæ huic et Doctoribus, et nos serves omnes, me, uxorem, liberos et omnes meos. Veni hodie Etonam.

5. *Mardi.* Hodie Londinum appuli Dei beneficio, et omnia læta domi reperi, nisi quod de uxore nihil didici. Domine Jesu, serva illam et nos omnes. Amen.

6. *Merc.* Hodie apud Legatum Franciæ pransus sum, et domi chartas meas inspexi, ut Græculo responderem. O benedic, Domine, incepto. Tu veritatem nosti. Salva etiam et me, et uxorem, et totam domum. Amen.

7. *Jeudi.* Ad libellum brevi scribendum me paro, et Deum veneror, adsit mihi. Tibi vero, bone Deus, gratias ago, quod dederis mihi de uxore hodie læta intelligere. Πάλιν αὖ καὶ πάλιν σοὶ χάρις. Serva, O χρηστὲ Χριστὲ, me, meam, et meos omnes. * * * * Amen.

8. *Vend.* Hodie neque omisi curam de libello pro patre, si Deus volet, et ad describenda mea in Baronium me paravi. Deus æterne, benedic mihi, meæ et meis. Amen.

. Deinceps secuti sumus Anglicam supputationem.

*Sabm.*, IV. *Kal. Jun.* Hodie, quod faustum esse et felix Deus velit, ad descriptionem operis Baroniani serio me accinxi, non intermissurus, nisi opere absoluto, dante Deo immortali, excepto tempore quod in scripta pro patre meo τοῦ Κυρίου διδόντος sum impensurus. Γένοιτο, γένοιτο.

*Dim.*, III. *Kal. Jun.* Concio hora septima. Postea adii serenissimum Regem, qui me, ut semper, accepit benevolentissime. Cœnavi cum Domina Kilegrew et aliis amicis. Deus immortalis me, meam et meos servet. Amen.

*Prid. Kal. Jun.* Hodie scripsi ad uxorem, et ad affines in Helvetia degentes. Tu, bone Domine, quæ mihi sit oblata scribendi occasio, nosti. Veneror supplex tuum magnum Numen, ut totum illud negotium vel perducas ad gratum tibi finem: vel abrumpas, ne ulla posthac fiat mentio. Serva, O bone Deus, et me, et uxorem, et liberos, sororem etiam, et omnes meos. Amen.

*Kal. Jun.* Da, bone Deus, mensem pie et feliciter exigere qui dedisti feliciter inchoare. Serva uxorem, me, et liberos, ac sororem cum omnibus meis. Da etiam ut brevi de reditu uxoris gratias tibi possim agere. Amen.

IV. *Non. Jun.* Filiolum Jacobum hodie invisi cum illustri matrona Domina Kilegrew. Valet puer, tuo, Deus æterne, beneficio. Utinam valeat et redeat uxor brevi. Domine Jesu, respice totam domum. Amen.

III. *Non. Jun.* De uxore aliquid hodie intellexi,

sed nihil certi. Te igitur, magne Parens, supplex veneror, me, illam et omnes meos tuæ custodiæ permittens. O serva omnes, bone Deus. Amen.

*Prid. Non. Jun.* Deus bone, deficio sub onere curarum et molestiarum, quas affert mihi uxoris absentia, quum præsertim de illa nihil quicquam intelligam. Tu, Deus immortalis, illam serva, et nobis redde χαίρουσαν χαίρουσιν. Amen.

*Non. Jun.* Gratias tibi, Domine Jesu, quod de uxore hodie literas accepi, etsi non ab illa. Benedic, Pater cælestis, illi et mihi et universo nomini nostro.

VIII. *Eid. Jun.* Ad Regem hodie sum de more profectus, cui, O Deus, benedic, et omnes illi inimicos perde, aut revoca a mala mente. Expecto literas ab uxore, quam, benigne Deus, serva, et reduc ad me; serva et totam domum. Amen.

VII. *Eid. Jun.* Hebraica studia hodie nos habuerunt. Atque hodie tradidimus principium operis nostri typographo. Deus immortalis benedicat. Uxorem vero quando mihi reddes, bone Jesu? Supplex te veneror, serves illam, et consiliis nostris benedicas, item liberis et amicis. Amen.

VI. *Eid. Jun.* Ab uxore hodie literas accepi manu ipsius scriptas et prolixas. Ago tibi, Deus immortalis, ingentes gratias, quod ipsa valeat, etsi inter ærumnas sane multas, in quibus, bone Deus, ades ipsi, et eam subleva. Mirum quod illi accidit apud E. L. S. R. Ipsa vero etiam ea de re scripsit prudentissime. Pater cælestis, trado me

tibi regendum, et supplex opem tuam peto mihi, meæ, et meis. Amen.

v. *Eid. Jun.* Deus immortalis, benedic mihi, meæ, et meis, ac reduc uxorem, oro te supplex. Amen.

iv. *Eid. Jun.* Studia fere non inspexi præter Hebraica. Sed studebo quietiore animo, si tu, Deus æterne, uxorem mihi reddideris, et totam domum servaveris incolumem. Quod ut facias supplex a te peto. Amen.

iii. *Eid. Jun.* Domine Jesu, ades, et uxorem, me, ac liberos, omnesque meos serva. Uxori da negotia perficere, et brevi ad me redire. Amen.

*Prid. Eid. Jun.* Hodie vidi specimen aliquod editionis futuræ operis nostri, si tua, bone Deus, adfuerit benignitas. Tu, Christe Jesu, ades, serva hanc domum, laboribus nostris benedicito, et uxorem reducito salvam ad salvos. Amen.

*Eid. Jun.* Τὴν Κυριακὴν hodie in curis, ut spero, piis, et itinere ad Regem posui. Quem, O Domine, serva, et me, uxorem charissimam, et liberos præsta incolumes, ac brevi, si placet, uxorem mihi redde. Amen.

xviii. *Kal. Jul.* Languor me tenet, et tædium vitæ hujus. Abest uxor mihi. Tempus totum in scribendis literis perit. Tu, Deus, ades, et meam reduc uxorem, ac serva me, illam, liberos omnes meos. Amen.

xvii. *Kal. Jul.* O Deus, ades, et me, meam, meosque omnes serva κατὰ ψυχὴν, καὶ σῶμα. Vides,

bone Deus, dissipationem hujus domus. Reduc uxorem ad me, et da tibi una fideliter inserviamus. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Quod Dominus Jesus faustum et felix esse velit, cepit hodie serio editio nostrarum observationum Baronianarum. Te veneror, Deus immortalis, qui dedisti hoc opus inchoare, et hucusque producere, da finem hujus editionis videre, utque ad tui nominis gloriam opus hoc referatur, ad bonum aliquod Ecclesiæ tuæ, et, si placet, humilis erga tuam Majestatem mentis voluntatis et devotionis velis hoc extare monumentum. Benedic mihi, studiisque meis, et quam dedisti mihi σύζυγον serva, supplex oro, et reduc. Serva et liberos et omnes meos. O exaudi preces meas, Deus immortalis, per Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto tuo regnat et vivit sine principio sine fine. Amen.

XV. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed exspectatio uxoris et mearum rerum ignoratio me habet sollicitum. Tu, Πάτερ ἐπουράνιε, da finem tot incommodis: uxorem redde mihi, si placet, et quidem ἀπήμαντον. Benedic universæ huic domui. Amen.

XIV. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed me male habet hoc silentium τῆς φιλτάτης, quam serva, Deus æterne, et reducem præsta, ut ego cum illa et tota domo tuum Numen celebremus, et æternas tibi gratias agamus. Amen.

XIII. *Kal. Jul.* Ad Regem profectus sum, nec multum studui. Accedit cura de uxore et tota

familia. Tu, bone Deus, serva hanc domum, et uxorem mihi præsta incolumem. Amen.

XII. *Kal. Jul.* Ad Regem hodie quoque sum profectus, neque potui concioni interesse. Te veneror, Pater ἐπουράνιε, qui hactenus servasti domum hanc, serva nos porro. Uxorem, ubicunque sit, serva, et mihi hoc præsta beneficium, ut de ea reduce cum reliqua familia gratias tibi agam. Amen.

XI. *Kal. Jul.* Literas hodie et accepi multas et scripsi. Sed gratissimum illud fuit, quod uxorem de reditu cogitare intellexi. Da hoc illi perficere, Πάτερ ἐπουράνιε, et hanc domum serva, meaque mihi delicta condona. Amen.

X. *Kal. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed neque ego optime valui, et me sollicitum habet istud uxoris et Chabanæi mei silentium. Te oro supplex, Deus immortalis, reduc illam, et nos omnes serva ad tui nominis gloriam. Amen.

IX. *Kal. Jul.* Hodie discessit a me Jacobus Judæus, quem Oxonio adduxeram. Non pœniteret consilii si per alia studia licuisset opera illius uti. Sed nostris semper conatibus obstat res angusta domi. Scripsi novem epistolas ut Oxoniensibus amicis illum commendarem. Sub ejus discessum fortasse e contentione scribendi febricula me invasit, et simul διάρροια quam spero salutarem mihi fore. Tu, bone Jesu, respice hanc disjectam familiam; redde mihi uxorem charissimam, ut onere hoc liberatus tibi gratias agam toto pec-

tore. Da nobis et liberis nostris te timere, a te solo pendere, in tua sancta prudentia toto animo acquiescere. Amen.

VIII. *Kal. Jul.* Deus bone, ades, et hanc domum respice misere disjectam. Da mihi, da uxori firmam valetudinem, eaque brevi domum reducta, largire nobis ut in timore tui nominis liberos nostros educare possimus. Amen.

VII. *Kal. Jul.* Ne hodie quidem de uxore quicquam. Spero tamen in te, Domine, et te illam brevi mihi redditurum confido, et ut facias, supplex oro, utque hanc domum benignus protegas.

VI. *Kal. Jul.* Hodie a libris plane abstinui ob valetudinem. Accedit languor ob absentiam et silentium uxoris. Te veneror, Deus æterne, libera me his curis, et suggere mihi, meæ et meis rectam mentem. Amen.

V. *Kal. Jul.* Ad Regem hodie profectus concioni interesse non potui. Filiæ interfuerunt. Domine Jesu, serva hanc domum, uxorem reducem præsta, omnibus nobis et nostris tui timorem largire. Amen.

IV. *Kal. Jul.* O ærumnas hujus vitæ! Ego ex adversa valetudine langueo. Uxor ἡ φιλτάτη et absentia et silentio suo me miris cruciat modis. Administratio domestica parum ex animi sententia procedit. Operis inchoati editio cessat. Studia inter tot adversa plane jacent. Te igitur respicio, Deus æterne, et opem te posco. Tu, qui potes facile et solus, medere meis malis, uxorem

mihi præsta incolumem, liberis benedic et universæ huic domui, per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum, Deus Pater, et Spiritu Sancto tuo sine principio, sine fine regnat εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Amen.

III. *Kal. Jul.* Ergo placet tibi, bone Deus, patientiam meam exercere. Nam uti video, a fine procul adhuc absum. O da, Πάτερ ἐπουράνιε, id semper velim, quod tuum Numen voluerit me velle, da exitum omnibus curis θυμοβόροις, et uxorem, cum placuerit tibi, redde mihi, atque interim mihi, illi, et liberis nostris benedice. Amen.

*Prid. Kal. Jul.* Ecce diem septuagesimum ab uxoris discessu, et illa neque venit, neque scribit: certe ego nihil ab ipsa accipio. Tu, Pater ἐπουράνιε, ipsam rege, serva, reduc. Idemque velis tuo favore prosequi hanc domum. Amen.

*Kal. Jul.* Gratias tibi, Πάτερ ἐπουράνιε, quod mensem hunc dederis inchoare, non pessime valenti. Nam etsi vexat me familiaris mihi tussis, non tamen penitus lecto me affixum tenet, neque ego plane nihil ago in studiis. Sed nosti, Deus καρδιογνῶστα, curas meas, sollicitudines et ærumnas domesticas. Uxor ἡ φιλτάτη, quæ omni cura rei familiaris solet me sublevare, abest, et partim absentia partim silentio suo me enecat. Domus a puellis regitur rerum imperitis. Famulus unus ægrotat: reliqui domestici non multum me sublevant. Da igitur, bone Deus, ut pro reduce uxore gratias tibi brevi possim agere. Interim et me

et illam et omnes meos serva in nominis tui timore. Amen.

VI. *Non. Jul.* Nunquam deterius mihi videor affectus fuisse, non quia corpus pessime habeat, Dei beneficio, sed quia animo deficio, cum cogito quam negligenter et inofficiose mecum agant mei. Sermo cum illustri matrona, Domina Killegrew, et literæ quas a sorore sua accepit, magna me affecerunt anxietate. Tu, Deus æterne, scis ærumnas meas. Constitueram certum hominem mittere, et scire semel quid agatur. Tandem visum semel adhuc scribere. Scripsi igitur acres literas, sed quas opto esse efficaces. Erunt, Deus æterne, si tua benedictio non defuerit, quæ ne desit, supplex tuum Numen adoro. *Γένοιτο. Γένοιτο.* Amen.

V. *Non. Jul.* Scripseram heri ad *τὴν φιλτάτην* paullo concitatior: hodie repetii literas animo composito, et alias scripsi affectus suetique amoris plenas. Tu, bone Deus, respice languentem domum. Da nobis omnibus, parentibus, inquam, et liberis, veram pietatem. Calamitates hujus domus verte in melius. Uxori mentem et consilia recta suggere, ut brevi ego et illa te laudemus communis voti damnati, et liberos ad veram pietatem *χειραγωγοῦντες.* Da liberis omnibus te timere, et in bonis artibus proficere. Maximum natu, O Pater cælestis, in rectam viam siste per Jesum Christum Filium tuum unigenitum, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus et gloria לְעוֹלָם. Amen. Hæc scripseram cum afferuntur

mihi binæ literæ ab uxore, et una epistola a meo Chabanæo. Nihil poterat lætius mihi contingere. Omnia quæ optavi de uxore charissima et ab uxore intellexi. Bone Deus, quibus tu quantisque gaudiis me cumulasti? Omnia ex animi sententia cognovi. Restat hoc solum, ut illa, quod vehementer cupit, quamprimum veniat. Interim ago tibi, Πάτερ ἐπουράνιε, gratias maximas, teque supplex oro, ut perficias quod incepisti. Exaudi mea et uxoris humilia vota, redde illam mihi et liberis nostris, et nos omnes in timore tui nominis fac excellere, per Jesum Christum Filium tuum unigenitum, cui una tecum, Deus Pater, et Spiritu Sancto sit laus, gloria in æternum. Amen.

IV. *Non. Jul.* Hodie Cœnæ Domini ego et filiæ communicavimus Dei beneficio, qui me, uxorem et liberos servet, et dicta factaque nostra dirigat ad sui nominis gloriam. Amen.

III. *Non. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια in studiis. Diei pars magna posita in lectione Rainoldi viri πολυμαθεστάτου et optimi. Gratias tibi, Domine, pro hoc otio, quod tamen et uberius et gratius erit, cum tu meam mihi uxorem reddideris, quod ut brevi facias, et universæ domui benedicas, supplex te oro. Amen.

*Prid. Non. Jul.* Totum diem cum optimo amico D. Decano Ædis Christi Oxonii egi in Collegio Westmonasteriensi, ubi vidi et valde laudavi instituta quædam illorum. Ita dies actus, dum interim dies expectatur, quo ad iter se uxor ac-

cingat. Quod da illi quamprimum facere et perficere, bone Jesu, et benedic mihi, illi atque omnibus partibus hujus domus. Amen.

*Non. Jul.* Aliquid hodie, sed languente animo. Domine, recrea, qui creasti, et uxorem mihi redde, ac nos omnes in tui nominis timore serva. Amen.

viii. *Eid. Jul.* Totum fere diem amisi frustra deducto in aulam viro doctissimo Belga. Pergit tamen opus institutum Dei gratia. Tu, Deus æterne, libera me cura de uxore, et illam mihi redde, ut ego, illa et omnes mei tibi tanto studiosius inserviamus. Amen.

vii. *Eid. Jul.* Etiam hoc die multæ horæ amissæ cum duobus viris eximiis Belgis D. Relbe, et D. Scholiers, qui de captivitate Belgarum sub tyrannide Jesuitica mira multa narrabant. Deus respiciat Ecclesiam suam. Idem et me, et totam hanc domum servet, uxorem præstet reducem, et sua benedictione nos omnes prosequatur. Amen.

vi. *Eid. Jul.* Τὰ ἐγκύκλια ut poteramus inter duras curas. O libera me his sollicitudinibus, Deus immortalis, et uxorem mihi redde jam nimis diu absentem, ut ego et illa hanc domum regamus εὐσεβῶς καὶ φρονίμως. Amen.

v. *Eid. Jul.* Diem Deo sacrum pro ratione officii Regi magna ex parte impendimus, necessaria de caussa in aulam Theobaldicam profecti, ibi, ut speramus, concionem audituri Anglico sermone. Sed me ἡ τῆς ἐμῆς οἰκίας ἀταξία per absentiam uxoris exanimat * * * * Sunt ejusmodi, quæ me

τὴν φιλτάτην magis magisque cogunt desiderare. Te igitur, Deus immortalis, supplex veneror, serves hanc domum, et uxorem præstes reducem, ut ego et illa liberos in timore tui nominis educemus. Amen.

IV. *Eid. Jul.* O tristem diem! Nox præcedens male acta. Dies hodiernus spem de reditu uxoris meam in longum tempus rejecit. Res meæ pessimo loco sunt: res familiaris afflicta magis quam putaram. Omnia turbida: nihil læti: ne illa quidem, quæ videntur aliquam lætitiæ speciem præ se ferre. In tantis difficultatibus una spes me solatur, quod certus sim futurum quod tu, Deus æterne, decreveris. Te igitur, Πάτερ ἐπουράνιε, specto, in te spero, te in auxilium invoco, petoque supplex a tua inexhausta bonitate, ut hanc domum respicias, et curis ac doloribus istis me liberes, imprimis ut peccata mea mihi condones; illa sunt, quæ mihi hos animi cruciatus conciliant. Tege, bone Deus, mea, meæ, et meorum omnium peccata, et nos rege, per Jesum Christum Filium tuum et Spiritum Sanctum τὰς τῆς ἁγίας τριάδος ὑποστάσεις. O sancta Trias, te supplex veneror, adsis mihi, uxorem reducem præstes, et huic domui benedicas. Tibi honos, laus et gloria in æternum. Amen.

III. *Eid. Jul.* Omnia me offendunt. Et filiola Maria hodie gravem casum accepit. Tu abes, mea uxor, quæ domum regere debuisti. Sed redibis, spero, brevi, si Deus volet. Interim ra-

tiones cum multis composui, et miror impensas hujus domus. Tot inter curas lubens vidi filiolum Jacobum, quem nutrix sua adduxit. Deus immortalis benedicat mihi, meæ, et meis omnibus. Uxorem, bone Jesu, præsta reducem, supplex te veneror. Amen.

*Prid. Eid. Jul.* Domine Jesu, subleva meos dolores. Uxori rectum da consilium et præbe πᾶσαν ῥᾳστώνην. Omnes nos in tui nominis timore serva. Amen.

*Eid. Jul.* Curis obruor, sumtibus, negotiis, curis: quas ut tua benignitas sublevet, te supplex oro, bone Deus, et ut mihi, meæ, et meis omnibus benedicas. Da etiam, Πάτερ ἐπουράνιε, ut uxorem brevi reducem videam. Amen.

XVII. *Kal. Aug.* Spero in te, Domine, nec deficiam, etsi vix jam tot sollicitudinibus par. Tu meas ærumnas nosti. Tu remedium illis afferes. Sic spero, et, ut facias, te supplex oro. Mihi, uxori, liberis, et omnibus meis da experiri tuum præsidium et subsidium. Amen.

XVI. *Kal. Aug.* Quotidie crescunt sollicitudines. Uxor abest: spes reditus in longum tempus rejecta et incerta. Res familiaris pessum it, hic, Lutetiæ, ubique. Inter alia hoc me male habet. Uxor Lutetiæ dedit honestæ fœminæ 2300 libras ut has curaret deferendas. Illa optima fœmina alii tradidit, qui neque apocham, quod sciam, dedit, neque literas ad recipiendam hic pecuniam. Tandem allata est pro 200 libris epistola ad mercatores.

Erat res ridicula pro acceptis libris 2300 mittere 200. Sed hæc quoque spes decollavit; et charta ita fuit scripta ut ad alium perveniret pecunia. Quid dicam? nisi quod omnia mea susque deque. Restituentur in suum locum, si uxor venerit, quod ut brevi fiat, te supplex oro, Deus immortalis: et ut hanc domum καὶ κατὰ ψυχὴν καὶ κατὰ σῶμα velis εὐτυχεῖν. Amen.

Imo hac ipsa die eam summulam accepi.

XV. *Kal. Aug.* Hodie ego et liberi sacræ concioni interfuimus beneficio Dei. Qui velis sanare incommoda hujus domus, pietatem veram nos omnes docere, omnibus benedicere, uxorem reducere. Amen.

XIV. *Kal. Aug.* Si placet, Πάτερ ἐπουράνιε, libera me ab hisce molestiis, quas uxoris absentia, et cura rei familiaris mihi affert. Non solitus administrare pecuniam, cum video impensas hujus domus, obstupefio. * * * * Tu, bone Jesu, redde huic familiæ eam, quæ ejus regendæ peritiam habet, et nos omnes dirige in rectam viam.

XIII. *Kal. Aug.* Opus quotidie promovetur. Hoc solum fere est, quod dolores meos soletur τῶν γε ἀνθρωπίνων. Nam vera consolatio in uno Deo est posita. Tu, Deus immortalis, respice hanc domum, uxorem serva, et omnibus nobis nostrisque benedic. Amen.

XII. *Kal. Aug.* De uxore nihil. Quam serva, O Deus, et reduc. In te spes omnes meæ: non metuo confundi. Tibi laus et gloria. Amen.

XI. *Kal. Aug.* Hic dies calore insignis. Metuo igitur uxori si per hoc anni tempus se accingat ad iter. Itaque quod optem nescio: imo scio. Fiat tua, Deus immortalis, voluntas. Amen.

X. *Kal. Aug.* Quam ego te offendi? Quam graviter in te peccavi, O Deus æterne, qui me tamdiu dissipatam et male administratam vis videre hanc miseram domum? Fateor, *Πάτερ ἐπουράνιε*, et gemens agnosco meritum me longe graviora. Quin tua benignitas, quæ tam patienter me tolerat, terret me. Scio enim tibi peccata omnia esse exosa. Verumtamen, O Pater, audeo accedere ad pedes tuæ sacræ Majestatis, opem supplex te poscens et liberationem ab his curis. Quid me potissimum angat scis tu, Deus immortalis. *Ναὶ βοήθει·* ades mihi, ades meæ, et meis omnibus: da nobis verum timorem tui, et, ut pie sancteque te colere possimus. Uxorem charissimam, si placet, ubicunque jam sit, sive itineri se accinxit, sive adhuc Lutetiæ hæret, serva, et incolumem præsta; ac, si placet, brevi domum reduc; filium misere perditum in rectam viam siste, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria in æternum. Amen.

IX. *Kal. Aug.* Hunc diem posui fere totum in Bibliotheca magni Principis nuper vita functi. Rege enim volente, libros aliquot inde accepi ab eruditissimo Junio. Sunt hæc qualiacunque præsidia ad opus quod jam est in manibus. Sed om-

nium maximum, imo unicum illud est necessarium subsidium, ut tua, Deus æterne, benignitas dignetur nos sublevare, respicere hanc domum jamdudum disjectam dissipatamque, et τὴν οἰκοδέσποιναν, si placet, quamprimum nobis reducem præstare salvam et incolumem. Ναὶ Κύριε βοήθει. Amen.

VIII. *Kal. Aug.* Ad concionem et sacram synaxin iturus cum familia hæc scribo, ut meam ἀπορίαν coram te effundam, et supplex veniam te orem. Ego, Pater cælestis, cum præsentem meum statum cogito, non possum non exclamare, O Domine, judicia tua justa sunt. Dedisti uxorem, quam amavi semper sine modo; illa nunc abest, et nescio quibus de caussis procul a me in Galliis detenta non minus sua absentia me cruciat, quam solita fuit sua præsentia me oblectare. Caussa absentiæ illius, doloris mei vel præcipua caussa est. Peccaverat excessu quodam piæ charitatis ante biennium accitis suis et Geneva ac Lugduno et nescio unde, quasi ego regulus essem aliquis, et possem integras familias alienas alere et rebus omnibus necessariis fovere. Accesserunt aliæ clades rei familiaris per alios nominis Stephanici quibus ipsa administrationem pecuniæ nostræ inconsulte crediderat. Reculæ nostræ ad extremam perniciem vergebant, nisi aliquando tandem remedium aliquod attulissemus. Voluit pia uxor hoc onus in se suscipere. Hæc caussa itineris: sed postea alia, ut fit, negotia ex aliis sunt orta.

Itaque illa in Galliis hæret: ego * * * * inter negotia domestica anxiam et sollicitam vitam trahens ægritudine misere conficior, et, quod me habet pessime, malorum adhuc finem video nullum. Sed næ stultus ego sum, qui, si saperem pueri instar, æquo animo tuam voluntatem, Deus æterne, exspectarem. Videor oblitus non cadere pilum unum sine tuo decreto. An igitur dubitare possum te auctore contingere mihi hasce omnes ærumnas? aut possumne oblivisci gravissima quæque esse me meosque meritos? Ego vero colligam animi vires, et totus a te, Deus immortalis, pendebo, patienter expectans quicquid tu de me, de uxore, et reditu illius, deque liberis nostris statueris. Hoc quidem votum meum est; sed, ut propositum servare constanter possim, a te, Deus æterne, supplex peto. O ades mihi, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria *εἰς αἰῶνας αἰώνων*. Amen. Postquam hæc scripsi, rumore incerto cognovi uxorem ante octo aut novem dies Grigniaci fuisse ac valuisse. Quod valet, æternas tibi, Domine, gratias ago, et ut illam serves ac reducas, supplex te oro. Quod hæret adhuc Grigniaci, quam habeat moræ justam caussam, ipsa viderit.

VII. *Kal Aug.* Mœrore occupatus animus languet et deficit me ad serias meditationes meas. Domine Jesu, ades, in te spero: serva me, meam, ac meos omnes. Amen.

VI. *Kal. Aug.* In te sperabo, Deus æterne, etiam contra spem. Ades igitur, et mihi, uxori, et liberis benignum te præbe. Amen.

V. *Kal. Aug.* Nihil jamdiu audio de uxore. An spero aliquid, debeo, de illius brevi suscipiendo reditu? Fiat, Domine, in me, mea, et meis voluntas tua. Amen.

IV. *Kal. Aug.* Deus æterne, respice me, uxorem, liberos; uxorem, si placet, reducem præsta, et domui huic benedic. Amen.

III. *Kal. Aug.* Expecto, Domine, voluntatem tuam, et in tua bonitate spes omnes meas repono. O ades mihi, meæ, et meis. Amen.

*Prid. Kal. Aug.* Hodie Principem Carolum invisi, Principem spei maximæ, quem tu, Deus æterne, una cum patre et matre serva, et benedic domui Regiæ. Reliquum diem in Tostate posui viro magno, ut illis temporibus, et pio. Abstulit et magnam partem diei mœstitia et sollicitudo tristis de uxore tamdiu absente. O da illi brevem reditum, O Domine, et huic domui favorem tuum ne denega. Amen.

*Kal. Aug.* Mensem inchoavimus ego et filia a sacra synaxi, et communione corporis Christi. Domine Jesu, medere hujusce domus malis, *καὶ κατὰ ψυχὴν καὶ κατὰ σῶμα.* Uxori da bonum consilium, et brevi illam præsta reducem. Amen.

IV. *Non. Aug.* Hodie constitui, volente et faciente Deo Opt. Max. redire ad prætermissam initio anni tractationem de sacra Eucharistia, ut, si fieri possit,

ille tractatus inseratur huic editioni. Tu, Pater ingeniorum, omnis bonæ deliberationis auctor, da ea mente concipere, ea scribere, quæ futura sint tibi non ingrata. Exaudi, Πάτερ ἐπουράνιε, per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen. Exaudi etiam, bone Jesu, preces meas humiles super statu familiæ meæ, et uxorem nimis certe jam tardantem, etsi non sua culpa, præsta reducem. Amen.

III. *Non. Aug.* Hodie inchoavi describere tractationem de Cœna Domini, etsi non multum in eo penso operæ posui. Nam et alia fuerunt curanda, et ego mora atque silentio uxoris ita crucior multas ob caussas, ut subinde animo deficiam. Sola est tua bonitas, Christe Jesu, quæ me recreat. Tu meis malis et angoribus affer medicinam. Serva me, uxorem, liberos et sororem, et da tui nominis timorem. Amen.

*Prid. Non. Aug.* Ne nunc quidem de uxore quicquam. Crescit igitur ἡ ἀπορία, ac propterea consilium de tractatione Eucharistica describenda abjeci impar illi meditationi, donec in alium locum Dei bonitas res meas restituerit. Te supplex oro, Domine, serva et me, et meam, et meos omnes. Amen. Ad cæteras molestias accessit hodie scelus aurigæ qui infantem in via pene obtrivit. Deus infantem servet, aurigam doceat sapere.

*Non. Aug.* Exspectabatur cursor, quem dicebant Lutetia venire. Post multos dies venit tan-

dem. Putabam me per illum de uxore aliquid intellecturum. Frustra fui. Nam ille Lutetia non ivit. Itaque excidi magna spe. Tu, Domine Jesu, in quo sitæ mihi spes omnes meæ, exaudi vota mea, et quam dedisti mihi σύζυγον, serva mihi et liberis nostris. Amen.

VIII. *Eid. Aug.* Minuit spes de reditu uxoris, crescunt ærumnæ. Itaque diu est cum incessit animum voluntas mittendi ad uxorem optimum adolescentem et εὐσεβέστατον Jacobum liberorum meorum præceptorem. Sunt multæ rationes quæ me eo impellant. Nam uxor caret fideli ministro, qui possit illam in suis curis allevare, et ex quo possit aliquam consolationem accipere. Hic juvenis ad id est aptissimus. Sed rursus multa dissuadent. Non possum dubitare de uxoris voluntate. Ejus negotia jam sunt perfecta, aut illa curam eorum alicui committet. Qua sit ventura non satis scio. Itaque potest fieri ut illa veniat, priusquam Lutetiam pervenerit. Cui bono tantas impensas? Propterea hodie re cum illustri matrona et sanctissimæ pietatis D. Killegrew deliberata, constitui ex ipsius maxime sententia cogitationem de aliquo mittendo in finem sequentis hebdomadis differre. Aut literas eo spatio temporis, volente Deo, accipiam, aut ipsa fortasse veniet. Quod utinam ita sit, et tu hoc velis, bone Jesu. Cæterum, quicquid ipse volueris, fac me velle; ut vere atque ex animo possim dicere de me, mea, et meis, γενηθήτω τὸ θέλημά σου.

VII. *Eid. Aug.* Ne nunc quidem aliquid intellectum aut de valetudine uxoris aut de reditu. Itaque tibi, Christe Fili Dei, Deus æterne, me, meam et omnes meos supplex commendo, et in tua bonitate acquiesco. O ades. Amen.

VI. *Eid. Aug.* Ego et liberi sacræ synaxi interfuimus. Reliquus dies inter varias curas actus, et perpetuam de uxore sollicitudinem: qua, Deus immortalis, libera me, si placet, et huic domo benedic. Amen.

V. *Eid. Aug.* Nox male acta, dies per magnas ærumnas transactus. Fons omnium malorum peccata adversus Deum. Te veneror, bone Jesu, da veniam peccatis onusto. Tege quod præteriit, rege quod superest. Scis tu, Domine, quid me potissimum male habeat. Uxori charissimæ auge pietatem et cupiditatem omnia pietatis officia exequendi. Da etiam illi ut brevi ἄνοσος καὶ ἀπήμαντος redeat. Da utrique, ut liberos in vera pietate instituamus. Amen.

IV. *Eid. Aug.* Ne nunc quidem de uxore quicquam. Exspectemus, et dicamus tota voluntate, γενηθήτω τὸ τοῦ Θεοῦ θέλημα. Amen.

III. *Eid. Aug.* De uxore, cujus silentium mirari satis non possum, γενηθήτω τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ. O Domine, respice hanc domum, et nos serva in tui timore. Amen.

*Prid. Eid. Aug.* Ego vero in te sperabo, Domine Jesu, et de me, de uxore et liberis exspectabo quod decreveris. Amen.

*Eid. Aug.* Hodie de uxore aliquid cognovi, venturam ipsam brevi, si Deus volet. O velis hoc, Pater cælestis, et illam digneris præstare brevi reducem, ac suam illi valetudinem bonam restituere. Ades igitur illi, bone Jesu, et, ubicunque sit, illam, et qui cum ipsa sunt, serva, et universam hanc domum. Amen.

XIX. *Kal. Sept.* Supplex te rogo, Deus immortalis, firma valetudinem uxoris et illam præsta valentem in hoc itinere. Serva et totam domum. Amen.

XVIII. *Kal. Sept.* Concioni hodie interfuimus, et Deum pro felici uxoris reditu ἐλιπαρήσαμεν. O exaudi vota nostra, Deus immortalis, et serva hanc domum. Amen.

XVII. *Kal. Sept.* An somnium est, quod duo juvenes mihi confirmant de uxoris adventu paullo post futuro? Utinam ita sit. Sed tu, Deus immortalis, mea spes unica, a te solo pendent omnes meæ. Amen.

XVI. *Kal. Sept.* O vitæ hujus ærumnas! Duo juvenes e Gallia venerunt, et de adventu uxoris jusserunt me omnia læta exspectare. Alter se illam dixit convenisse Lutetiæ, alter Diepæ se eam vidisse. Impletus sum magno gaudio, invitavi illos, et honestis epulis excepi. Hodie mane venit illorum unus ad me et aureum unum Anglorum sibi dari a me petiit, nescio quam ob caussam, patrem et matrem brevi venturam cum uxore mea et satisfacturam cum gratiarum ac-

tione. Ego stultus negare non potui, et parum gnarus quanti esset aureus quem petebat, duplum illi dedi, hoc est aureos Gallicos tres cum triente. Risit ille stultitiam meam, et accepta pecunia statim abiit. Vix domo excesserat, cum advenit Scotus Dempsterus, et literas Lutetia attulit a Domina Gentili sorore Dominæ Killegrew quibus literis fio certior uxorem valere quidem Dei gratia, sed de reditu nondum cogitare. Quare falsum apparet quicquid isti nebulones narrarunt. Qui tamen ita rem narrabant πιθανῶς, eas circumstantias addebant, ut demirari subeat insignium planorum industriam. Ego igitur eadem hora duo didici sane molestissima quam sim ineptus et ἀγενὴς ad pecuniam tractandam: insigni enim fatuitate mea sum deceptus partim a plano, partim a meipso. Hujus rei cogitatio admonet me, quam sit necessaria ἡ φιλτάτη οἰκοδέσποινα ad tractationem rei domesticæ. Alterum vero didici supra fidem molestum, nondum placere Deo ab his curis me liberare. Nam uxor, ut video, de reditu ne cogitat quidem. Scripsi ad illam hodie serio præcipiens ut redeat rebus relictis. Addidi nunquam postea me de ea re ipsi per literas fore molestum. Angor animi, et caussas habeo varias. Domine Jesu, respice me, illam serva et reduc, totam hanc domum præsta ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον. Amen. Σὺν Θεῷ constitui hodie quamdiu uxor aberit, in museo meo et ad manum pecuniam nullam habere ne tam

sit exposita impostoribus mea facilitas. Εὖ γένοιτο.

Impostores improbissimi a quibus pecunia sum emunctus. Ægrotabat uxor: ego nesciebam.

XIV. *Kal. Sept.* Nullum diem hesterno magis molestum fervore recordor egisse. Nox secuta est prorsus insomnis. Angebat me silentium uxoris quum diceretur valere. Sed quanto in errore sim versatus, didici hodie acceptis literis quæ diu in urbe hæserunt. Didici ægrotasse uxorem gravissime: illam inter suspiria et lacrymas vitam agere aut trahere potius, quod procul absit a me: quod illa diutius ibi maneat justissimas et gravissimas ipsam habere caussas. Quid multa? Didici stultitiam et iniquitatem meam, qui si rariores ab illa accipiam literas soleam de ipsa conqueri. Quanquam ex amore sane illæ querelæ proficiscuntur. Sed tu, O Deus immortalis, illam serva, et quem ad illam mitto juvenem duc, atque mox ambos reduc ἀνόσους καὶ ἀπημάντους. Amen.

XIII. *Kal. Sept.* Quod bene vertere velis, Deus æterne, misi hodie præceptorem meorum liberorum ad charissimam uxorem, ut esset illi a quo in suis negotiis et itinere adjuvaretur. Sed da mihi, Deus æterne, ut brevi uxorem videam reducem, et ut, quod superest vitæ, una degamus bene et feliciter, per Jesum Christum Filium tuum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus et honos לעולם. Amen.

XII. *Kal. Sept.* Deus, ades, benedic mihi, meæ et meis omnibus. Hæc quidem mira solitudo est. Solus sum cum liberis, uxor abest, filius maximus natu, qui utinam ad se redeat, abest, et liberorum præceptor. O ades, bone Jesu, et, qui dedisti, redde uxorem. Scio posse te hanc solitudinem vertere in magnam frequentiam. Exspectabo igitur. Ναὶ σῶσον, Κύριε. Amen.

XI. *Kal. Sept.* Exspectabo in te, Domine Jesu, et me, meam ac meos omnes tibi supplex commendabo. O ades. Amen.

X. *Kal. Sept.* Concio sacra. Domi turbellæ inter domesticos ob amissum vas argenteum. Ego cura et desiderio pio piæ uxoris dudum tabesco. Da, Domine Jesu, videre illum diem, ut reducem illam videam. Amen.

IX. *Kal. Sept.* Exspectans exspectabo auxilium a Domino in istis molestiis sane molestissimis. Tu, Domine, respicies, si placet, dissipatam hanc familiam, et uxorem præstabis reducem. Amen.

VIII. *Kal. Sept.* Etiam præter spem sperabo in Domino. Tu, bone Jesu, redde huic familiæ τὴν οἰκοδέσποιναν, et nos omnes serva. Amen.

VII. *Kal. Sept.* Domine Jesu, respice hanc domum misere dissipatam, et quidem perdiu redde, quæso te supplex, τῷ οἴκῳ τὴν οἰκοδέσποιναν, et nos omnes protege. Amen.

VI. *Kal. Sept.* Hodie literas ab uxore accepi de celeri reditu spem facientes. Nunc scio mihi non imponi ut nuper. Restat ut Dei bonitas illi adsit

in hoc itinere, et sive in terra sive in mari suo præsidio protegat. O ades, Deus æterne, et domum hanc benignus respice. Exaudi vota mea per Jesum Christum Filium tuum, cui una tecum et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

v. *Kal. Sept.* Hæreo animi anceps, an qui jam liberorum meorum præceptorem obviam uxori miserim, nunc alium mittere debeam, quia illa aliam ingressa est viam atque ego putaram. Omnia adhuc mihi incerta. Neque in eo multum est positum; in eo vero *τὸ πᾶν*, ut tua bonitas, Domine Jesu, dignetur prosequi venientem uxorem. Quod ut facias, supplex tuum Numen veneror. Amen.

iv. *Kal. Sept.* De uxore nihildum. Domi curæ crescunt. Unum in te, Deus æterne, certum præsidium. O ades, bone Jesu, uxorem meam serva terra et mari, da illi vires tot laboribus ferendis pares: brevi illam præsta reducem. *Ναὶ, Κύριε, δέομαί σου γονυπετῶν, διὰ τῶν σῶν οἰκτιρμῶν.* Amen.

iv. *Kal. Sept.* Audivi hodie in synaxi concionatorem Belgam satis eruditum. Reliquo die parum valui corpore, minus animo, qui de uxore nihil intelligam, neque scire possim an itineri se accinxerit. Nihil etiam intelligo de Jacobo, quem ad illam misi. Bone Jesu, oro te supplex, impone finem huic meæ ærumnæ: uxorem serva, et præsta brevi reducem. Amen.

iii. *Kal. Sept.* Bone Deus, creator et redemptor

meus, quodnam hoc genus novæ ærumnæ mihi exoritur? Nondum diuturna molestia propter uxoris absentiam liberatus sum, et ecce aliud malum. Accepi enim hodie literas a sorore, quæ fortunis suis pridem eversa in me furore inaudito insurgit, quod non omnia ejus gratia faciam, quæ cupit. Scis tu, Deus æterne, quanti mihi constent officia charitatis illi præstita. Ne vetera commemorem, de mea pecunia jussi illius caussa solvi Trombletæ Genevensi aureos quinquaginta ante mensem alterum aut tertium. Illa jam petit a me ingentes summas ad prosequendas lites suas infaustas quæ ipsam ad insaniam pridem redegerunt, et petit acerrimis convitiis mecum expostulans. Horrendæ improbitatis est epistola quam hodie accepi. Etsi conscientia me solatur mea, angor tamen hæc ita esse. Quare ἀπορῶν καὶ ἀμηχανῶν, Deus immortalis, ad te me converto, supplex a te petens in hac quidem re ut justitiam meam tuearis, illam compescas, nos omnes veram pietatem doceas. Uxorem, si placet, Deus æterne, præsta reducem, et nostræ familiæ et inceptis omnibus benedice, per Jesum Christum Filium tuum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit, regnat, sine principio sine fine. Amen.

*Prid. Kal. Sept.* Hodie, quod bene vertat Deus immortalis, Johannem famulum misi obviam uxori, quæ, si morbo, quod absit, detenta non est, aut in Anglia esse debet, aut non longe ab ea abesse. Caussa missi famuli, quia uxor neminem

habet, qui Anglicam linguam intelligat. Tu, Domine Jesu, uxorem serva, et reducem præsta, atque huic miseræ familiæ benedic. Amen.

*Kal. Sept.* O lætum diem! Circa decimam horam matutinam serio aliquid meditanti uxor adstitit in museo et me suo conspectu beavit. Domine Jesu, quas ego tibi gratias agam? quibus verbis gratum animum exprimam? Tuum hoc beneficium est immortale. Tua infinita bonitas respexit hanc domum misere perdiu disjectam. Iterum iterumque tibi honos, tibi gratiæ. Quod superest, te veneror, Deus æterne, des mihi, des uxori, des liberis vitam in tui nominis timore transigere, te vereri, te colere, in te uno spes omnes nostras ponere, per Jesum Christum Filium tuum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos et gloria in secula seculorum. Amen.

IV. *Non. Sept.* Hodie ego et uxor filiolum Jacobum invisimus, quem invenimus gravissime ægrotantem. Deus sanet illum, servet me, meam et omnes meos. Amen.

III. *Non. Sept.* Reditus uxoris mihi jucundus, infanti Jacobo salutaris fuit. Nutrix αἰσχροκερδὴς lacte amisso misere illum fallebat, idque plures jam dies, et erant ægroti in ea domo nutrix, maritus ipsius, liberi, et meus Jacobus. Opportune advenit mater, quæ heri invisit, et hodie iterum rediit, ac filiolum retulit. Tu, Domine, ades matri et filio, et nos omnes serva. Amen.

*Prid. Non. Sept.* Crastina dies ad sacræ cœnæ

communionem nos vocat. Utinam serio μετανοοῦντες eo accedamus. Amen.

*Non. Sept.* Ego, uxor, filia Gentilis sacræ Cœnæ hodie communicavimus. Utinam, et spero, ad salutem. Ades, Domine, et nos serva. Amen.

VIII. *Eid. Sept.* Literæ ad amicos in Galliam. Accepi etiam a D. Archiepiscopo literas de negotio quodam, cujus exitum det Deus lætum amico de cujus fortunis agitur. Vereor ne amicus Cantuarensis iverit se perditum. Sed Deo rem permitto, et supplex illum oro ut mihi, meæ et meis omnibus rectam det mentem. Amen.

VII. *Eid. Sept.* Adii hodie D. Archiepiscopum, et de amico, quæ nollem, cognovi. Deus adsit mihi, meæ, meisque omnibus. Amen.

VI. *Eid. Sept.* Adhuc ab institutis studiis aberro, et variis curis occupor. Deus, benedicat mihi, meæ, meis. Amen.

V. *Eid. Sept.* Diem fere amisi, ut Regem convenirem. Deo sit laus.

IV. *Eid. Sept.* In studiis diem posui, nocte literas scripsi cum uxore ad amicos Parisienses. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Sept.* Aliquid hodie, Θεῷ χάρις. Serva, bone Deus, hanc domum. Amen.

*Prid. Eid. Sept.* Sacræ concioni hodie interfuimus ego, uxor, liberi. Θεῷ χάρις.

*Eid. Sept.* Studia hodie nos habuerunt. Θεῷ χάρις. Amen.

XVIII. *Kal. Oct.* Hodie in quærendis ædibus diei

magnam partem posui. Deus, ades huic familiæ, et nos doce tui nominis timorem. Amen.

xvii. *Kal. Oct.* Benedic, bone Jesu, mihi, meæ et meis omnibus. Amen.

xvi. *Kal. Oct.* Hodie cepi describere, quæ restant. Benedic, Domine Jesu, et familiæ et ceptis meis. Amen.

xv. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια, Deus immortalis, admirando [tuo] beneficio, qui hæc mihi cum uxore, altera mei parte, otia facis. O da bene uti tuis beneficiis. Amen.

xiv. *Kal. Oct.* Τὰ ἐγκύκλια· Deus, serva hanc domum. Amen.

xiii. *Kal. Oct.* Post longi temporis intervallum ad Regem cogito hodie, si Dominus dederit. Euntem serva, Domine, et redeuntem; atque illud imprimis da petenti, ne ullum ex ore meo verbum excidat quod sit ἄρρητον ἄμεινον. Vidi igitur Regem, et gravia cum eo de rebus variis habui colloquia: O Deus, serva illum et bea hoc regnum in tui timore. Amen.

xii. *Kal. Oct.* In difficili loco hæreo. Deus, ades, et linguam calamumque meum dirige ad tui nominis gloriam, et Ecclesiæ ædificationem. Amen.

xi. *Kal. Oct.* Nihil hodie promovi. Sed in te, O Deus, spes mea. Ades igitur. Amen.

x. *Kal. Oct.* In difficili loco hæreo. Sed tu aderis, bone Jesu. Amen.

ix. *Kal. Oct.* Videor aliquid profecisse, si tu voles, magne Deus. O ades. Amen.

VIII. *Kal. Oct.* Et hodie aliquid. Tu respice me, meam, ac meos, O Deus. Amen.

VII. *Kal. Oct.* Hodie multa scripsi, utinam tibi, Deus sancte, non improbata. O ades, et me, meam ac meos respice. Amen.

VI. *Kal. Oct.* Apud Regem hodie fui, et didici habitos ad ejus mensam sermones quos mea intererat non ignorare. Deus, illum serva, et respice hanc domum. Amen.

V. *Kal. Oct.* O tristem diem! Audivi enim hodie * * * * quæ minime omnium vellem. Sed tu aderis, Jesu Christe, Creator et Redemptor noster. O ades. Amen.

IV. *Kal. Oct.* Christe, Salvator mundi, gratias tibi quod liberasti me, aliqua ex parte, sollicitudine profunda, quæ me pene heri absorpsit. Tibi laus, tibi gloria. Amen.

III. *Kal. Oct.* In Chrysostomo hodie fui. Θεῷ χάρις.

*Prid. Kal. Oct.* Serio urgetur migratio ex istis ædibus ad novas, quæ sunt a nobis conductæ. Tu, Domine, quod actum est, fortunare velis, et me, meam ac meos in tui nominis timore servare, ac nobis nostrisque benedicere. Amen.

*Kal. Oct.* Utinam sit fausta migratio, cujus initium hodie fecimus, ego et uxor, cum parte liberorum. Jacent studia, et magno sumptu paratur mihi museum. Benedic consiliis nostris, Domine. Amen.

VI. *Non. Oct.* Ne nunc quidem libros attingimus,

sed in museo parando sumus toti. O Domine, respice hanc domum, et infunde animo meo, uxoris et liberorum veræ pietatis sensum. Amen.

V. *Non. Oct.* Diem sacrum domi egimus, difficultatibus impediti. Tu ignosce, bone Jesu, et nos serva. Amen.

IV. *Non. Oct.* Totum diem studiis eripuerunt migratio hæc, Palatinus Polonus, et alia negotia. Tu, Domine, ades. Amen.

III. *Non. Oct.* Nondum ad studia rediimus, sed dabit Deus redire, et ceptis benedicet. Respice, Deus æterne, me, meam et meos. Amen.

*Prid. Non. Oct.* Hodie gratia Dei accepi partem non pœnitendam librorum meorum MSS. e Gallia. Θεῷ χάρις. Da, Domine, illis uti ad nominis tui gloriam. Amen.

*Non. Oct.* Scripsi hodie multa, sed quæ postea delevi omnia, neque in tantis difficultatibus satis me expedio. Utinam adsis, Domine Jesu, et mentem illustres ac calamum meum dirigas. Amen.

VIII. *Eid. Oct.* Multa hodie scripsi, quæ, ut spero, manebunt, nisi tu, Domine Jesu, meliora suggesseris. Qui ades, et serva hanc domum. Amen.

VII. *Eid. Oct.* Multa etiam hodie vel scripsi, vel rescripsi, quæ utinam piis probentur. Tu ades, Christe Jesu, et hanc domum serva. Amen.

VI. *Eid. Oct.* Diem sacrum domi posui invitus, et gemens, sed coactus. Deus, ades, et me, meam et meos serva. Amen.

V. *Eid. Oct.* Aliquid hodie, etsi non multum. Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Oct.* Aliquid et hodie. Θεῷ χάρις.

III. *Eid. Oct.* Benedic, bone Jesu, mihi, meæ, liberis, et meis omnibus. Amen.

*Prid. Eid. Oct.* Aliquid hodie. Sed tu, bone Jesu, ades, et hanc domum serva. Amen.

*Eid. Oct.* Aliquid hodie. Sit laus Deo immortali, quem supplex veneror, ut adsit mihi, meæ et meis omnibus, regat nos et protegat. Amen.

XVII. *Kal. Nov.* Hodie pastorem in Ecclesia Gallica audivi Bandinelum Genevæ natum, qui mihi visus purissime loqui Gallice et feliciter docere. Deinde interfui sacris apud D. Eliensem. Θεῷ χάρις.

XVI. *Kal. Nov.* Redeunt antiqui dolores, et uxor charissima graviter cruciatur morbis usitatis. Sed, O Deus, in te spes nostra, tu illam sana et solare per Jesum Christum. Amen.

XV. *Kal. Nov.* Curæ, negotia, literæ, uxor parum valet, imo male habet. Interim te respicio, Christe Jesu, et in te spes meas omnes colloco. Tibi honos et gloria. Amen.

XIV. *Kal. Nov.* Hodie scripsi caput decimum quartum exercitationum libri decimi quinti. Deus ceptis benedicat. Ego scribo, quæ mea conscientia mihi suggerit esse vera; si paullo acrius, Deus ignoscat. Odium falsi adigit me contra mea commoda. Tu, Deus immortalis, me, meam et meos rege. Amen.

XIII. *Kal. Nov., Jeudi.* In Cypriani loco, *Una Ecclesia, una Cathedra,* hæsi, et conatus sum lucem afferre. Deus, ades. Amen.

XII. *Kal. Nov., Vend.* Pergimus in opere non segniter. Tu benedic, Deus æterne, et calamum dirige. Amen. *Σῶσον δὲ καὶ τὴν οἰκίαν ἅπασαν.*

XI. *Kal. Nov., Sabm.* Da pacem veram mihi, meisque omnibus, quæ in tui nominis timore est posita, O Domine. Amen.

X. *Kal. Nov., Dim.* Solus hodie meorum propter fractam rhedam concioni interfui, et eundem pastorem audivi quem ante octo dies. Bone Jesu, ades, et da mihi, meæ et meis tui timorem. Amen.

IX. *Kal. Nov., Lundi.* Studia *ἐγκύκλια.* Absolvo hodie quæstionem de loco Matth. XVI. Tu, bone Jesu, miserere nostri, et doce nos omnes veram pietatem. Amen.

VIII. *Kal. Nov., Mardi.* Curæ, literæ, et sollicitudo de filio Jacobo me obruunt. Tu, Domine Jesu, illum serva, et nos omnes. Amen.

VII. *Kal. Nov., Merc.* Literæ multæ, nec tamen pensum intermissum. Hodie Jacobum recepimus domum. Deus consilio benedicat, et illum ac nos omnes servet.

VI. *Kal. Nov., Jeudi.* Parum hodie promovi. Fui apud illustrissimum D. Archiepiscopum, ab eo accitus de negotio D. Relbè. Domine Jesu, ades mihi, meæ et meis omnibus. Amen.

V. *Kal. Nov., Vend.* Multus hodie fui in studiis, urbe perstrepente propter inaugurationem Præ-

toris Londinensis. Tu, Deus æterne, respice hanc domum. Amen.

IV. *Kal. Nov., Sabm.* Hodie habui apud me amicos D. Decanum Paulinum, et D. Doctorem Federbæum Cant., quibus Deus benedicat. Serva et me, Domine, uxorem et omnes meos. Amen.

III. *Kal. Nov., Dim.* Apud Regem hodie fui. Uxor et liberi concioni interfuerunt. Te, Domine, oro supplex, adsis mihi, meæ et meis omnibus, et in timore tui nominis nos serves. Amen.

*Kal. Nov.* Et hodie apud Regem fui. Deus, ades. Amen.

IV. *Non. Nov.* Etiam hodie optimum Regum vidi, et cum ejus Majestate multos sermones habui. Servet illum Deus. Domi non defuit occasio Deum orandi ut mihi, meæ ac meis rectam det mentem. O da nobis, Deus, timorem tui nominis. Amen.

III. *Non. Nov.* Hodie intellexi D. Decanum Paulinum renunciatum esse Episcopum. Deus illi benedicat. Qui etiam me, meam et meos servet et protegat adversus τὰς ἔσωθεν καὶ τὰς ἔξωθεν ἐνέδρας. Studia turbarunt liber toto mane quæsitus et prandium apud optimum et doctissimum D. Majernium. Θεῷ χάρις.

*Prid. Non. Nov.* [*Omnia obliterata.*]

*Non. Nov.* Da, Pater et origo omnis sapientiæ, sit domum hanc regere, ut omnia nostra omnium facta, dicta ad tui nominis gloriam, ædificationem Ecclesiæ, et salutem nostram referantur. Amen.

VIII. *Eid. Nov.* Ad sacram κοινωνίαν nos paramus, et liberis nostris, quod possumus, paravimus ut serio id cogitent. Tu, bone Jesu, da perficere, quod nos docuisti facere. Amen.

VII. *Eid. Nov.* Hodie corpori Christi Domini communicavimus ego, uxor, et filia Gentilis, et Johanna, quæ utinam vero tanti mysterii sensu tangantur. Amen.

VI. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια. Deus, ades. Amen.

V. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed multæ horæ in aula positæ. Θεῷ χάρις.

IV. *Eid. Nov.* Τὰ ἐγκύκλια· et in describendo opere fuimus assidui, tuo, bone Deus, beneficio, qui hæc mihi otia et hanc animi tranquillitatem mihi præstas. Tibi honos, laus et gratia. Amen.

III. *Eid. Nov.* Hodie pransus sum apud Legatum e Moschovia. Avebam cognoscere eorum mores, præsertim quod ad religionem pertinet. Itaque sivi hoc mihi persuaderi a vicino meo viro nobili cæremoniarum magistro. Ivi, nihil vidi dignum visu. Nullus de religione sensus, quem possis laudare. Mores item alieni a nostris, ut nihil supra. Denique ubi spectando potius, quam aliud agendo, tres horas patientia tenuissem ad mensam, abrupi tandem, et in medio prandio Legatum cum suis convivis reliqui. O beatos, qui pietatem cum literis conjunxerunt. Tibi laus, bone Jesu. Amen.

*Prid. Eid. Nov.* Literæ et τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

*Eid. Nov.* Hodie perductum est opus nostrum

ad tractatum de Cœna Domini, quare jam serio mihi Deus orandus, ut adsit meis inceptis, dirigat calamum, illustret mentem cognitione veritatis, ne quid excidat contra veritatem. O ades, bone Deus, per Jesum Christum, qui una tecum et Spiritu Sancto vivit et regnat sine fine. Amen.

XVIII. *Kal. Dec.* Diem sacrum in sacris curis posui magna ex parte Deum orans ut mihi, meæ et meis velit adesse. Amen.

XVII. *Kal. Dec.* [*Omnia obliterata.*]

XVI. *Kal. Dec.* Serio hodie in penso fui, et fortasse aliquid egi. Tu, bone Jesu, ades, et sana vulnera nostra. Amen.

XV. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι. Sed ades, bone Deus, et me, meam ac meos serva. Amen.

XIV. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Deus, ades mihi, meæ et meis omnibus. Amen.

XIII. *Kal. Dec.* Ades, O Deus. Amen.

XII. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. [*Nonnulla obliterata.*] Amen.

XI. *Kal. Dec.* Uxor parum valet. Ego cum liberis sacræ concioni interfuimus, et ministrum de Launes audivimus sane cum magna voluptate ob densas laudationes sacrorum textuum. O bone Jesu, miserere hujus domus. Amen.

X. *Kal. Dec.* [*Obliterata.*]

IX. *Kal. Dec.* Hodie egi diem hilarem cum venerandis pastoribus hujus Ecclesiæ, et cum D. De Kilegrew plane illustri matrona. Ego et uxor

illos invitavimus, et piis sermonibus magnam diei partem transegimus. Sit nomen Domini benedictum. Amen.

VIII. *Kal. Dec.* O miseram hanc domum, siquidem nulla dies sine gravi dolore meo et uxoris transigitur propter caussam, quam tu nosti, Deus immortalis, qui velis mederi nostris malis.

VII. *Kal. Dec.* Deus æterne, ades, et benedic huic domo. Amen.

VI. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Sit nomen Dei benedictum. Amen.

IV. *Kal. Dec.* Diem sacrum ex parte ego, uxor, liberi egimus in auditione verbi divini. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

III. *Kal. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Hodie legi Œcolampadii dialogum de Sacramento Eucharistiæ, et miratus sum hominis doctrinam ac peritiam Patrum Græcorum. Nollem non legisse. Gratias tibi, Domine Jesu. Amen.

*Prid. Kal. Dec.* Et hic quoque mensis est exactus tuo, Deus æterne, beneficio. Tu meorum omnium sensuum conscius es. Tu meas curas et sollicitudines gravissimas nosti. Tibi ego me, meam, et meos ac mea omnia permitto. Tibi honos, laus et gloria. Amen.

*Kal. Dec.* Hunc diem cum amicis magna ex parte ego et uxor egimus, præsertim cum uxoribus D. Turqueti et filii ejus D. Majernii. Tu, Deus æterne, qui dedisti diem et mensem feliciter

inchoare, da totum mensem et totam vitam in tui cultu transigere, te unum cogitare, a te pendere. Amen.

IV. *Non. Dec.* O Domine Jesu, medere nostris ærumnis, et aut illis me et uxorem libera, aut illas saltem molli. Amen. Amen.

III. *Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια, τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ, cui honos et gloria. Amen.

*Prid. Non. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια satis strenue benignitate Dei. O Domine, da mandata tua exequi, et mihi, et meæ, ac meis omnibus. Amen.

*Non. Dec.* Hodie sacræ Communionis particeps sum factus singulari tuo, Deus æterne, beneficio. Uxor ægrota domi hæsit, et cum illa filiæ. Sed nostra spes in te, bone Jesu. Amen.

VIII. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

VII. *Eid. Dec.* Τὰ ἐγκύκλια serio, in quo magnam percipio voluptatem, dum considero attente quæ fuerit fides sanctorum Patrum de sacra Eucharistia. Sed hæc mysteria, O Deus, da recte capere, saltem quod satis sit ad meam et meorum salutem. Amen.

VI. V. *Eid. Dec.* [*Multa obliterata.*] Deus, miserere mei, et meæ, ac meorum. Amen.

IV. *Eid. Dec.* Quum heri e lapsu in gradibus pedem graviter læsissem, venis contusis in commissura pedis dextri cum tibia, noctem propter gravissimos cruciatus egi insomnem, verebar ne hoc malum opus institutum abrumperet. Sed bonitas Dei tanta fuit erga me, ut horas pluscu-

las in museo posuerim: de cætero viderit Deus, quid sit futurum. Te veneror, Deus æterne, ut malis meis et meorum, *μάλιστα δὲ τοῖς κατὰ ψυχὴν*, medicinam facere digneris. Amen.

III. *Eid. Dec.* Neque satis valeo ex dolore pedis, quem tamen pene ademit divina benignitas, et totum corpus * * ex valetudine * * * * * plane fatiscit. Utinam, bone Deus, quod hodie præstitimus circa illam exitum habeat, et omnes in timore tui nominis quietam agamus vitam. Amen.

*Prid. Eid. Dec.* Τὸ *μὲν σῶμα μετρίως τὸ παρὸν ἔχει· ἡ δὲ ψυχὴ εἰς πολλὰς φροντίδας καὶ μερίμνας διασπᾶται· ἐλέαιρε,* Κύριε· Κύριε, *ἐλέαιρε·* Κύριε, *ἐλέησον.* Amen. Hodie disputationem de Transsubstantiatione sum aggressus cum bono Deo: quem supplex oro, ut in tantis difficultatibus mentem meam illuminet, calamum dirigat, mihi, meæ ac meis benedicat. Amen.

*Eid. Dec.* Totum diem misere consumpsi propter ægritudinem, et jam intelligo me stranguriæ morbo esse obnoxium nisi Deus medeatur. Tu, bone Deus, ades. Amen.

XIX. *Kal. Jan.* Duo mihi hodie præter voluntatem contigerunt. Nam susceptam tractationem de Transsubstantiatione adversus somnia Baronii coactus sum jam mittere, petente Bilio, propter instantes nundinas. Est quidem animus, Deo propitio, ea cura defungi statim post protrusum hoc opus in lucem. Fiet, quod Dominus voluerit. Alterum est quod hodie primum dixit mihi

medicus se vereri ne lapidem in vesica habeam: hoc enim se colligere ex multis indiciis, necdum tamen affirmare. Exspectabo quid futurum sit, et voluntatem meam, O Deus, componam ex tua. O ades, O peccata nostra omnium propitius tege. Amen.

XVIII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια æquo animo, dum in te spero, Deus æterne. O miserere mei, meæ et meorum. Amen.

XVII. *Kal. Jan.* Τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις· pergimus enim in instituto et ad finem contendimus, quem da lætum contingere, Deus æterne. Amen.

XVI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια. Tibi laus, tibi gratia, tibi gloria, Deus æterne. Amen.

XV. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια. Miserere nostri, Deus, et nos serva. Amen.

XIV. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια die Dominica. Uxor et liberi concionem adierunt. Ego apud Regem fui, qui Carieri apostatæ mirum librum ostendit in quo de me nonnulla. Deus rectam illi mentem; idemque servet hanc domum.

XIII. *Kal. Jan.* Partem diei cum veneranda matrona egimus ego et uxor, Domina de Kilegrew, quam serva, O Deus, et da meis liberis proficere in tam nobili pietatis et omnis virtutis exemplo.

XII. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια. Relegi jam quæ edita sunt, quæ utinam bonis non displiceant. O benedic huic familiæ, O Deus. Amen.

XI. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

x. *Kal. Jan.* [*Nonnulla obliterata.*] O miserere nostri, Deus, et libera nos his doloribus. Ναὶ βοήθει, ὦ πανελεήμων Θεὸς, διὰ τοῦ Υἱοῦ σου τοῦ μονογενοῦς Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ μετὰ σοῦ καὶ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι δόξα, κράτος, καὶ νίκη εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ix. *Kal. Jan.* In molestissimis curis et negotiis diem magna ex parte posuimus. Ego et uxor fuimus apud Dominam Kilegrew sanctissimæ vitæ matronam. Domine Jesu, ades, et miserere mei, meæ ac meorum. Amen.

viii. *Kal. Jan.* Hodie natalem Domini celebravimus, ego cum proceribus Aulicis, ubi etiam sacræ Cœnæ communicavi: uxor cum liberis in Ecclesia Gallica. O Domine, auge in nobis fidem et veram pietatem. Amen.

vii. *Kal. Jan.* Ego mane, uxor a prandio, cum liberis, sacræ synaxi Gallicæ interfuimus. Sit nomen Domini benedictum. Amen.

vi. *Kal. Jan.* Etiam hodie apud Regem fuimus, et multis cum ejus Majestate egimus. Domine, serva illum et totum hoc regnum; benedic etiam huic domui. Amen.

v. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια fere in totum neglecta. Fui apud Regem. Alia curavi. Tu, Deus, benedic huic domui.

iv. *Kal. Jan.* Variæ nos curæ habent, et de valetudine tristia hodie respondit clarissimus Majernius, qui tamen nondum audet affirmare lapidem esse concretum in nostro corpore, etsi

vehementer veretur. O fiat voluntas tua, Deus æterne, et in hac re, et in omnibus aliis. Amen.

III. *Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια hodie, etsi non sine impedimentis et domi et foris. Bone Deus, respice hanc domum et nostri miserere. Amen.

*Prid. Kal. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια ut poteramus, satis diligenter. Atque ita annus hic ad finem est perductus. Tuum hoc est, O Deus benignissime, beneficium gratuitum. Quod vivam, quod uxor, quod non tot molestiis quas hoc anno experiri nobis accidit sumus enecti tua, mi Deus, ope, tua bonitate est effectum. [*Multa obliterata.*] Sed hæc ita fuit justa, ita magna ut nihil supra. Nec defuerunt aliæ molestiæ, quæ me, quæ uxorem exercerent vel propter filium, qui in veterno suo torpet, item propter sororem quæ miserrima quum sit, partim aliena culpa, partim sua, nos quoque miseros reddit, vel eo nomine, quia rationem nullam possumus excogitare, qua illam adjuvemus. Sed omnium, quæ hoc anno præter animi sententiam nobis acciderunt, est longe maximum malum [*aliquid obliteratum*] tibi, Deus æterne, notum, pro quo vota et preces quum sæpe tuæ Majestati fecerim, exauditus tamen adhuc non sum. Durat enim, durat, et nunc quam maxime angit me et uxorem meam tristissima illa cura et dirissima sollicitudo. Et tamen etiam sic vivimus et spiritum ducimus ego atque uxor, et pensa nostra utcunque exequimur. Illa familiam regit, et resculas nostras adminis-

trat; ego studia non quidem solita alacritate aut assiduitate sed tamen urgeo. At tu, Deus καρδιογνῶστα, gemituum nostrorum conscius es, tu perpetuas conjugis meæ τῆς ταλαιπώρου lacrymas vides; tu in quas angustias sumus redacti, ad quam et quantam consilii inopiam vides. [*Multa obliterata.*] et fac nos etiam hic experiri, quod toties aliis in rebus sumus experti, te solum esse, qui dejicis in orcum, et reducis in claram lucem quoties libet. In te speramus ego, et uxor quam mihi dedisti. Nunquam hactenus decepit nos spes, quam in tua bonitate posueramus. Fac, bone Deus, ut etiam in hac re eundem te experiamur, quem hactenus semper sumus experti, mitem, longanimum, paratum ad benefaciendum, tardum ad ulciscendum. Peccavimus, fateor, O Domine, peccavimus ego et uxor adversus Numen tuum, et assidue, et graviter, sed nos factorum pœnitet, et humi procumbentes tuam opem misericordiamque tuam imploramus. Parce, Pater, parce nobis, nostrisque, et clementiæ potius tuæ specimen in nos ede, quam severæ vindictæ. Me graves morbi videntur manere, et medici imminentem λιθίασιν denuntiant. Sed fiat tua, Domine, voluntas, tantum te supplex oro, uti mihi, meæ, et meis, ac nominatim filio, qui est Lutetiæ, et huic petulanti indas veram pietatem, et mores nostros omnium componas e præcepto sanctissimæ tuæ Legis. Interim quod vivimus, et utcunque valemus, ego, et uxor, ac liberi,

quodque ad hujus anni finem pervenerimus, humiles gratias, et quantum possum maximas, ego et meo, et meæ, ac meorum omnium nomine et habeo, et ago. Servasti nos, neque nos tamen te, uti par erat, coluimus. Serva nos porro, sed ante omnia finge nos tibi gratos. Mihi et uxori da, ut tibi pie inservientes liberos regamus prudenter, et sorori meæ atque aliis propinquis possimus esse utiles, per Jesum Christum Filium tuum unicum, cui una tecum, Deus Pater, et Spiritu Sancto sit et nunc et semper laus, gloria, imperium et omne decus. Amen.

### Annus Domini CIↃ IↃ C XIV.

*Kal. Jan.* Ad consuetas curas et labores ἐγκυκλίους rediturus te primum veneror, Deus æterne, mundi Rector omnipotens, spes salutis meæ unica, petoque supplex a tua Majestate opem, auxilium, præsidium. Scio, Πάτερ ἐπουράνιε, quam sim ipse τὸ μηδὲν, et siquid hoc potest esse vilius. Non homo sum, sed vermis, miser, conceptus, natus in peccato, qui infans, puer, adolescens, juvenis, senex, peccatis meis, O me miserum, iram tuam adversus me accendere nunquam cessavi. Si tu me, Deus immortalis, in utero matris aut statim natum exstinxisses, non potui queri de te, et dicendum mihi fuisset, justa sunt, O Deus, judicia tua. Tua inenarrabilis bonitas me produxit in lucem ex optimis parentibus, me fovit clementissime, me denique ad hanc diem pro-

duxit, neque ulla dies præteriit, qua non extaret aliquod tuæ immensæ bonitatis et benignitatis adversus me testimonium: per te nihil mihi unquam defuit; per te liberalis mihi contigit educatio; per te a variis periculis et morborum et aliorum casuum sum sæpissime liberatus; per te data est mihi facultas literas addiscendi, et in iis aliquid proficiendi. Tu mihi uxorem dedisti quacum tot jam annos conjunctissimus vivo. Tu liberorum magna copia mensam nostram coronasti. Tu effecisti, ut, qui nihil habebam, quo me jactarem, non secus tamen ac si aliquis essem duobus summis Regibus et innotescerem et eorum benevolentia suffultus viverem non obscurus. Tu dedisti, ut aliquod inter literatos meis vigiliis nomen assequerer, quod multis non contigit ab ingenio et doctrina longe instructioribus. Dies me deficiat, si pergam tua in me, O clementissime Domine, beneficia enumerare. Pro quibus miser ego quid unquam tibi rependi? Fateor, Deus καρδιογνῶστα, et fateor sincero affectu, esse me, siquis est mortalium, tuo favore et hac tanta indulgentia tua indignum. Cogito peccata pueritiæ meæ, adolescentiæ, juvenilis ætatis, et hujus jam senescentis, et cogor admirari bonitatem illam tuam infinitam quam hactenus in me, mea et meis sum expertus. Da, Pater, hæc serio cogitare, serio meditari, ut magis magisque intelligam quid quantumque tibi debeam. Da per has cogitationes proficere in pietate, te vereri,

te sincere adorare. Nunc utique magis quam unquam, Deus clementissime, tuo mihi opus est auxilio et præsidio. Insurgitur adversus me undique ab iis, quos scriptis meis offendi, quod dixerim Reges non esse ad libitum unius hominis, qui imperium orbis terrarum sibi vindicat, occidendos. Insurgetur, scio, multo etiam furiosius postquam opus hoc, quod dies noctesque urgeo, fuerit publicatum. An ego par sum tot inimicis? An erit illis difficile et nomen meum obruere calumniis, et me etiam perdere? Omnino, Deus æterne, nisi me tua benignitas protegat, de me misero actum est. Sed mihi spes omnes in tuo præsidio sunt sitæ. Caussam veritatis atque adeo veræ pietatis, quantum equidem possum ipse intelligere, conatus sum meis scriptiunculis defendere. Scivi nihil a me posse proficisci boni, nisi tu mentem illustrares, ingenium formares, calamum regeres. Quia labores meos ad nominis tui gloriam et tuæ veritatis patrocinium referebam, credidi, Pater mitissime, conatibus meis tuam benedictionem non defuturam. Siquid præstiti, quod laudem mereatur, tuum id omne est, O magne mundi Arbiter. Peccata mea sunt, et quicquid secius mihi exciderit [*pauca oblite-rata.*] molestissimæ. Tu illarum mihi conscius, O Domine, tu illis me libera, aut saltem illas minue. Obruor enim, et prope jam deficimus ego atque uxor. Da mihi, Pater cælestis, da uxori, ut te semper respiciamus, a tuo nutu pen-

deamus, et tuam voluntatem unicam nostrorum consiliorum canonem agnoscamus. Da nobis sic vivere, sic liberos et familiam regere, ut omnia dicta factaque nostra et nostrorum omnium ad tui nominis gloriam referantur. Johannem filium natu maximum ne desere, Pater clementissime, sed *μεταμόρφωσον εἰς καινὴν ζωήν*. Liberis da in pietate et honestis artibus quotidie proficere. Sorori meæ *τῇ ταλαιπώρῳ* ades, et a suis miseriis tandem illam libera, mihique largire ut prodesse illi aliqua in re et aliis propinquis meis queam. Libri hujus exitum da lætum videre per Jesum Christum *τὸν μονογενῆ* Filium tuum *τὸν σωτῆρα μονώτατον*, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, gloria, decus et imperium *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.*

IV. *Non. Jan.* Hodie ego, uxor, Gentilis et Johanna sacræ Domini Cœnæ in Ecclesia Gallica communicavimus. Fui postea diu apud Regem, qui suam benevolentiam verbis luculente testatus est. Deus æterne, serva illum, serva me, meam ac meos. Amen.

III. *Non. Jan.* Τὰ *ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις.*

*Prid. Non. Jan.* Apud D. Archiepiscopum hodie fui, deinde apud Regem, ut de suetis muneribus gratias agerem. Deo sit laus, honos et gloria. Amen.

*Non. Jan.* Apud D. Decanum hodie sum pransus cum uxore et parte liberorum, curavi et studia *τὸ γοῦν καδδύναμιν. Θεῷ χάρις.*

VIII. *Eid. Jan.* Dies erat Regum ut vocant. Fui apud Regem optimum, quem, O Deus, serva, et benedic huic miseræ domui.

VII. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις.

VI. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια· et cœna apud D. Maiernium cum uxore et amicis. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

V. *Eid. Jan.* Uxor et liberi concioni interfuerunt, ego coactus sum pensum urgere, cujus da lætum exitum, O Pater. Amen.

IV. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

III. *Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια· τῷ παναρίστῳ Θεῷ χάρις.

*Prid. Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, tua, O Deus, bonitate hæc otia faciente. Tibi honos et gratia, O Deus æterne. Amen.

*Eid. Jan.* Τὰ ἐγκύκλια, et properamus ad metam, si tu, bone Deus, dederis nobis. O benedic, bone Deus, huic afflictæ variis de caussis familiæ. Vel literæ, quas hodie accepi a D. Thuano, me male habere queant. Sed permitto me et mea tuæ, O Deus, voluntati. Amen. Amen.

XIX. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια, et graves sermones cum D. Legato Gallico. Tu, Domine, dirige omnia ad tui nominis gloriam. Ego cæcutio in statu præsenti. Benedic etiam, O Deus, huic familiæ. Amen.

XVIII. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι. O ades, Domine, mihi, meæ et meis. Amen.

XVII. *Kal. Feb.* Concioni Gallicæ D. Hutenii ego, uxor et liberi interfuimus. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

XVI. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις.

XV. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια· τῷ Θεῷ χάρις, qui benedicat huic domui pro sua infinita bonitate. Amen.

XIV. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια sed propter casum valde negligenter. Deus, respice me, meam et meos. Amen.

XIII. *Kal. Feb.* Τὰ ἐγκύκλια. Hodie literas a magno Thuano accepi plenas pietatis, probitatis, et singularis erga me amoris. Narrat ille fatalem, ut existimatur, morbum Roberti Stephani, quem, O Deus, subleva, et miserere illius. Miserere et mei, meæ ac meorum, bone Jesu, καὶ πολυέλεε. Anxietates enim animi mei et uxoris tu nosti; mala nostra nota habes. O respice nos, ὦ σῶτερ. Amen.

XII. *Kal. Feb.* Gratias ago tibi, Domine, quod hac die finem dederis imponere operi ante octodecim ferme suscepto menses. Jam ante multos annos meditatus eram aliquid adversus Baronii Annales, quod in magna hodie auctoritate esse videbam et sciebam tamen esse errorum plenos. Optabam dari mihi facultatem eos errores, ut equidem existimabam, aperiendi: pertinere enim hoc ad veritatis cælestis defensionem intelligebam; eo impensius optabam posse id a me præstari quod eram meditatus. Nunquam de totius operis refutatione equidem cogitavi gnarus τὸν βίον βραχὺν et me ætate jam provectum. Illud sæpe tacitis votis a Deo petii ut ad primum

tomum serio possem respondere, quoniam ibi sunt principia omnium hodiernarum controversiarum. Iterum igitur atque iterum imo *μυριάκις* gratias tibi, Deus æterne, quod dederis mihi occasionem veniendi in hoc regnum ubi oblata est facultas et otium ad suscipiendum illud inceptum. Suscepi et spatio longe minore quam posse fieri sperabam partem priorem propositi absolvi. Septem mensibus et paucis diebus opus, qualecunque id sit, composui. Oxonium deinde abii, et fui ibi aliquamdiu: fuerunt et alia oblata mihi gravia avocamenta a studiis. Valetudo sæpe magnum mihi metum incussit, et tristissima denunciant medici. Veruntamen dedit mihi tua, O Deus, bonitas, ut nullum temere diem propter valetudinem amitterem, quo non lineam saltem aliquam ducerem. Absoluta igitur jam est hujus partis editio. Restant præfationes, in quibus tua cum maxime ope mihi opus, O bone Jesu. Ita prodibit foras opus novum, de quo iniqua multorum judicia me experturum nullus dubito. Tu, Deus æterne, adfuisti hactenus mihi, tu porro aderis. Sic opto, sic spero *μάλα πεποιθότως*. Spes mea in meritis Jesu Christi sita, cui una cum Deo Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos, gloria et *πᾶσα χάρις*. Amen.

XI. *Kal. Feb.* [*Omnia obliterata.*]

X. *Kal. Feb.* [*Pauca.*] Hodie cum parte liberorum adivimus concionem. Sit nomen Domini benedictum. Amen.

IX. *Kal. Feb.* Pransus apud D. Legatum Franciæ adii D. Robertum Cotton, in cujus Bibliotheca vidi thesauros antiquitatis admirandos. Θεῷ χάρις.

VIII. *Kal. Feb.* Ad cogitationem de præfationibus scribendis hodie me incipiebam accingere. Domine Jesu, benedic mihi, meæ et meis. Amen.

VII. *Kal. Feb.* Parum hodie vacavi studiis. Da tuam benedictionem mihi, meis, O Deus.

VI. *Kal. Feb.* Aliquid hodie, sed literas plurimum scripsimus. Θεῷ χάρις. Amen.

V. *Kal. Feb.* Totum diem vel in molestis curis vel in literis scribendis posui. Deus benedicat huic domui. Amen.

IV. *Kal. Feb.* Totum diem vel in literis scribendis, vel apud D. Cottonum nobilem Anglum posui. Deus ceptis benedicat. Amen.

III. *Kal. Feb.* Hodie ad scribendam epistolam ad Regem animum appellere cogitabam, postquam a concione sacra ego, uxor, liberi rediissemus: sed non multum potui illi curæ vacare. Κύριε, βοήθει. Amen.

*Prid. Kal. Feb.* Hodie serio cepi cogitare de opella, quæ sola restat. Sed multis de caussis effeci nihil. Deus æterne, benedic mihi, meæ, meis. Amen.

*Kal. Feb.* Hodie constitui duas scribere præfationes, unam ad Regem, alteram ad omnes veræ antiquitatis studiosos. Deus ceptis adsit, et benedicat pro sua inexhausta clementia. Amen.

Preste a Mons[r]. Paw lib. du Jeun Balsanum Gr.

IV. *Non. Feb.* Hodie ab instituta cogitatione rejectus sum ad curandos indices, quos ille corruperat, qui onus in se susceperat. Θεῷ χάρις.

III. *Non. Feb.* Cura illiberalis de indice auctorum me occupavit. Hodie Regem vidi. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

Preste a M. Barilai Buchan. histor.

*Prid. Non. Feb.* Curæ istæ molestissimæ me habent. Tu, Domine, da exitum lætum, et benedic huic familiæ. Θεῷ χάρις.

*Non. Feb.* Et illiberales istæ curæ de indicibus me plane occupant [*Obliterata quædam.*] Tu, Domine, miserere. Amen. Hodie absolvi indicem auctorum et descripsi inter varias curas et impedimenta insigni usus diligentia. Τῷ πολυελέῳ Θεῷ χάρις.

VIII. *Eid. Feb.* Hodie uxor cum parte liberorum ad sacram σύναξιν profecta communicavit. Ego cum molestissimis curis sum luctatus. Restat cura omnium molestissima, cujus exitum, O Deus, da videre. Amen.

VII. *Eid. Feb.* Impendi hunc diem qui est in Kal. Greg. XIII. Kal. Mar. cogitationibus de studiis in quibus profeci sane quantum optabam. Sed mihi spes omnes in Deo Patre Jesu Christi sunt sitæ. Itaque illi me permitto. Atque ita anni hujus vitæ meæ dies ultimus est exactus. Quare admonet me hic ipse dies, ut tibi, Pater cælestis, gratias agam pro tot et tantis quæ hoc

anno a te accepi beneficiis. Quod valeo, quod uxor valet, quod liberi sunt superstites, quod reculæ nostræ non pessimo loco sunt, tui id est muneris, O Deus πολυέλεε. Ego meique præter indignationem tuam quid aliud sumus meriti? Illam vero quoties simus commeriti, ah meminisse piget. Imo vero meminisse juvat duplici de caussa. Nam et tua beneficia inenarrabilia sic melius intelligo, et seria horum recordatio odium peccati in animo meo excitat. Scio, Domine, et cum gemitu ac lacrymis agnosco millies, imo μυριάκις, esse me hoc anno et tota mea vita meritum, ut victricia tuæ iræ tela experirer. Hoc ingenue et ex intimo corde agnosco, sed miserere, O Pater, miserere mei, ac gressus meos firma, ut quod superest vitæ, id agam in tua Lege ambulans. Inde mihi, meæ ac meis, hanc piam voluntatem, et voluntati adjunge facultatem perficiendi tua mandata, quantum humana fragilitas potest hoc præstare. Da vere pœnitere anteactorum, et in posterum ad amussim Legis tuæ vitam instituere. Respice, O Deus benigne, hanc familiam varie afflictam. Serva me, atque uxorem, ut liberos, quos dedisti, regere possimus. [*Nonnulla obliterata.*] Sororem meam serva, et qui dedisti hactenus illi posse opitulari rebus ipsis nonnihil, da ut serio possim illi prodesse. Affines denique supplex tuæ bonitati commendo. O exaudi, Deus æterne, exaudi, Christe Jesu, qui

una cum Patre et Spiritu Sancto sine principio, sine fine regnas, imperas *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Εὐόδωσον, ὦ Πάτερ, τὰς νῦν ἡμῶν μελέτας πάλιν αὖ καὶ πάλιν.*

## Annus Vitæ meæ lvi.

Hæc tua est erga me miserum peccatorem admiranda patientia, qui dedisti mihi tot annos exigere, fructum aliquem bonum ex hac arbore quam creasti ipse, et plantasti et mira indulgentia curasti, expectans. Me miserum! Quando ego incipiam respondere tuæ justissimæ, O Domine, expectationi? Quando factum me esse *καινὴν κτίσιν* rebus ipsis probabo? Tu quidem, Deus æterne, voluntatem mihi dedisti et officii mei notitiam aliquam. Dedisti mihi piis parentibus nasci: dedisti in Ecclesia tua educari, dedisti ad hanc diem inter plurimas et gravissimas tentationes permanere firmo *ἐν τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει.* Sed fidem non sequuntur opera, qualia tua Majestas exigit, neque certe qualia ipse optarem. En quando semel bona fide omnibus renunciabo, quæ tibi displicere non ignoro? Difficile id quidem mihi misero in tanta præsertim familia versanti, quæ peccatis quotidianis stimulat me ad iram, cui ab ineunte ætate quum semper fuerim obnoxius, hæc ingravescens ætas et certarum personarum iniquitas sæpe me irritans morbum adauget. Fateor etiam prudentia illa necessaria ad regendam hanc domum nimis ah nimis desti-

tui me. Itaque sub hoc onere plane succumbo, et nisi tua succurrat benignitas, animo et corpore deficio. Sentio languere vires corporis, idque insigniter a tempore non magno. Utinam vitia quæ in me sunt non langueant tantum, sed penitus extinguantur. Habebo senectuti meæ ingentes gratias. Hoc ego, Deus πολυέλεε, a te sic obnixe peto, et supplex contendo, ut, si hoc mihi fuerit a te concessum, omnia mihi crediturus sim esse concessa. Quod si placet tibi, ut in hac vita adhuc maneam, da vires corpori pares inceptis quæ mens meditatur ad nominis tui gloriam, et sanctæ veritatis defensionem: da uxori meæ, ut sit mihi quod hactenus fuit, in auxilium ad regendam hanc domum: atque in eum finem pietate et mansuetudine illam instrue, quod futurum sit satis. [*Obliterata nonnulla.*] Liberos serva, et cuique illorum benedicito. Sorori misellæ da tandem videre exitum sui ἀπεράντου negotii. Totam denique cognationem et affinitatem nostram prosequere beneficiis tuis, atque ante omnia mihi, meæ ac meis omnibus auge timorem tui magni nominis per Jesum Christum τὸν μονώτατον σωτῆρα, in quo studiorum meorum spes omnes sitæ semper fuerunt, et nunc sunt cum maxime, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit honos, laus et gloria in secula seculorum כי לעולם חסדו. Amen.

VI. *Eid. Feb.* (*qui est in novo Kal°.* XII. *Kal. Mar.*) Hunc diem natalem varie consumpsi: fui in studiis, sed non diu, neque magno fructu: fui apud

D. Decanum virum humanitate et doctrina insignem. Visi etiam duos Legatos, itaque cum multa egerim nihil admodum egi. Domine, respice me, meam et meos. Amen.

v. *Eid. Feb.* Quam langueo, quam vereor, quam totus nihil sum? Sed spes mea in tua bonitate, Deus æterne, quæ est infinita. O ades. Amen. Amen.

iv. *Eid. Feb.* Promoveram aliquantum, sed omnia displicuerunt. In te uno, O Deus, spero. O ades. Amen.

iii. *Eid. Feb.* An κατεβλήθη ἡ ἀρχή; Utinam quidem. Te veneror, Deus æterne, ades et hanc familiam tua benedictione prosequere. Amen.

*Prid. Eid. Feb.* O ærumnas hujus vitæ! Spes nostræ, quæ nuper affulserunt, retro sublapsæ feruntur. Quid restat? Imo illud restat, ut tu, Deus æterne, rebus succurras, et nos eximas, si placet, his molestissimis curis. Tibi honos, tibi gloria. Amen.

*Eid. Feb.* Quod Dominus Jesus bene vertat, heri in nocturna lucubratione eorum, quæ cogitabam, aliquid præstiti, et plura hodie, quum me negotia domi detinuissent, uxore cum tota familia ad concionem profecta. Κατεβλήθη igitur ἡ ἀρχή, nisi tu non vis, ter sancte Deus. Qui ades, et me serva, meam et meos. Amen.

xvi. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed tuum Numen supplex veneror, O Deus, adsis mihi, meæ et meis. Amen.

XV. *Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια in proposito. Te respicio, Domine Jesu, tibi me supplex permitto, meam et meos. Amen.

XIV. *Kal. Mar.* Bone Deus, ades mihi, uxori τῇ φιλτάτῃ et nostris liberis. Sororem supplex tibi commendo. Amen.

XIII. *Kal. Mar.* [*Quædam obliterata.*] Itaque opellam institutam omisi, et totum diem egi nihil. Utinam det meliora Deus. Amen.

XII. *Kal. Mar.* Respiravimus hodie gratia Dei liberius, et in opella admodum promovimus. Hoc alterum est Dei beneficium. Sit nomen Domini benedictum.

XI. *Kal. Mar.* Et hodie satis multa scripsimus. Christus adsit mihi, meæ et meis. Amen.

X. *Kal. Mar.* Sacræ concioni ego et tota familia, Deo gratia, interfuimus. O respice hanc domum, Deus æterne. Amen.

IX. *Kal. Mar.* Si quid judico in proposita opella non male posita opera hodie. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

VIII. *Kal. Mar.* Hunc quoque diem parum lætum habui torpente ingenio e torpore corporis. Sed in te spes mea, O Deus. Tibi gloria et honos. Amen.

VII. *Kal. Mar.* Bone Jesu, quam infeliciter hic dies transactus? quantas inter curas et molestias tibi uni notas? Languet corpus, ingenium quoque, ita insigniter, ut ad scopulum hæreat allisa nostra navis. Speramus in te tamen, bone Jesu, et non defuturum auxilium tuum opportuno

tempore confidimus et certo credimus. O ades. Amen.

VI. *Kal. Mar.* Hodie tuo, Deus æterne, beneficio non parum promovi. Itaque tibi gratias, Christe Jesu. En ades, et me meamque libera istis curis * * quæ nos enecant: da nobis et liberis nostris verum timorem tui nominis. Amen.

V. *Kal. Mar.* Bone Jesu, quas ego tibi gratias aut habebo aut agam? Tu me liberasti hodie molestissima cura, cum finem imposui Præfationi ad Regem. Inter tantas molestias illa mihi scripta in tantis angustiis ut nihil simile mihi contigisse meminerim. Et erat per se gravis sollicitudo ut aliquid tanto tam docto Principe dignum scriberem. Sæpe inchoavi, sæpe verso stylo, quæ scripseram delevi. An aliquid profeci? Certe hoc ego nescio: hoc scio scripsisse me, quæ putavi Ecclesiæ Dei profutura, aut non obfutura. Pii et docti judicabunt. Tibi vero, Deus æterne, gratia magna. O respice hanc mire languentem domum, per Jesum Christum, cui una cum Patre et Spiritu Sancto sit laus, honos et gloria. Amen.

IV. *Kal. Mar.* Labor laborem excipit. Nunc cum lectore versamur. Etiam hic da, bone Deus, scribere grata. Amen.

III. *Kal. Mar.* Tenuit nos domi inter cætera casus Annæ, quæ dormiens ad focum pedem nudum ferventi prunæ injecit, et tota nocte clamavit e gravissimo dolore. Sed, bone Deus, tu

adfuisti et aderis, spero, in posterum, ne aliquid gravius eveniat. Amen.

*Prid. Kal. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια· Θεῷ χάρις. Amen.

*Kal. Mar.* Deus mi, da lætum mensem exigere, qui dedisti feliciter inchoare. Tibi honos et gloria.

VI. *Non. Mar.* Τὰ ἐγκύκλια. Sed propter valetudinem minus quam optabam. O Deus, ades mihi, meæ et meis. Amen.

V. *Non. Mar.* Hodie quicquid supererat de hoc penso ad finem est perductum, et finis impositus etiam epistolæ ad lectorem. Gratias tibi, bone Jesu, gratias tibi. O ades, et me serva ac meam, et meos. Amen.

IV. *Non. Mar.* Hodie apud D. Archiepiscopum fui, et judicium illius de præfatione ad Regem exploravi. Deus ceptis benedicat. Illi honos et gloria.

III. *Non. Mar.* Hodie præfationem ad Regem Regi ostendi, qui visus non mediocriter probare. Θεῷ δόξα καὶ χάρις. Amen.

*Prid. Non. Mar.* Hodie sacræ cœnæ Domini communicavimus ego, uxor et filiæ. O da, Domine, vere fieri tanti boni participem et te timere. Amen.

*Non. Mar.* Hodie nactus otium, cepi recensere Animadversiones meas in Athenæum, Deo duce et auspice, cui sit honos et gloria. Amen.

VIII. *Eid. Mar.* Hodie Rex optimus mihi ostendit librum Scioppii, in quo et ipsius Majestatem, et patrem meum, uxorem, et me horrendis con-

vitiis prosequitur. Miseram religionem Romanam quæ aliter nisi per Diabolica mendacia defendi non potest. Tu scis, Jesu Christe, veritatem aut falsitatem illarum criminationum. Tu judex esto. Ego interim glorior propter nomen tuum has me et meos pati contumelias. Tibi honos et gloria. Amen.

VII. *Eid. Mar.* Etiam hodie apud Regem fui, quem serva, O Deus, et benedic huic domui. Amen.

VI. *Eid. Mar.* Studiis et recensioni Athenæi hunc diem impendi, me et mea omnia Deo æterno humili animo permittens. Illi laus et gloria. Amen.

V. *Eid. Mar.* En vitæ humanæ incommoda. Nocte proxima latrones ingressi in partem domus inferiorem rapuerunt quicquid auferre potuerunt, imprimis totum instrumentum culinæ, præsertim quicquid fuit stanneum. Quæ in usum quadragesimæ erant parata eorum magnam partem abstulerunt. Sed dum hæc scribo, adsunt famuli amicissimi Turqueti, qui narrant eadem nocte superiore furtum in suis ædibus esse admissum longe majoris pretii, nam etiam magni pretii vestes esse furto ablatas. Tu, Domine Jesu, fures istos doce viam meliorem rei faciendæ: nostra damna repende tua benedictione, et in tui nominis timore da mihi, meæ ac meis omnibus vitam exigere. Amen.

IV. *Eid. Mar.* Hodie serenissimo Regi librum meum obtuli et visus sum rem optimo et doctis-

simo Principi facere non ingratam. Plurima me jussit legere, plura ipse legit non sine demonstratione benevolæ mentis. Sit Deo immortali laus, gloria et honos in æternum. Amen.

III. *Eid. Mar.* Hodie D. Principi librum meum obtuli. Neque potuit uxor cum familia concioni Gallicæ interesse mane, sed interfuit a prandio. Ego apud Regem serenissimum diu fui, cui benedic, O Deus. Amen.

*Prid. Eid. Mar.* Apud D. Archiepiscopum fui hodie et unum illi dedi meorum librorum qui videtur non sine voluptate accepisse. Benedic, O Deus, huic domui. Amen.

*Eid. Mar.* Hodie recruduerunt ærumnæ, de quibus apud te, bone Jesu, sæpissime sum questus. Sed sperabo in tua bonitate semper et indesinenter. Subiit etiam hodie animum meum illa cogitatio, ne meas ipse mihi spes præciderim nuper scribens ad Regem serenissimum quem alioquin scio esse mei non mediocriter amantem. Sed, utut sit, *γενηθήτω τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ*. Amen.

XVII. *Kal. Apr.* Literas totum diem scripsi, nec multum promovi: fui etiam apud D. Legatum Galliæ. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

XVI. *Kal. Apr.* Literæ, et pensum institutum, sed leniter ob varias curas, quæ me anxium habent de futuro meo statu. Sed, O Deus, respice me et meos. Amen.

XV. *Kal. Apr.* Literæ, pensum in Athenæo, alia negotia. Θεῷ χάρις.

XIV. *Kal. Apr.* Τὰ ἐγκύκλια in penso Athenaico. Deus regat hanc domum. Amen.

XIII. *Kal. Apr.* Die κυριακῇ sum impeditus, ne adirem concionem, ut optabam. Fui multas horas in Augustino pio sanctoque scriptore. Uxor et liberi concioni interfuerunt. Ego Regi adfui pro more. Θεῷ χάρις.

XII. *Kal. Apr.* Hodie apud Regem fui; unde reversus incidi in languorem indicem ἀρρωστοῦντος τοῦ σώματος. Sed bene erit, spero ἐν Κυρίῳ, cui honos, laus et gloria. Amen.

XI. *Kal. Apr.* Etiam hodie apud Regem fui, sed non sine dolore corporis, quod videtur affectum pessime ac minari multa mala. Bone Jesu, scio quicquid eveniat, non pro magnitudine peccatorum meorum id futurum. O da velle, quod ipse voles. Amen.

X. *Kal. Apr.* Gravissime affectus, exspecto quid me futurum sit: nam vix fieri potest quin crescente vi morbi fiam κλινήρης. O Deus, ades, me, meam, meosque omnes serva. Amen.

IX. *Kal. Apr.* Hesternam et hodiernam diem egi in lecto ex imperio medici. Deus benedicat huic domui. Amen.

Hodie quatuor exemplaria dedi D. Chamberlan in Galliam mittenda.

VIII. *Kal. Apr.* Etiam hodiernum diem egi in lecto e valetudine. Tu, Domine Jesu, medere meis malis et meorum κατὰ ψυχὴν καὶ σῶμα. Amen.

VII. *Kal. Apr.* Quum hodie febris mane remi-

sisset, surrexi tædio lecti, et partem diei egi extra lectum. Θεῷ χάρις.

VI. *Kal. Apr.* Κυριακὴν domi egi inter amicos, qui morbi caussa ad me venerant. Θεῷ χάρις.

V. *Kal. Apr.* Hodie domo exii, et adii a prandio Legatum Gallicum cupidus cognoscendi res Galliæ, quas ille narrat lætas. Utinam sint. Tu, Deus, facito, et benedic huic domui afflictissimæ. Amen.

Hodie duo exemplaria misi in Galliam per D. Gordoniam.

IV. *Kal. Apr.* Hodie Regem visi et vidi, sed pauca verba cum eo commutavi. Domine Jesu, benedic huic domui. Amen.

III. *Kal. Apr.* Nocte superiore graviter vexatus variis doloribus totum diem domi egi partim in museo, partim cum uxore et liberis. Quibus omnibus una mecum da veram pietatem, et nos omnes serva. Amen.

*Prid. Kal. Apr.* Dies satis hiemalis: nam et frigebat mediocriter, et magnus flabat ventus. Domine Jesu, ago tibi gratias, quod mensem hunc mihi, meæ et meis dedisti exigere. Tibi honos et gloria. Amen.

*Kal. Apr.* Hunc mensem, qui dedisti inchoare, da, Deus æterne, finire ἀπημάντως. Da ὑγιαίνειν σῶμα καὶ ψυχήν. O Deus, respice hanc domum. Amen.

IV. *Non. Apr.* Recensere animadversiones in Athenæum meas ante hunc morbum institueram: deinde morbo coactus intermiseram, sed mox

etiam inter dolores adversæ valetudinis ad pensum reversus primæ saltem recensioni hodie finem imposui beneficio tuo, Deus æterne. O rege me, et studia, actionesque, et ad gloriam tuam dirige. Amen.

III. *Non. Apr.* Uxor et liberi sacræ Cœnæ Domini communicarunt: ego propter valetudinem non potui. Fui tamen apud Regem, et multos cum ejus Majestate sermones habui. Deus illum servet, et huic domui benedicat. Amen.

*Prid. Non. Apr.* Cum D. Bathoniensi hodie egi de nonnullis rebus, et visus sum benevolum ejus animum erga me agnoscere. Deus spes mea unica et meorum. Amen.

*Non. Apr.* Hodie tota urbs perstrepebat propter celebritatem diei quo Rex serenissimus cum suis Proceribus et Clero ac reliquo populo Conventum ordinum magna pompa inchoavit. Ego et uxor domi mansimus, et pensa nostra curavimus. Multa hodie adjeci animadversionibus in Athenæum meis, quæ utinam fideliter aliquando edantur. O Deus, benedic huic domui. Amen.

VIII. *Eid. Apr.* Hodie audivi concionem Synodalem Latinam viri probi et eruditi: deinde adactus sum ut cum Reverendissimis duobus Archiepiscopis Cantuariensi et Eboracensi maximaque parte Episcoporum Angliæ pranderem apud virum pietate insignem D. Londinensem. Deus benedicat huic Ecclesiæ, et det proficere semper in melius. Amen.

VII. *Eid. Apr.* Gratia Dei protegat hanc domum. Amen.

VI. *Eid. Apr.* Regem hodie in interiore cubiculo vidi et de libro cujusdam ineptuli Galli Dassier multa cum ejus Majestate sum locutus. Deus illum servet, et huic domui benedicat. Amen.

V. *Eid. Apr.* Diem egi inter libros. Deus, benedic mihi, meæ et meis. Amen.

IV. *Eid. Apr.* Ego, uxor, et liberi concioni sacræ Dei beneficio interfuimus. Fui et in aula, et de misero Scioppio mira audivi. Læserat Regem serenissimum cujus ministri in media Hispania injuriam Domini sui sunt ulti. Da misero, O Deus, pœnitere, et mihi meisque tui nominis timorem. Amen.

III. *Eid. Apr.* Literæ hodie scriptæ. Deus mihi, meæ et meis benedicat. Amen.

*Prid. Eid. Apr.* Fui apud Regem et aliquid egi. Literas scripsi. Θεῷ χάρις. Amen.

*Eid. Apr.* [*Nonnulla obliterata.*] O Deus, benedic huic domui. Amen.

XVIII. *Kal. Mai.* In corrigendo Chalcedonico concilio jam aliquot dies fui. Sed hodie amicos invisi, maxime Episcopum Londinensem, cui, O Domine, benedice et hanc domum serva. Amen.

XVII. *Kal. Mai.* Excerpta ex illo concilio hodie confeci et aliquantum profeci. Θεῷ χάρις. Amen.

XVI. *Kal. Mai.* Apud Maiernium virum clarissimum hodie pransus sum cum Thorio medico

eruditissimo quorum consiliis, quæ de mea valetudine inierunt, benedic, O Pater. Amen.

XV. *Kal. Mai.* Uxor et liberi concioni interfuerunt: me valetudo detinuit domi: qui tamen ad Regem, etsi ægre, me tamen contuli, et ab Episcopo Bathoniensi audivi quam nihil insit solidi spei nuper excitatæ. Tu, Domine Jesu, mea spes et salus, meum præsidium, tu in mente providebis. Amen.

XIV. *Kal. Mai.* Vagamur per studiorum diversa genera, quia nunc nullum habemus certum propositum. Tu, Domine, caussam nosti. Tibi ego me meaque omnia permitto. Tibi honos et gloria. Amen.

XIII. *Kal. Mai.* Concioni Gallicæ ego et uxor hodie interfuimus. Fui et apud Regem. Et D. Edmundus Legatus Regis Magnæ Britanniæ apud Regem Christianissimum fuit hodie apud me. Θεῷ χάρις.

Ce jourdui ai renvoié a Monsr. Bilius des livres avec desquels suis charge envers le Roi, les suivants pour les faire relier Onuphrii Panvinii Comm. Reip. Rom. lib. III. Abrahami Goulæi Thesaurus. IX. Antiquitates Boissardi, quatuor tomos. Cœmiterium Cal. inferius.

XII. *Kal. Mai.* Τὰ ἐγκύκλια in quarto tomo conciliorum Romæ editorum. Tu, Domine Jesu, benedic huic domui. Amen.

XI. *Kal. Mai.* Literas hodie scripsi: aliud fere nihil. Θεῷ χάρις. Amen.

X. *Kal. Mai.* Celebrata est hodie in Ecclesia

Anglicana memoria passionis Domini et Σωτῆρος, cujus rei memoriam animo meo, meæ et meorum infige, O Deus, et mysterii tanti fructum da percipere. Amen.

IX. *Kal. Mai.* Per hos dies sacros multus fui in sermonibus B. Augustini et homiliis B. Chrysostomi. Maximus uterque vir, sed diverso genere laudum in suis scriptis excellentes. Det Deus proficere in horum scriptis, et benedicat huic domui. Amen.

VIII. *Kal. Mai.* Diem Paschatis celebratione solennem magna ex parte egi in aula, et in Ecclesia Anglicana communicavi. Deus æternus vim mysterii illius det mihi meisque magis magisque in dies percipere. Amen.

VII. *Kal. Mai.* Fui hodie in concione Gallica, deinde in aulam profectus, vidi serenissimum Regem convivio excipientem Legatum Moschoviticum et ritus quosdam ejus gentis notavi. Moschis cum suo duce cibum sumentibus nefas aliquid gustare prius quam ipse illis salem et panem dederit. Quod et isti hodie servarunt, et Rex illis misit. Deinde petierunt dari sibi edendi veniam. Quando Rex illis (duo enim sedebant, primarius Legatus et alter quasi ejus secretarius) præbibit, illi e suis sedibus prosilierunt, et in locum prodierunt qui erat e regione ipsius Regis, atque ibi, ut honorem Regiæ Majestati exhiberent, aliquoties inclinati in humum fronte solum percusserunt, quod Græcis dicitur βάλλειν μετάνοιαν.

Deus et Regem servet, et illis majorem veræ religionis det cognitionem; et domui huic benedicat. Amen.

VI. *Kal. Mai.* Hodie literas a Grotio accepi, et chartam ab eo missam Regi obtuli. Deus et illi negotio benedicat, et hanc domum servet in sui nominis timore. Amen.

V. *Kal. Mai.* Κύριε Ἰησοῦ, Χριστὲ χρηστὲ, νῦν τῆς σῆς δεόμεθα βοηθείας. Ades igitur, supplex te oro, et uxorem gravissime laborantem et vi morbi misere cruciatam subleva, solare, sana. Da ipsi veram ὑπομονὴν, et vim morbi sævientis compesce, quia bonus es, mitis, et clemens. Amen. Amen.

IV. *Kal. Mai.* Uxor gravissime torquetur: ego συμπάσχω τῇ ταλαιπώρῳ toto affectu. Sed, O Deus æterne, in te spes nostra, quam scimus non fore inanem, et ne sit, supplex te oro. Amen.

III. *Kal. Mai.* Hodie insignis medicus et amicus Maiernius me et uxorem invisit. Uxori dixit factum esse αἰγίλωπα in cantho oculi dextri ipsius, mihi post diligenter tractatum et consideratum tumorem παρὰ φύσιν in ventre a paucis mensibus exortum, esse in ea parte collectionem factam aquæ et ventorum, quæ nisi provideatur, sit admodum excretura in magnum ὄγκον. Hæc vir tantus de me et uxore. Tu, Deus æterne, da exitum lætum harum infirmitatum, si placet, et gloriæ tuæ id futurum est conducibile. In te uno speramus, a te auxilium petimus, atque illud

imprimis, ut nostra nobis et nostrorum liberorum peccata condones. Amen. Amen.

Preste a Monsr. Dromonius Escossois des livres du Roi Gordonii Annales, livres en folio. Triumphus de conversione Henrici IV. Precum liber.

*Prid. Kal. Mai.* Quod felix esse Deus velit, hodie pharmaco sum purgatus, sed leni et parum efficaci, nec penitus tamen nullarum virium. Deus benedicat mihi, meæ et meis omnibus. Amen.

*Kal. Mai.* Hic dies eximius mihi et filio Merico illuxit. Nondum ille sacræ Domini cœnæ fuerat particeps. Visum est non amplius differendum, quando ille annum decimum quartum ageret. Dubitavi an ad nostræ Ecclesiæ ministros ipsum deducerem, ut feci omnes priores illius fratrem et sorores, an potius morem Ecclesiæ Anglicanæ in Ecclesia Anglicana servarem. Hæc potior visa est sententia ob illam caussam, quod meo judicio ad veteris formam et instituta hæc propius accedit. Volui igitur servari in eo ritum Anglicanum, ut priusquam admitteretur ad κοινωνίαν examinaretur et ab Episcopo confirmaretur. Is Episcopus fuit Eliensis ὁ πάνυ. Ego actioni interfui, et post preces, post concionem, post confirmationem ego cum filio sacram μερίδα a manu D. Eliensis accepimus, multum mirati in illo excellente Præsule exactam vetustatis imitationem quantum fieri potest. Tu, Deus æterne, benedic ei quod factum est, et hunc juvenem, quem nascentem ego et mater ipsius tibi consecravimus, dirige

in rectam vitæ viam, ut tibi serviat, te unum sincera mente adoret, te semper ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ colat, per Jesum Christum, qui una tecum, Deus Pater, et cum Spiritu Sancto sine principio, sine fine regnatis, regnabitis. Amen.

VI. *Non. Mai.* Fui hodie apud Legatum, et læta de publicis Galliæ rebus intellexi: sed de meis privatim partem læta narrabat D. Henricus. Fiat voluntas Dei. Amen.

V. *Non. Mai.* Concioni Gallicæ hodie interfui. Legi tres libros sive Epistolas Chrysostomi ad Stagirium δαιμονιῶντα. O divinos libros! O pectus Dei plenum! Da in his proficere, O bone Jesu. Amen.

IV. *Non. Mai.* Hodie medici D. Maiernius et D. Thorius ad me venerunt, et ad prandium apud D. Maiernium deduxerunt. Multa illi de meis morbis, quibus faxit Deus ut medicinam faciant. Amen.

III. *Non. Mai.* Equitavi hodie consilio usus medicorum: neque ullum λιθιάσεως signum aut in urinis aut in ipsius corporis dolore animadverti. Nam quod ἐν τῷ περιναίῳ aliquid sensi obtusi doloris id putem nihil esse. Tibi, bone Jesu, gratias magnas. Sed recrudescit subinde hic dolor domesticus, a quo liberabis me, ὦ Κύριε, quando et quomodo voles. Ego quidem πάντως ἀπορῶ, quo magis tuam opem expecto. Amen.

*Prid. Non. Mai.* Hodie cepi potionibus purgari, et iis quidem admodum lenibus. Anna vero heri

purgata nunc iterum in febrim est delapsa sane gravem. Tu, Deus æterne, et illam et matrem et patrem cum tota domo serva per Jesum Christum Filium tuum. Amen.

*Non. Mai.* Et hodie potione sum curatus, sed valde inefficaci. Sit nomen Domini benedictum. Amen.

VIII. *Eid. Mai.* Quum non possem adire concionem Gallicam, diem fere totum in Chrysostomi lectione posui. Fui et apud Regem, quem, O Deus, serva, et languenti huic domui benedic. Amen.

VII. *Eid. Mai.* Etiam hodie pharmacum sumpsi, ac totum diem in levibus curis posui, aut sermonibus cum uxore *τῇ φιλτάτῃ*; cui, mihi, et nostris omnibus benedic, O bone Christe, *διὰ τὴν σὴν χρηστότητα.* Amen.

VI. *Eid. Mai.* Τὰ *ἐγκύκλια* in Chrysostomo quantum licebat per curam valetudinis. Benedic, bone Jesu, huic familiæ, quia bonus es sperantibus in te. Amen.

V. *Eid. Mai.* Hodie venit ad me D. Bathoniensis jussu Regis, ut de rebus meis meliora in posterum polliceretur. Fiat voluntas Dei immortalis. Amen.

IV. *Eid. Mai.* In concione Gallica hodie fuimus ego, uxor, et pars liberorum. Deus huic familiæ benedicat. Amen.

III. *Eid. Mai.* Hodie et corpore et animo languimus nescio quomodo. Nam ad comedendum

non deest orexis. Fui tamen apud D. Archiepiscopum a prandio, et in Chrysostomo quædam legi. O quando illud erit tempus, siquidem ita Deo placet, ut tempus illud aliquando videam, quum serio in studiis potero versari, et pro mea virili bonorum studia adjuvare? Da, Pater ἐπουράνιε, ut brevi ῥαϊστὸς id tempus videam, et ut meam ac meos zelo veræ pietatis videam magis magisque in dies succensos. Amen.

*Prid. Eid. Mai.* In Chrysostomo aliquot posui: reliquum diem curæ et negotia abstulerunt. Filius spem facit per literas sui adventus. Faxit Deus, ut felix sit hoc inceptum ipsi nobisque. Amen.

*Eid. Mai.* Hodie concioni Gallicæ ego, uxor et liberi interfuimus. Inde ad Regem profectus benignissimis verbis ab ipso sumus excitati ad spem melioris. Fiat voluntas Dei. Amen.

XVII. *Kal. Jun.* Hodie literas Venetiis accepi et meum opus Baronianum bonis non displicere cognovi. Sit nomen Domini benedictum. Amen.

XVI. *Kal. Jun.* Corpus pergo curare pharmacis et quidem bis quotidie. Tibi, Jesu Christe, ὦ σῶτερ, me, meam et meos supplex commendo et permitto. Amen.

XV. *Kal. Jun.* Repentino correptus dolore ventris cum intensione magna recipere me in lectum sum coactus. Fiat, O Domine, voluntas tua. Amen.

XIV. *Kal. Jun.* Hodie fui apud Legatum Veneticum, et literis non multum tribui temporis. Τῷ Θεῷ χάρις eo maxime nomine quod hesternus

morbus hodie me dimisit aut certe remisit. Laus Deo. Amen.

XIII. *Kal. Jun.* Literas ad Grotium hodie scripsi binas, quum uno exarato fasciculo epistolam ab ipso accepissem. Benedic, bone Jesu, mihi, meæ et meis omnibus. Amen.

XII. *Kal. Jun.* Literas scripsi; cum amicis fui; Chrysostomo operam dedi. Pater ἐπουράνιε, rege hanc domum et serva. Amen.

XI. *Kal. Jun.* Concioni ego, uxor, liberi interfuimus. Deinde ad Regem sum profectus. Τῷ Θεῷ χάρις. Amen.

X. *Kal. Jun.* Hic dies me admonet ut de me, mea et meis serio cogitem. Urgeor enim præter solitum difficultate reddendæ urinæ. Subinde cogor meiere, sed meatus sabulo sunt expleti, neque patet via urinæ. Sabulum κεγχρῶδες multum reddo, quosdam etiam majusculos lapillos fere rotundos. Si crescit hæc difficultas, vita mea in periculo fortasse versabitur. Fiat tua, Deus bone, voluntas. Dele tantum peccata mea, et allue me sanguine pretioso Filii tui unigeniti. Uxori ades: liberos dona timore tui nominis, et necessaria illis prospice; item misellæ sorori, et omnibus meis cognatis atque affinibus, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ, ἅμα τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι, δόξα, κράτος, τιμὴ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

IX. *Kal. Jun.* Mane post brevis temporis lectionem in Chrysostomo, equitavi satis diu, neque

Dei gratia cruentam urinam emisi, quod metuebant medici. Pransus deinde sum cum D. Eliensi; unde reversus, etsi fere ab omni cibo abstinueram, incidi in febrem doloribus vesicæ nihil remittentibus. Domine Jesu, miserere tui servi, etsi vere servi inutilis, et hanc domum benignus respice. Amen.

VIII. *Kal. Jun.* Febris hodie remisit τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ: dolores vesicæ non remiserunt, vel potius intensi sunt, postquam vir in arte sua maximus et mihi amicissimus D. Maiernius ipse καθετῆρα, ut vocant medici, immisit in vesicam per colem experiundi caussa, an lapis in vesica esset concretus. Non reperit ille quidem pro certo lapidem, sed invenit quam vocant ἰατρῶν παῖδες carnositatem (Galenus III. p. 250. vocat σάρκα et σαρκοειδὲς σῶμα) in ima parte meatus concretam. Vix aliquem dolorem sensi, cum D. Maiernius illam e virgula ferrea candelam cera obductam immisit. Sed postea sensi in cole dolorem et acerrimas punctiones. Bone Deus, ades, et mihi, meæ ac meis da hunc animum, ut velimus quod vis ipse, aliud nihil. Amen.

VII. *Kal. Jun.* Vitam potius traho, quam ago. Cessatum in studia omnia. Deus in meliorem locum me et mea omnia restituat. Amen.

VI. *Kal. Jun.* Accepi hodie librum in Germania adversus D. Thuanum editum. Jesuita fuit, opinor, qui edidit: etsi dissimulat auctor nomen suum. Homo scelestus, qui admirari candorem

Thuani debuerat, virus omne adversus summum virum evomit, quin eo etiam væsaniæ venit, ut in Thuano gravissime reprehendat quod lanienam Parisiensem non laudaverit. Miratus sum furorem hominis impii. Sed illud mihi hodie longe tristissimum accidit, quod ipsum Thuanum gravissime ægrotare cognovi. Serva illum, Deus immortalis, et qui tantis dotibus eum virum ornasti, da hoc etiam illi, ut publico inservire quam diutissime possit ad tui nominis gloriam, Ecclesiæ ædificationem, et regni Gallici tranquillitatem. Ego quoque parum valui, et accepto clystere recipere me in lectum sum coactus. O ades, bone Deus, et me, meam ac meos omnes serva. Amen.

V. *Kal. Jun.* D. Decanum Ædis Christi Oxoniensem virum pium et probum hodie habui ὁμοτράπεζον. Fui postea apud Legatum Regis Galliæ ubi de Thuano nihil didici. Servet illum Deus et nos omnes. Amen.

IV. *Kal. Jun.* Uxor et liberi concionibus pro more interfuerunt. Ego ex imperio amicissimi Maiernii corpori curando dedi operam. Deus, ades, et benedic huic domui. Amen.

III. *Kal. Jun.* Uxor hodie corpus purgavit: ego studia tractavi leniter, et ad D. Archiepiscopum adii, sed frustra. Deus æterne, benedic huic domui. Amen.

*Prid. Kal. Jun.* O bone Jesu, quam ego tibi reddam rationem mei temporis, et ejus otii, quod tua bonitas mihi facit? Ecce totum tempus aut

in curanda valetudine pono, aut inter amicos consumo et contero. Meis studiis vix aliquam horulam impendo. Tædet me hujus vitæ. O da, Πάτερ ἐπουράνιε, meliora, et domum hanc πρόφρονι θυμῷ miserere. Amen.

*Kal. Jun.* Deus æterne, qui dedisti hunc mensem inchoare, da pie et feliciter exigere mihi, meæ ac meis. Amen.

IV. *Non. Jun.* Concioni Gallicæ hodie interfui cum liberis: reliquum diem amicis dedi et curæ valetudinis. O quando ego ad studia mea redibo, ut pensum aliquod serio urgeam? Tu, Domine, facies: et facies, quando voles, ac benignus hanc domum respicies. Sit nomen Domini benedictum.

III. *Non. Jun.* Languet corpus et cum illo animus. Itaque studia jacent, nisi quod B. Augustini scripta pervolvo. Da, Deus, in his proficere, et tibi posse servire. Amen.

*Prid. Non. Jun.* Nocte præcedente febris me habuit: hodie in Augustino multus fui. Dominus Jesus adsit mihi, meæ et meis. Amen.

*Non. Jun.* Ego, uxor et liberi sacram Eucharistiam participavimus in Ecclesia Gallica. Mericum nuper curavimus sacris illis mysteriis initiandum in Ecclesia Anglicana ritu Anglicano apud D. Eliensem. Quia est nonnulla diversitas in ritibus, ne existimaret sibi Gallo Gallicum ritum esse aspernandum, faciendum duxi ut Ecclesiæ Gallicæ nomen daret et fidem suam apud nostros pastores profiteretur. Multis monui rem eandem

esse, fidem eandem apud recte intelligentes, cærimoniarum diversitatem rem ipsam non ἀλλοιοῦν, cæterum veritati Ecclesiæ modis omnibus esse consulendum. Postea ivi sub vesperam Grenovicum, et Regem longo post tempore vidi: quem serva, O Deus, et rege tuis consiliis. Amen.

VIII. *Eid. Jun.* In Augustino multus hodie fui: pietatem sancti Patris suspicio. At me domesticæ turbellæ subinde recrudescentes mire vexant, et uxorem meam. Domine Jesu, respice hanc domum. Amen.

VII. *Eid. Jun.* Ad Regem hodie Grenovicum profectus cum eruditissimo et amicissimo Barclaio diem suavissime consumpsi. Accessit vero magnus cumulus τῇ εὐημερίᾳ, quod domum reversus inveni in manibus τῆς φιλτάτης viri maximi Thuani literas amicissimas. Serva illud Galliarum lumen, O Deus, et πρόφρων hanc domum respice. Amen.

VI. *Eid. Jun.* Mane totum dedi B. Augustino viro sanctissimo. A prandio domum suburbanam invisi cum uxore, rogatu amici. Deus, ades. Amen.

V. *Eid. Jun.* B. Augustini lectioni et consuetudini amicorum diem impendi hilariter sane et modeste; sed vexat me et cruciat dolor quem uxor experitur in altero genu et quidem sine ullo vel tumore vel rubore. Domine Jesu, ades illi, mihi, et omnibus nostris. Amen.

IV. *Eid. Jun.* Literæ, amici, alia hodie nos habuerunt. Sit nomen Domini benedictum. Amen.

III. *Eid. Jun.* Etiam hodie amici et literæ mul-

tum nobis temporis ademerunt. Fuimus tamen in B. Augustino multi. Da, Domine Jesu, proficere in vera pietate, ut ego, mea et mei tibi serviamus tota voluntate. Amen.

*Prid. Eid. Jun.* Erat hodie sacra dies Pentecostes, missione Spiritus Sancti insignis. Sed me a celebratione legitima ejus festi duo avocarunt; prius, quod in Ecclesia Gallica ordine præpostero ante dies octo sacra Eucharistia in ejus rei memoriam est celebrata; deinde, quod ad Regem eundum mihi fuit hodie, a quo mira didici, quæ mihi κατ' ἰδίαν Rex serenissimus et optimus narravit. Meminero versus illius *Ad generum Cereris*, etc. item *Vesperarum Sicularum*. Sed hæc silentio premenda. Sancte Jesu, serva Regem et regiam domum. Amen.

*Eid. Jun.* Hodie partim officii caussa, partim recreandi animi gratia, ego, uxor et amici Barclaius et Thorius cum ipsorum uxoribus Grenovicum ivimus. Fuitque oblectationi hoc iter, nisi quod meæ infirmitates multum me vexarunt, adeo ut secuta sit febricula. Sed Deo laus et honos, quod valentior domum redii cum uxore. O ades, Christe Jesu. Amen.

XVIII. *Kal. Jul.* Vexatus acriter tota nocte lapillos multos et quosdam satis grandes emisi, item pelliculas cruentas, et urinam difficillime reddidi, pene ipsam quoque cruentam. Contuli me in lectum sub vesperam. Te, Deus æterne, in auxilium mihi meisque invoco. O ades. Amen.

XVII. *Kal. Jul.* Crescit vis morbi. Medici jam consentientes tristissima de me meis prædicunt. Fiat, Domine, tua voluntas. Tantum da ὑπομονὴν Christiano homini convenientem. Amen.

XVI. *Kal. Jul.* Hodie φλεβοτομίᾳ sum curatus; sed et nox præterita et totus dies per summos cruciatus sunt acti. Æquum est, justum est, Domine, quia ea est tua voluntas. Da patientiam, et leva cruciatus, si ita placet. Cæterum de studiis meis actum esse video, nisi aliter statuerit Dominus Jesus. Fiat hic quoque tua, O Deus, voluntas. Amen.

Jeudi, 16 Junii, 1614.

*Alia manu.*

XV. *Kal. Jul.* Hodie curari cepi balneo: vel potius, ut loquuntur medici, semibalneo. Neque enim totum corpus in aquam demisi, sed tantum partes affectas infra umbilicum, usque ad dimidia crura. Magnam remedii vim sum expertus, non quidem ad morbum sanandum, sed ad minuendos cruciatus morbi dirissimi. Tollit fere omnem doloris sensum, et cum sine acerbissimo cruciatu fundere guttam urinæ extra balneum non possem, ter in labro spatio unius horæ non magno conatu aut dolore effudi. Ter igitur hodie labrum sum ingressus, et illum saltem cruciatum lucrifeci quem alioquin eram experturus. Tibi, Pater

cælestis, honos sit et gratia, qui in violentissimo morbo aliqua saltem dilucida intervalla mihi concedere dignaris. Iterum, iterumque gratia et gloria tibi, bone Jesu. Amen.

*Vocem "labro" a scriba depravatam Is. Casaubonus sua manu correxit.*

XIV. *Kal. Jul.* Noctem expertus sum admodum variam. Difficultas urinandi major etiam quam antea per primam noctis partem. Egressum enim e balneo, ubi quater urinam fuderam sic satis copiose, ubi lectum repetii, cepit urgere cupiditas meiendi, sed frustra: guttam enim vix unam, cum ter, quater surgerem, nullo quamvis maximo nisu ejicere valui. Postea simul et laxata nonnihil alvus, et urinæ aliquantulum profluxit; sed mox ad priorem difficultatem redii. Illud boni sum consecutus hac nocte, quod surgendi intervalla majora fuerunt quam superioribus. Itaque spatia quiescendi majora habui. Mane autem urinam semel et satis copiosam, et sine maximo cruciatu ejeci. Ago tibi, Deus immortalis, non quas debeo, sed quantas possum maximas gratias. Amen.

FINIS. ΕΦΗΜΕΡΙΔΩΝ.

# NOTÆ

IN

# ISAACI CASAUBONI

# ΕΦΗΜΕΡΙΔΑΣ.

534, 8. *M.*] Magdaleno? "Sumptus, si qui erunt faciendi meo nomine D. Magdalenus faciet: ipse omnia refundam." Ep. 527.

— 11. ἀγνωμονῆ] ἀγνωμονῇ.

537, 25. VI. *Eid. Jul.*] Ad Heinsium Ep. 559. Laudat Panegyricum ejus dictum Scaligero.

539, 20. *epistolam*] 560, prolixam, quæ præmissa est Josephi Scaligeri Florilegio Epigrammatum Martialis edito Parisiis 1607.

540, 13. *prædiolum*] Bretoneriæ?

— 28. III. *Non. Aug.*] Ad Scaligerum Ep. 561. De Martiali ejus; de Frontonis notis. Commendat Legatum Angliæ G. Carew.

542, 11. *Polonum*] 544, 5, qui bibliothecam visebat?

— 17. *Isaaco*] Cujus extant 363, 141, 2, 3 (*Burn. MSS.*): "Is. Chabanæus D. Isaaco Casaubono venerando avunculo suo S. D.—Tædet me, venerande avuncule, nullas ex quo hic sum a te accepisse literas, nec de tuo itinere quicquam audivisse. Sane vehementer sollicitus ero donec aliquod ad me perferatur. Quod ad me, nullam prætermitto occasionem quin ad te scribam. Nihil his duabus hebdomadibus de tuis negotiis factum est propter ferias, quæ sunt ante

et post cœnam Dominicam. Sed his transactis quam ingressi sumus viam, in eam insistemus. Proximis quas ad te scripsi literis quicquid actum sit misi. Itaque nunc pluribus recensere non necessarium duxi. Scribam per generum D. Patacii, qui post biduum vel triduum proficiscitur Lutetiam. Ego collocutus sum cum D. Camerone de ejus discipulis. Ille scribit ad te plura quam ego excogitare possum. Scribunt et D. Vassanii quibuscum ego quotidie versor, mihique multis modis amorem et benevolentiam erga te testantur. De amita (*Rigotia*) scribam per eundem quem dixi supra. Illa te suis verbis salutat, simul et amitam (*Casauboni uxorem*) et cognatos, cognatasque, ut ipse facio. Vale.—*Genevæ ultimo hujus anni* (1606)."

"Is. Chabanæus venerando avunculo suo D. Isaaco Casaubono S. D. Non te multis morabor, venerande avuncule, non enim est in præsentia quod scribam; nec si esset, mea valetudo ut multus essem pateretur, quippe quod jam sunt quindecim dies, cum febri continua laboro, quæ me per illud tempus jacere in lecto coëgit, necdum surgere permittit: sed spero, Deo dante, brevi pristinam valetudinem restitutum iri. Nudiusquintus literas accepi a patre ex quibus intellexi avam (*Casauboni matrem*) demum vehementer ægrotare, quæ, cum audivit amitam (*Rigotiam*) prius Lutetiam ire constituisse quam ipsam visere, magnum mœrorem contraxit, dicitque, si ante Lutetiam peteret quam Burdegalam se nunquam filiam suam visuram. Quæ cum amita audivit, statim consilium mutavit, et prius visere matrem constituit, vultque ut illuc ipsam comiter, et pater etiam illud a me magnopere petit, dicitque non magnum fore itineris dispendium: sed nihil, nisi quod tu jusseris, faciam. Quare quid constitueris, si placet, scribes. Vale, venerande avuncule.

"*Genevæ* XIII. *Maii* CIↃ IↃ CVII."

"Is. Chabanæus D. Isaaco Casaubono venerando avunculo suo S. D. Ex posterioribus meis, quas heri ad te scripsi, et ex illis quas ante dies octo misi, quis sit tuarum rerum status, satis perspicere poteris. Itaque non te multis morabor, utpote cui nihil novi acciderit. Nos in tua causa, quantum in nobis est, laboramus, nec spero te nostram operam ulla in

re desideraturum. Omnia saxa movemus, ut aliquid (*agamus*) quod nos in tua causa juvare possit, quæ cum audies forsan non improbabis. Sed hæc si literis complecti vellem nimis fastidiosa et prolixa forent; quare ad adventum reservo. Quicquid fiet quod scriptu dignum judicavero non silentio prætermittam, et sæpius ad te scribam, ut hoc pacto tempus anteacti silentii resarciam. Toto mense Augusto ad minimum hic adhuc erimus. Nos enim morantur multæ tempestates quas necesse est pacari antequam hinc solvere possimus, quæ si essent (*pacatæ*) Genevæ non sederemus. Brevitas temporis me quoque brevem in scribendo facit. Vale, venerande avuncule. Amitam venerandam et cognatas salvere jube. *Genevæ* III. *Kal. Augusti* CIↃ IↃ CVII."

*A Monsieur et treshonnorè oncle Monsieur Casaubon demeurant vis a vis l'Eglise des Cordeliers a Paris.*

543, 1. x. *Kal. Sept.*] Ad Lingelshemium Ep. 562. Gothofredum isthuc profectum: Lutetiæ νηνεμίαν ὕπουλον: se γῆν πρὸ γῆς cogitare: in Polybio sudare.

— 23. *istius*] R. Stephani?

— 28. *Pr. Kal. Sept.*] Ad Scaligerum Ep. 563, de libro ejus Lutetiæ edito: Martiali Græco.

544, 1. *Kal. Sept.*] Cl. Salmasium Ep. 564 hortatur, ut extet luculentum aliquod ejus adolescentiæ monumentum: mittit Scaligeri Martialem.

Ad C. Rittershusium Ep. 565. Typographos Parisienses sacras ejus lectiones nolle edere: mittit Martialem.

— 10. *literas*] Ad Scaligerum Ep. 566. Tertium exemplar missum.

Hœschelium Ep. 567. Mittit Martialem.

545, 28. *Buzenvallii*] Qui diu apud Ordines qui Hagæ erant Regii oratoris munere magna cum laude defunctus fuerat. *Thuan.* 138, 17.

547, 11. VII. *Kal. Oct.*] Ad C. Labbæum Ep. 568. Literæ a Scaligero. Obiit Buzenvallius: "Næ funestus hic annus est clade summorum virorum: nam de Abbate Vulcopio, et D. Mossæo non ignoras. Obiit et Merula apud Batavos vir et doctus et probus."

— 28. *literas*] Ad Ludov. Tribaldum in Regia Hispaniæ

curia versantem Ep. 570. Respondet Ep. 569: gaudet se ab illo approbari: Polybium sibi esse in manibus.

D. Baudium Ep. 571, de exemplaribus carminum ejus.

548, 7. Π.] Polonus. Οὐδὲ νῦν οἴχεται.

— 16. *literas*] Ad J. Vassanium Ep. 572. Respondet quæstionibus de λευκὸς χρυσὸς, γυναικεῖοι καὶ ἀνδρεῖοι αὐλοὶ, θηλεῖα νόσος, κρισκράνοις, εἰς σπόδον ἐμβάλλεσθαι.

— 29. *interrumpatum*] Corrige "interrumpatur."

550, 6. XIV. *Kal. Nov.*] Ad Heinsium Ep. 573, de Interprete Nicomacheorum. Pergat de Philosophia bene mereri. Iterum Ep. 578.

Ad Scaligerum Ep. 574. Sinistri rumores dissipati sunt de Theologis apud Lugdunum Batavorum. "Ego nunc in eo sum dies noctesque occupatus, ut apud Regem et τοὺς ἀμφ' αὐτὸν de injuriis Genevensium, quas mihi fecerunt, conquerar. Barbari homines, scelerati prædones, postquam ego ab iis discessi, nullum temere diem prætermiserunt, quo non mihi aut meis aliqua nocerent. Sororem meam mediocribus facultatibus præditam longæ litis sufflamine, annorum spatio duodecim, aliisque nefandis iniquitatibus ita attriverunt, ut hodie misella ne unum quidem obolum in bonis habeat. Iidem nuper me, reliquias hæreditatis Stephanicæ colligentem, inaudito scelere magna pecuniæ summa defraudarunt, ita ut fraude nequissimorum Pharisæorum omnia mihi perierint, quæ post naufragium clarissimæ domus magnis impensis meis servaveram. Color fraudi quæsitus e testamento Roberti Stephani, quod non magis ad rem pertinuit quam folia Sibyllæ. Sed erat aliquid prætexendum. Amisi aureos mille trecentos, quorum pars in commodum anteriorum creditorum cessit, pars maxima diaconorum usuris est exhausta. Quod supererat, sententia perditissimorum judicum, qua diaconis iisdem, qua Scholæ est adjudicatum. Hæc pietas Genevensis; imo hæc impietas, hic Pharisaismus, quem ego retegam, et scelestissimos homines suis coloribus depingam. Nunc id ago, ut Regi caussam meam probem, qui spero fore ut patrocinium meum et sororis, quam cum liberis suis ego alo, suscipiat."

Ad P. Scriverium Ep. 575 de auctoribus στρατηγικοῖς.

551, 11. III. *Kal. Nov.*] Ad Paulum Du Maium Ep. 576, de accepta epistola, Scaligero, Polybio, libro donato.

552, 16. *Cancellarii*] Leonis Sapiehæ.

554, 15. XV. *Kal. Dec.*] Ad Lingelshemium Ep. 577 de Scaligero.

555, 10. *juvenem*] Isaacum Chabaneum.

557, 19. *quatuor*] Arnaldo patre moriente, supererant tres tantum, Isaacus, Sara (*Chabanea*) Anna (*Rigotia*).

558, 5. *expeditione*] "Condæus, antequam Nuceto (*Nogers*) proficisceretur, datis ad ecclesias, quas vocant, in Allobrogibus (*Dauphiné*) Provincia (*Provence*) Septimania (*Languedoc*) et Vasconia (*Gascony*) literis, auxilia quam maxima possent ad se summitti petierat, periculi magnitudine exposita: idque sæpius misso Sangeorgio Veraco, repetitis postea nunciis, urserat. Ii vero minime Condæi periculum contemsere; sed incredibili alacritate nec sine ducum æmulatione auxilia festinata sunt, domibus, uxoribus, liberis a tergo relictis: in quibus auxiliis conscribendis cum non parva difficultas fuisset, longe majus negotium fuit in eo, ut singuli ex singulis partibus in unum convenirent." *Thuan.* 44, 18.

559, 28. *affinis*] Paulus Stephanus.

561, 9. *Goulardo*] 367, 16 (*Burn. MSS.*): "Monsieur, nous sommes contrains nous plaindre a vous de bonne mesure: mais ce sera entre nous et vous seulement, et avec la respect que nous vous devons en toute sincerité fraternelle, esperans de votre bienvuellance envers nostre compagnie que vous lirez la presente avec esprit paisible, comme nous le desirons. Nous avons veu certain escrit assez ample, et reconu vostre main sur la fin de celui. Ce sont plaintes touchant ce qui concerne quelques afaires particuliers de vous et Mad. Rigot vostre soeur. Non content dexpostre simplement le fait, et marquer clairement, en quoy vous estimez, qu'il y ait grief pour vous et pour elle, vous usez de termes aspres, indignes, et insupportables a l'encontre de nos treshonorez Seigneurs, que vous scavez n'estre tels que vous les qualifiez, et qui par la grace de Dieu ont autre temoisnage avant Dieu, devant les hommes, et en eux mesmes, autant que l'infirmite humaine le peut porter. Nous ne vous dissimulerons pas que vos

propos ne nous ayent griefuement atteints pour le devoir que nous avons envers d'eux, que nous scavons et maintenons estre Magistrats Chrestiens et craignans Dieu, qui n'ont merité d'estre ainsi traitez par un de leurs citoyens, lequel ils ont honoré si devant, autant qu'ils en ont eu de moyen et de bonne occasion. Nous esperons que, quand vous aurez degeré vostre esmotion, vous jugerez comme nous, et nous confions que Dieu vous en fera la grace. Quant aux particularitez de vos differens et proces, ce nous est assez de nous y remettre, outre les jugemens prononcés, (*Placent ergo tam conscelerata judicia?*) a la suffisance de vos amis, qui par ci devant vous en ont ecrit, et qui vous en escriront encore ci apres. Nous adjoustons seulement, qu'il semble que vous nous ayez mesconus, et mesconoissez, quand en la fin de vostre escrit vous dites que le tort par vous pretendu a etè fait a la solicitation des ministres et diacons. Vous avez veu nostre conversation tandis que nous avons eu cest honneur de vous voir entre nous; et n'avez apperceu en nous chose, qui donne occasion de parler ainsi de nous, sur tout a vous que nous honorons et honorerons tousjours. Vostre sœur scait que nous ne l'avons point meprises ni oublies. Elle et vos autres amis peuvent affermer qu'en general et en particulier nous nous sommes employés pour elle, autant que notre vocation le nous a permis. Nous vous prions donques fraternellement, qu'il vous plaise vous despouiller de telles impressions, et de continuer a nous aimer. Nous vous prions aussi et exhortons qu'au plustost que vous pourrez, vous cerchiez tout honneste moyen de clorre ceste grande bresche de cholere si passionné, afin que nos treshonorez Seigneurs oublient ceste faute par vous commise a l'encontre d'eux; et que regaignant leurs bonnes graces vous ayez ci apres tant plus de repos en vostre ame. (*Quin potius dicitis mutandam illis esse sententiam iniquissimam, inhumanissimam, impietatis plenissimam?*) Quant aux expediens convenables vos bons amis dela scauront les vous suggerer, et vous mesmes un peu refroidi, verrez assez ce qu'il conviendra faire. Touchant les diacons des pauvres, si vous entendez ci apres comme ils se sont comportez en cest afaire, vous les estimerez dignes de la charge qui leur est

commise, et avouerez qu'il n'y a tort, ni offense de leur part. Comme nous excusons ces premiers ferveurs de vostre courroux, supportez aussi nostre response et defence necessaire. Sur ce Monsieur, nous prions Dieu qu'il vous donne bonne vie et longue pour servir a sa gloire, et vous saluons affectueusement en lui. De Geneve ce 10. de November 1607, stile ancien.—Vos humbles freres et serviables amis les Pasteurs et Professeurs de l'Eglise et eschole de Geneve; Au nom et par le commandement de tous.

Simon Goulart C.

562, 26. *altero*] Sapicham Lithuanum docendo. "Ascititius hic labor," 563, 13.

563, 24. x. *Kal. Jan.*] Ad Heinsium scribit Ep. 581 de valetudine Scaligeri.

571, 30. *Nemausensis*] 363, 11 (*Burn. MSS.*) "Ægerrime tuli prout debui (V. Cl.) quod me clam substiteris aliquantulum in Delphinatu Decembri mense proxime elapso. Nam ego saltem ut te salutarem, eo venissem: quod bonum in novissima mea Parisina peregrinatione invidit pestilentia, quæ gliscebat, unde audivi temet cum familia subduxisse. Doleo me per tuam humanitatem tum non vidisse Thesaurum illum mundi bibliothecam. D. Chalassius et primarius noster Consul, vir literaturæ et literatorum satis studiosus tecum agent de te huc Nemausum evocando. Utinam fæliciter cumque tuo commodo transigant. Nam e re nostra quin tua isthuc futura sit migratio non dubitamus, quum apud te tantum virum semper profecturi simus. Si enim quispiam sit cui vellem pro studiorum meorum perfectu aliquamdiu tempore hoc peregrinationis meæ conversari, is tu es. Quod ingenuum meum tui desiderium ut deputes, te per tuum obsecro candorem. Salve æternum (V. Cl.) 6 *Cal. Apr.* CIƆ IƆ CVI. *Nemausi Arecomicorum* a tui studiosissimo Abrenetheo."

363, 12 (*Burn. MSS.*) "Nescio quo fato aut versutia Nemausensis Reipublicæ negotiatorum tu a Nemausensis Academiæ rectoratu magis magisque aversus factus sis."

*Nemausi Non. Nov.* 1607.

572, 14. vi. *Eid. Jan.*] Ad Scaligerum Ep. 582 de literis acceptis et non acceptis.

573, 13. XV. *Kal. Feb.*] Ad Eundem Ep. 583 de valetudine ejus.

574, 21. *Legatum*] G. Carew.

575, 22. *illa*] Anna soror.

577, 14. IV. *Eid. Feb.*] Ad Cl. Salmasium Ep. 584 scribit de Periplo Mæotidis. "Ego certorum hominum ἀβελτηρίᾳ multis repente calamitatibus obrutus animum pene despondi ταῖς καλαῖς μούσαις ἀποταξάμενος. Deus, spero, mihi meisque aderit, quos multiplex fraus et iniquitas nonnullorum proxime ad inopiam redegit."

— 23. *Sapicæ*] Johanni Stanislao Sapiehæ (vel Sapiæ) filio Cancellarii Lithuaniæ 552, 16.

— 28. XIV. *Kal. Mar.*] Ad Scaligerum Ep. 585 literas Huberti mittit.

585, 16. *Legatus*] G. Carew 574, 21.

593, 8. *amicos*] Hœschelium Ep. 586 de Philippa, Polybio, Procopio.

Lingelshemium Ep. 587. "Nos in suscepto opere, quo possumus modo, pergimus: etsi ab aliquot mensibus alacritatem illam prorsus amisimus, quæ studia nostra plurimum sublevabat. Habuimus partem magnam fortunarum nostrarum Genevæ collocatam, quo etiam post obitum τοῦ μακαρίτου mei parentis sororem adduxeram, et dotem illi quingentorum aureorum dederam. Sperabam enim non posse melius illi esse prospectum, quam si in ea urbe ipsam collocarem, quæ mihi videbatur pietatis et caritatis esse domicilium. Dico invitus, sed vere; expertus sum non potuisse me deterius consilium inire. Nam et fortunas omnes meas amisi, et illa, relicta vidua ab optimo marito et de civitate Genevensi patria sua bene merito, iniquissimis litibus per annos duodecim exagitata, tandem rebus omnibus suis nudata, et ad mendicitatem, quod ad *Genevenses* attinet redacta cum filia ad me perfugit. Homines ἄστοργοι et feri postquam omnia misellæ bona absumserunt, me quoque vana spe lactarunt, qui, dum exitum infaustarum litium soror expectat, aureos fere trecentos illi suggessi. Non potuit inhumanius, crudelius, iniquius cum illa agi.——Quum ea tanta jactura rei familiaris commoveremur ego atque uxor, non adeo propter

pecuniam amissam, ut propter filiam quam habebamus supra modum nobis caram, cujus ætas nos admonebat ut dotem illi serio pararemus; hæc, inquam, cura post tantam cladem fortunarum nostrarum quum nos ureret, ea nos Deus liberavit, erepta nobis filia natu maxima, quam propter singularem pietatem et eximiam indolem (ignosce affectui paterno) parens uterque vehementissime adamabamus."

— 22. *Pr. Eid. Mar.*] Ad Joh. Drusium Ep. 588, cupientibus Gallias visere opportunissimum esse hoc tempus propter publicam tranquillitatem.

Janum Drusium Ep. 589: laudat commentarium ejus in Sulpitium.

594, 1. *Eid. Mar.*] Ad Cl. Salmasium Ep. 590, Florum ejus expectari.

595, 29. *Prid. Kal. Apr.*] Ad Scaligerum Ep. 591, de fasciculis traditis Arausionensi Principissæ: se δυστυχεῖν.

597, 16. *Eid. Apr.*] Ad Heinsium Ep. 592, de obitu filiæ, Heinsii Paraphrasta, suo Polybio.

Ad Scaligerum Ep. 593: plures sævitia hyemis abreptos esse quam pestilentia ante biennium: mirari se de amicis Heidelbergensibus: libellum de libertate Ecclesiæ absolvi Regem vetuisse rogatu τρικαρήνου: de fasciculo a Beisio misso.

599, 21. VI. *Kal. Mai.*] Ad Heinsium Ep. 594, de "Somnio" ejus. "Etsi ἐν δεινοῖς ὢν καὶ γλυκυθυμίᾳ πάσῃ ἀποταξάμενος abstinere tamen non potui, quin lepidissimum scriptum sæpe legendo producerem. Placuit etiam filium meum natu maximum ad epularum tuarum delicias admittere; ac propterea satyram tuam cum eo relegi, ut, quæ minus assequeretur, ea ipse interpretarer."

600, 8. *Prid. Kal. Mai.*] Ad Joan. Deodatum, *Professeur en la S. Theologie et es lettres Hebraiques a Geneve* Ep. 1039. Opus illum exegisse Deo haud dubie gratissimum. "Quod me hortaris ut omnia obliviscar, quæ adversus me isthic sunt facta, agnosco probitatem et pietatem tuam. Atque ego jam gaudeo te isthic esse repertum, quem mala mea non perfunctorie tangerent. Nam hactenus nemo, quod sciam, est inventus in ea urbe, pro qua mortem oppetere mihi suave fuisset, qui adversis meis ullo modo tangeretur. Eversa est domus

Stephanica; uxoris dos tota periit; soror mea cum sua filia certorum hominum immanitate, feritate, diritate ad mendicitatem est redacta. Actum est mecum veluti cum proditore et sicario, et ad rapiendas chartas meas et sororis publice satellites sunt missi in ædes sororis. Petenti sorori per libellum supplicem, ut quoniam et dos illi sua et quicquid maritus reliquerat, bonorum sententia judicum esset ademtum, ut perditorum hominum Rigotiorum profunda avaritia expleretur, misereretur sui senatus, et aut solveret illi partem aliquam debiti marito ipsius stipendii, aut se adjuvaret saltem ut opera mea a Rege Christianissimo id ipsa reciperet. Erat æquissima postulatio, et cui satisfieri poterat ab amplissimo Ordine absque ulla vel unius oboli impensa. Tulit tamen misella repulsam, et a senatore Tullio horribile carmen illi pronunciatum est: Nos Principes urbis et civitatis non tenemur rationem habere nostrorum subditorum. Scit senator eximius Sarracenus, quid soror postulaverit, quam æqua et ipsi necessaria fuit petitio. Quid multa? neque ordo senatorum, neque pastorum et professorum collegium, cui ego stultus me putavi esse carissimum, quicquam prætermisit quo mihi noceretur. Bis ad me super matricibus Græci characteris scripsit Laurentius rector scholæ vestræ. Ostendi illi summæ iniquitatis facinus ipsum aggredi, et quidem tum putabam imprudentem. Oravi etiam, obsecravi, atque obtestatus sum ne rem nefariam aggrederetur. Adeo nulla mei ratio est habita, ut eo urgente factum sit decretum, quo nullum potuisse fieri iniquius omnes hic consentiunt juris consulti.——Sorori vero misellæ, et filiæ ejus qui prospiciam, necessario mihi est videndum." De libello edito a Domino Faio de terræ motu qui Hybornam pagum Bernatium obruit. "Oblitus quod scire te volo, venit ad me ante biduum homo mihi incognitus, quem statim ex sermonibus agnovi: is est qui ministerio Verbi divini isthic functus, ac post a senatu honorifice dimissus, ad Metenses est profectus. Video parare illum editionem libri Apologetici. Hortatus sum et obtestatus ne faceret; sed laterem lavi: stat enim sententia. Quæso te, si potes, certe quantum potes, medere scandalo futuro haud dubie maximo. Agam de ea re et cum nostris pastoribus."

602, 3. *amicos*] Ad Scaligerum Ep. 595, de libello Heinsii, Scioppio, Polybio, fasciculo exemplarium Martialis.

Ad P. Fabrum Ep. 596, de Philippa.

— 16. *Pol.*] Polono Sapiehæ.

— 29. *Eid. Mai.*] H. Grotii Tragœdiam laudat, Ep. 597.

Heinsii Satyram Menippeam admiratur, Ep. 598.

Scaligerum Ep. 599 monet de bonis Meursii in se officiis: rursus de Martialibus et Beisio.

607, 26. *Genevensibus*] Ad J. Deodatum Ep. 600, de actis nuper (Ep. 1036) gratiis pro munere ejus: de versionibus veterum: de suis rebus "Sive domum Stephanicam respicio omnia sunt conclamata; sive negotia sororis, omnia acta, transacta.——Scripsi quædam ea de re ad D. Gasparem Laurentium, rectorem vestrum, quæ esse verissima amici hic mei sciunt. Qui isthic blaterant, de re nihili, aut sine caussa, tantum a me fundi querelarum non debere, ii, si meo loco sint, cælum profecto miscerent terræ. Et oratos velim ἀστόργους homines, ne adigant me ad necessitatem cum auctoribus tot injuriarum scripto expostulandi. Uno verbo reculæ uxoris eversione domus Stephanicæ, et multo magis detentione characterum, quando potui mihi consulere, sunt funditus eversæ. Ego siquid habui, ejus magna pars ab iis absumpta, qui sororem per annos duodecim litibus continuis exagitarunt: nam ad aureos fere quadringentos accedit summa, quam interea temporis, dum aliquem litium infaustarum spero in diem exitum, subministravi."

609, 3. xvi. *Kal. Jul.*] Ad D. Heinsium scribit Ep. 601 de fasciculo Meursio discedenti tradito.

— 27. xiii. *Kal. Jul.*] Ad Samuelem Næranum Ep. 602, "Gaudeo tibi esse commissam Sedanensis Scholæ curam.——Constituimus, si dabit Deus ὁ ἐπὶ πᾶσι unum e meis filiis (*Mericum*) isthuc mittere."

Ad Jacob. Cappellum Ep. 603 de Philippa.

610, 19. x. *Kal. Jul.*] Ad Scaligerum Ep. 604, de fasciculo a Meursio non reddito, atque exemplaribus Martialis: nactum se Polybii codicem Buzenvallii.

612, 11. *Foberto*] Fouberto 610, 7.

615, 18. *damna*] Ad Jac. Lectium Ep. 605, prolixius de in-

juria Genevensium. "Laurentius vero (Ep. 600) ille meus quondam conjunctissimus sodalis, quasi victo insultaret, (nam quomodo interpreter, si hoc non est?) de exitu judicii literis suis ἐπιχαρητικοῖς me fecit certiorem. Scit Montignius, pastor hujus ecclesiæ venerandus, qua die nuntius ille mihi est allatus, in ipsius sinum effudisse me dolorem omnem meum. Qui ea fine illum conveneram, ut si serio injuriam meam vobiscum suo et συλλειτουργούντων nomine vellet expostulare, paratum me ostenderem eo stare, quod jus et æquum esse ipse pronuntiasset; idque facturum me sancte recepi. Quid postea acciderit, neque tu nescis, et ego, si commemorare voluero, longum fecero. Hoc tantum dicam, quia juris speciem inusitati iniquitati videbam obtendi, rem detulisse me ad viros prudentissimos, probatissimos, et professione religionis nostræ nobilissimos Josium Mercerum, Desiderium Heraldum, Deodatum, civem Genevensem illum quidem, sed probitate virum insignem, alios caussarum in hac cura patronos eximios, qui lecto et diligenter expenso testamento τοῦ μακαρίτου Roberti Stephani (*patris Henrici Stephani*) sine ullo dissensu judicarunt facinus esse indignum et exquisitæ ἀδικίας exemplum quod isthic erat factum.——Putasne tu adeo impium fuisse Robertum Stephanum, ut cæteros et nescio quos laicoecclesiasticos sanguini suo anteponeret?——Publice sunt immissi homines armati in ædes sororis ut chartæ meæ explorarentur.——At, inquis, siquam hoc loco fecisti jacturam non nos, sed affinis tuus (*Paulus filius Henrici Stephani*) culpari debet. Imo enimvero et de vobis et de affine cur querar habeo. Ille fatali circa rem familiarem negligentia ut aliquid necessario esset mihi perdendum effecit; vos ne quid servarem certo proposito et animi destinatione effecistis. Quoties ego vobis significavi aureos quingentos ex Anglia missos (*a Jacobo?*) per annum integrum apud illustrem Legatum hæsisse pro illo quod scis cimelio mihi numerandos? Hanc summam isti mihi de manibus extorserunt et meos liberos hoc gravi damno pro sua pietate affecerunt."

622, 16. IX. *Kal. Aug.*] Ad Scaligerum Ep. 606 de consolatione literarum ejus; de periculo suo euntis Charantonem. 617, 10.

623, 30. *Buwincausen*] Casaubonus Heidelbergam vocabatur. Vide 627, 28. Ep. 608.

626, 29. *amicos*] Cl. Salmasium Ep. 1040, exspectationem reditus illius longam esse.

Hœschelium Ep. 607, eorum quæ in bibliotheca reperiuntur nihil illi defuturum.

627, 28. *literæ*] Ad Lingelshemium Ep. 608. "Paucis diebus priusquam tuas acciperem, præstantissime Lingelshemi, fuit mihi super eo quod tute scis negotio cum insigni viro Buwinchausio (623, 30) serium colloquium.——Respondi—— rerum nostrarum eum statum hic esse, ut honestam conditionem inter ὁμοδόξους oblatam nullo modo repudiare debeam.——De conditionibus quæ visa fuerint post alterum meum cum viro nobilissimo congressum faciam te ut scias. Familiam mihi peramplam esse ne te quidem, opinor, fugit: sunt mihi, et sint, precor, tot liberi quot Thebarum portæ. Accedit nuperum onus sororis et filiæ ex ea natæ, quando ita placuit perfidis, immanibus παρανομίαις bonis omnibus suis spoliatam, planeque nudam ad me remittere: ut taceam mihi atque uxori meæ factas ab iisdem illis injurias, quarum utinam ponere memoriam aliquando possimus."

Velserum Ep. 609: mittit profectum a Scaligero libellum, cujus occasione utens profitetur se suis canibus non responsurum.

Camdenum Ep. 610, respondens Ep. illius 363, 79 (*Burn. MSS.*) laudat accepta "Britannia," pollicetur Polybium.

Rittershusium Ep. 611, dolenti literas prodesse.

629, 3. *alios*] Heinsium, Ep. 612, de Paetzio typographo; de scriptis adversus Scioppium; de Somnii ejus additamentis; de celebrandis Grotii nuptiis.

631, 5. *literas*] 363, 85 (*Burn. MSS.*) "Isaaco Casaubono viro clarissimo Johannes Camero S. D. P. Si uti constitueras, vir clarissime, Genevam venisse, de iis quæ per litteras significasti multo liberius et facilius agere potuissemus. Επειδὴ δὲ ἡ τοῦ εἴτε κακοῦ δαίμονος νέμεσις, εἴτε καλοῦ, βέλτιον εἰπεῖν, εὐμένεια, τοῦθ' ἡμῖν οὐκ ἐχαρίσατο, φέρε δὴ ᾗ οἷόντε, καὶ σὺ κελεύεις, διὰ γραμμάτων κοινολογῶμεν, καὶ ἃ μὲν σοὶ εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῆς ἐπιστολῆς τῆς σῆς πέπαικται, κἂν ἴσως οὐ πανὺ γέλωτος

ἄξια, τόγε νῦν κατασεσιγήσθω· ἃ δὲ δὴ μόνα φαίνῃ σπουδάσας περὶ τῶν υἱῶν τοῦ μακαρίτου Καλιγνῶνος, ταῦτα, εἰ δοκεῖ, σκοπῶμεν. Πῶς μὲν οὖν ἔχουσι προκοπῆς ἐκ τῶν παρ' αὐτῶν πρὸς σὲ ἐπιστολίων ῥᾴδιον ἔσται σοι καταμαθεῖν, τὴν δὲ αὐτῶν εὐφυΐαν καὶ περὶ τὰ καλὰ τῶν μαθημάτων σπουδὴν οὐκ ἔσθ' ὅπως ἂν δύναιο ἐνθένγε τεκμαίρεσθαι· μεχρὶ γὰρ τοῦ πάροντος οὐκ οἶδα τὶς δαίμων κακὸς ἐμπόδων ἔοικε γενέσθαι καὶ ὅλως ἐνστῆναι τῇ τῶν μειρακίων φιλομαθείᾳ, οὐ τυχούσῃ ταύτῃ, μὰ τὰς μούσας, ἀλλὰ θερμῇ πάνυ καὶ τῆς ἐλπίδος, ἧς περὶ αὐτῶν φῄς ἔχειν, οὐκ ἀναξίᾳ. Ὁ μὲν γοῦν πατὴρ αὐτῶν τὰ μὲν ἄλλα ἐλλόγιμος ὢν ἀνὴρ, καὶ τοῖς πράγμασιν ἐντριβὴς, ὡς οὐκ οἶδα εἰ τὶς ἄλλος, περί γε τὴν αὐτῶν παίδευσιν μεθόδῳ τινὶ ξένῃ τὸ παράπαν, κατά γε τὴν ἐμὴν, καὶ ἀλλοκότῳ χρώμενος, αὐτὸς ἑαυτοῦ χείρων ἦν. Οἰόμενος γὰρ ἀδύνατον τῶν κατὰ τὴν γραμματικὴν δυσχερῶν καὶ ἀκανθωδῶν περιγίνεσθαι τὸν μὴ πρότερον τὰ τοῦ Δεσπαυτηρίου βάρβαρα ἐκεῖνα καὶ οὐ μόνον δυσνόητα, ἀλλὰ καὶ δύσφθεγκτα, καὶ ἀκούειν μόνον φρικτὰ ἔπη τῇ μνήμῃ παραδόντα, τουτονὶ τὸν μύλον περί που τέτταρα ἔτη στρέφειν αὐτοὺς ἠνάγκασε, εἶτα ὑπὸ τῆς ἐκ τοιούτου καὶ τηλικούτου πόνου ἀηδίας τε καὶ καμάτου, καθάπερ εἰκὸς ἦν, ἀπειρηκότας ἀνακτήσασθαι βουλόμενος, τῷ πλήθει τῶν ἱστοριῶν ὥσπερ ἂν εἰ πελάγει τινὶ ἐναλινδεῖσθαι ἐπιτρέπων μονονουχὶ κατέκλυσε τῆς περὶ τὴν γλῶτταν καὶ τὸν χαρακτῆρα ἀσκήσεως ἐλαχίστην ἢ οὐδέμιαν πρόνοιαν μεταξὺ ποιούμενος. Ταύτης δὲ τῆς ματαιοπονίας οὐδὲν ἄλλο ἐκαρπώσατο, πλὴν ὅτι εὐθὺς γυμνὰ τὰ πράγματα θεωρεῖν προεθίσας αὐτοὺς, ἀπήθισε τὴν φράσιν καὶ τὰ ῥήματα καὶ τὴν τούτων δύναμιν παρατηρεῖν· οὐ γὰρ οἷόν τε ἦν οὕτω νέους τὴν ἡλικίαν τῷ ποικίλῳ τῆς ἱστορίας ἡσθέντας, καὶ τοῖς λεγομένοις μόνον προσέχοντας, τῆς λέξεως ἐπιμελεῖσθαι. Ἀφ' οὗ δὲ ταύτης τῆς παιδαγωγίας ἀπαλλαγέντας πορρῶ τοῦ πατρὸς ἐξῆν ἐνταῦθα ζῆν, θαυμαστὸν πῶς ἐπαλληλοῖς ταραχαῖς τῆς ὁρμῆς συνεχῶς ἐνεκόφθησαν, πρῶτον μὲν λυγρᾷ ἀγγελίᾳ τῶν τὸν πατέρα καταλαβόντων, ἔπειτα δὲ βαρείᾳ τινὶ νόσῳ, ἥτις ἐνθάδε πολὺν χρόνον ἐπιδημήσασα τὰ τελευταῖα καὶ αὐτοῖς ἐνέσκηψεν, καὶ ὅλους δύο μῆνας διετέλεσεν ἐπιταράττουσα καὶ πράγματα παρέχουσα, ἐμοὶ δὲ οὐχ ἥκιστα ὑπὸ λύπης καὶ ἐσχάτης ἀθυμίας μηδὲν τὶ ἐλαφρώτερον ἐκείνων ἔχοντι. Ταῦτ' ἐστιν, ἀνὲρ λογιμώτατε, ἃ περὶ τῶν υἱῶν τοῦ ἐν ἁγίοις μεγάλου Καλιγνῶνος πρός σε ᾠήθην δεῖν γράφειν, τοῦτο μὲν σοὶ κελεύσαντι πείθεσθαι βουλόμενος, τοῦτο δ' αὖ πάλιν δεδιὼς, μή πως ἡ ἀμαθία

ἢ ταῖς παρ' αὐτῶν πρός σε ἐπιστολαῖς ἐπιφαινομένη σὲ μὲν καλλίστης προαιρέσεως ἀποστήσῃ, αὐτοὺς δὲ μεγίστης πρός σου προσδοκωμένης ὠφελείας ἀποστερήσῃ. Τὸ γὰρ ἐμοὶ ἐπίβαλλον μέρος, εὖ ἴσθι οὐ φαύλως, οὐδ' ὡς ἔτυχεν, εὐφράνας ἐμὲ τοιαύτῃ καὶ τηλικαύτῃ τῆς σῆς φιλίας πρὸς τοὺς ἐμοὶ φιλτάτους ἐνδείξει, καὶ πῶς οὐκ ἂν ἡδοίμην τε καὶ ὑπερηδοίμην ἐνθυμούμενος κατ' ἐμαυτὸν πόσα καὶ ποῖα ἀγαθὰ τῆς μετά σου συνηθείας μέλλουσιν ἀπολαύειν. Τῶν γὰρ καθ' ἡμᾶς τίνα σοῦ ἢ πολυμαθέστερον ἢ καὶ εὐσεβέστερον εὕροιτ' ἄν τις; ὃς συμπάσης τῆς παιδείας εἰς ἀκρὸν ἐληλακὼς, ὅμως γε ὑπὸ τῆς ἄγαν ταπεινοφροσύνης καὶ τῆς εἰς τοὺς τετελευτηκότας εὐσεβείας, οὐκ ὀκνεῖς σεαυτὸν ὥσπερ ἂν εἰ κατασμικρύνειν, ἐφ' ᾧτε παῖσιν ἔτι καὶ σχέδον τι νεογνοῖς τῆς σῆς τῆς ἁπανταχοῦ καὶ παρὰ πᾶσι τεθρυλλημένης παιδείας μεταδιδόναι, ὅπερ ἀκηράτου τινὸς καὶ ἀνυπερβλήτου χρηστότητος τεκμήριον σαφέστατον τιθείμην ἂν ἔγωγε. Οὐ μὴν ἀλλα καὶ πάντας τοὺς τὸ πρᾶγμα εἰσομένους τὴν αὐτήν μοι γνώμην περί σου ἕξειν πανὺ πέπεισμαι· εἰκότως· ὅπου γὰρ ἐγὼ τῶν χυδαίων δηλαδὴ καὶ τῶν πολλῶν εἷς, ὃν οὐδεὶς τῶν γε νοῦν ἐχόντων σοὶ παραβάλοι, ἐπὶ τῇ σπουδῇ τῇ περὶ τὴν τῶν παίδων τουτωνὶ ἀγωγὴν τηλικαύτην ἐμαυτῷ χρηστότητος δόξαν τυγχάνω κεκτημένος, πῶς οὐκ ἂν σὺ, ὁ Κασαύβωνος, ὁ πανὺ, ὑπὸ πάντων τησδὲ τῆς διαθέσεως ἐπαινεθῆναι τε καὶ θαυμασθῆναι ἄξιος δοκοίης; Καὶ ταῦθ' ὅτι εἴρηταί μοι ἀνυποκρίτως, μαρτυρήσεται ἡ πρὸ πολλῶν ἤδη ἡμερῶν πρὸς τὴν σεβασμιωτάτην γραφεῖσα ὑπ' ἐμοῦ ἐπιστολὴ, ἣν ἴσως καὶ αὐτῷ σοι τυγχάνει δειξαμένη. Sed O me et impudentem et stultum, qui apud te Græce ad miraculum usque doctum, et de mea infantia sentientem minus male, ausus tamen fuerim ita pudendum in modum *καὶ σολοικίζειν καὶ βαρβαρίζειν*. Sed bene habet quod et apud te res agitur, qui nunquam commissurus es, me ut pœniteat fiduciæ humanitatis tuæ, quæ me fortasse nimis hic effecit audacem. Vale, vir clarissime, et nos, ut facis, perge amare.

"Genevæ, aliena manu, quia mea non licebat, pridie Cal. Januar."

363, 78 (*Burn. MSS.*) "Viro clarissimo Isaaco Casobonio Alexander Calignonius S. P. D. Vehementer dolemus, vir clarissime, quod quum nostrum esset priores ad te scribere, et te nostris literis invisere, tamen id facere occupaveris, ac dignatus studii nostri meminisse; atque ita ut facile ex tuis

litteris perceperimus, te non mediocrem curam nostri gerere. In eo quidem maxime singularem tuam erga nos benevolentiam omnibus notam effecisti, nosque tibi devinctos in æternum reddidisti, cujus favoris ac benignitatis nos prorsus indignos esse existimo, nisi quatenus nomen, nomen pupilli et memoria *πατρὸς τοῦ μακαρίτου* nos tibi commendatos reddidit. Deum igitur Opt. Max. precamur ut (quemadmodum speramus) efficiat, ut possimus tibi satisfacere, si non omnino (ut fieri nequit) saltem aliqua in parte, et ut nostris studiis benedicat, ac annuat, ne opinionem, quam ais de nobis omnes suscepisse, fallamus. Quam quidem agnoscimus in sola memoria *τοῦ μακαρίτου* sitam esse, cujus quotidie imitatores nos reddere nitimur, quamvis noverimus infirmitatem nostram, quæ omnem spem illum imitandi nobis aufert, tamen stimulat nos ut Deum precemur, ne patiatur nomen paternum in nobis obrui ac extingui. Tuum igitur amorem erga nos ac benevolentiam, favoris ejus veluti certissima signa accipimus, et precamur a te ut eodem semper amore prosequaris nos, qui nunquam tanti beneficii obliviscemur. Prid. Kal. Jan."

634, 23. *amicos*] Scipionem Gentilem Ep. 613, obitum fratris ejus se quoque ægre ferre. "Est adhuc in urbe vidua fratris, fœmina lectissima, cui nuper alius dolor est objectus, cum in æquissima petitione sua apud tribunal *τῶν παππομανούντων* caussa cecidit. Omnes fatebantur judices caussam esse justissimam: sed addebant iidem publicæ rei interesse, ne jus illi redderetur. Ego, quæ mea tarditas est, istud non capio tam subtile."

Leonem Sapieham (*Cancellarium Lituaniæ*, *Cracoviam*) Ep. 615. Respondet Ep. 366, 24 (*Burn. MSS.*) de celsitudine ejus, sua tenuitate: de Joanne Stanislao filio ejus: "Aut me omnia fallunt, aut eo ingenio, iis moribus, ea virtute filium habes, ut gaudendi ipse luculentam in eo materiam habeas, amici gratulandi. Equidem illum diem albo notavi lapillo, qui eum mihi conciliavit. Itaque ejus caussa, et alterius nobilissimi præstantissimique adolescentis Poloni studia mea vita ipsa mihi chariora lubens intermisi, et ad civilis doctrinæ notitiam comparandam ipsorum conatus honestissimos pro mea virili sublevavi."

Joannem Stanislaum Sapieham Ep. 1041. Respondet Ep. 366, 25 (*Burn. MSS.*) In patriam revertenti promittit gratam se habiturum memoriam ipsius et meritorum ejus, rogatque ut literis beet.

635, 1. *Sedanum*] Vid. 609, 27. Ad S. Næranum Ep. 614: "Quod dudum optabam, effeci tandem ut filium meum studiorum caussa isthuc mitterem. Si mihi satis compertus fuisset tuus status, recta ab urbis porta illum ad te proficisci jussissem. Nunc quia neque de voluntate, neque de facultate tua satis liquet, egi cum amicis, ut tibi quid animi esset viderent. Spero si tuæ res ferunt, non deteriore loco illum apud te futurum, quam cæteros, siquos forte habes. Tradita est vectori pecunia ad menses aliquot; neque est quod verearis ullam Deo juvante moram in eo futuram. Non delicate illum haberi volumus ego et mater, sed commode et munde. Sed multo magis de studiis ejus sumus solliciti. Itaque si ita evenit, ut tecum habitet, peculiari cura ut ejus studiis invigiles obnixe a te contendimus. Pietatem imprimis doceri illum optamus, et cum pietate bonos mores. Est nobis alius minor ætate filius, quem vere ineunte si Deus dederit, et hujus educationi benedixerit, eodem mittere cogitamus. Ita velit, ita faxit ὁ ἐπὶ πᾶσι. Vale, vir eruditissime, et si me amas, novum discipulum habe commendatum."

640, 19. *Pr. Kal. Dec.*] Ad Hœschelium Ep. 616, de acceptis ejus literis, codicibus Arriani, suo Polybio, amisso fasciculo.

641, 17. viii. *Eid. Dec.*] Ad Scaligerum Ep. 617, vota pro sanatione.

Heinsium Ep. 618, de morbo Scaligeri.

642, 26. xviii. *Kal. Jan.*] Ad P. Junium Ep. 580, de Scrimgeri notis in Strabonem; officiis filio illius delatis. "Vidimus hic nuper librum a Torto (*Bellarmino*) quodam scriptum adversus libellum gravissimum et summæ pietatis "Triplici Nodo," (*auctore Rege Jacobo*). Nunc omnes boni responsum ex eadem officina exspectant. Nemo certe est literis illis melioribus excultus qui tali Rege in exemplum genito, ceu sydere quodam novo, illustrari seculum nostrum non agnoscat, non gaudeat."

651, 26. *Pr. Non. Jan.*] Ad Cl. Salmasium Ep. 619 de valetudine ejus et Scaligeri.

653, 26. xv. *Kal. Feb.*] Ad Heinsium Ep. 620 de morbo Scaligeri.

657, 13. *Legatus*] Arsenius.

664, 12. *legato*] 367, 40 (*Burn. MSS.*) " Monsieur, Nous vous avons escript le 17$^{me}$ du present de la perte que la republique a faict de ceste illustre personnage Mons$^{r}$. Joseph della Scala. Les lettres sont delivrées a un gentilhomme partant pour France. Cependant pour plus grande asseurance, a l'occasion que nous escrimons a Adrien Bess, nous avons voulu repeter le principal point vous concernant en nostre lettre. C'est que nous avons trouve au Testament du Sieur defunct ces mots ' Touchant ce peu que j'ay d'or ou argent en œuvre, je legue au Sieur Isaac Casaubon soubsmaitre de la librairie du Roi, une coupe d'argent doree avec son estuy, que les Messieurs des Etats de Zeelande m'ont donné." Et d'autant que le Sieur defunct nous a honoré de la charge d'executer sa derniere volonte, nous vous prions qu'il vous plaise nous donner par le premier ordre a qui nous aurons a delivrer la coupe, ou par quel moyen ou adresse nous la vous envajerons; et vous serez obei. Le Serviteur œconome du defunct Sieur appellé Jonas Rousse, auquel il a légué le principal de ce qu'il avoit parde, et qui luy a este loyal, est d'intention de faire un voyage en France; s'il vous plait que nous la luy baillions; ou bien si vous aimez mieux que nous la recommandions a Mons$^{r}$. l'Ambassadeur le President Janin; tout ce que vous ordonnerez nous le suivrons. Le mesme s'entend d'un livre de la bibliotheque roiale, que nous garderons jusques a votre advis. Nous nous avons faict le recit de son trespas, et autres circonstances, en la lettre envoyeé par le gentilhomme Pierre de Brentolles. Oultre ce nous ne doubtons pas que Monsieur Heinsius ne le face plus amplement. Attendants vostre reponse, nous nous recommandons en vos bonnes graces aveque offre de touts services a nous possibles. *En Leiden le* 30$^{me}$ *de Janvier* 1609. Les entierement vostres

" P. de Raphelengien. Juste de Raphelengien."

*A Monsieur Monsieur Casaubon soubsmaistre de la bibliotheque du Roi, Paris.*

664, 24. vii. *Kal. Mar.*] Ad Heinsium Ep. 621 de morte Scaligeri.

667, 4. xvi. *Kal. Ap.*] Ad P. du Maium Ep. 622 de literis ejus et Scaligeri morte.

668, 1. xiv. *Kal. Ap.*] Redeunte Buwinchhausen, ad Lingelshemium Ep. 623, impedimenta circumstare quod ad Heidelbergam pertinet: de Polybio et Scaligero.

Plessiaco Ep. 624, *Gallice* commendat eum cui traditæ sunt literæ. Luget Scaligerum. "Depuis ma derniere jay veu par occasion, et a cause de la bibliotheque, M. le Cardinal de Perron (666, 1) qui dit avoir respondu a vostre livre de la sainte eucharistie fort amplement. Et comme j'estois chez luy ces jours passes pour mesme occasion (iceluy estant premier chef de la bibliotheque) je le trouvai dessus, et me monstra sommairement quelques passages, comme deux jours apres je racontay a M. Maltault, le rencontrant chez M. l'ambassadeur du Prince Palatin. Je scay que luy et d'autres ont mal pris mes propos, qui en simplicité ay dit ce que le dit personage disoit." Responsum est a Plessiaco Ep. 36, p. 659.

— 10. x. *Kal. Ap.*] Ad Lingelshemium Ep. 625, gravia se certamina pro religione sua dies noctesque subire.

Cl. Salmasium Ep. 626, metuere se valetudini ejus, lugere Scaligerum.

D. Hœschelium Ep. 627, de literis non acceptis, de Joanne Nauberger, de Scaligero.

J. Kirchmannum Ep. 628, mortem Merulæ damno esse academiæ Batavæ, mortem Scaligeri omnibus deflendam, exspectari ejus de annulis commentarium; promittit Polybium et commentarium.

F. Taubmannum Ep. 629, laudat Scaligerum.

Scipionem Gentilem Ep. 630 de fasciculo literarum illi non reddito; de vidua fratris; de Scaligero.

671, 14. xiii. *Kal. Mai.*] Ad D. Heinsium Ep. 631. Num perierint literæ ab Heinsio post Scaligeri mortem scriptæ.

— 20. *sedet*] Divide "sed et."

673, 16. vi. *Eid. Mai.*] Ad Heinsium Ep. 632, acceptam epistolam ejus de obitu Scaligeri scriptam.

676, 14. *Kal. Jun.*] Heinsio Ep. 633, commendat amicum

literas reddentem: exspectat epicedia de Scaligero: penes eum Polybium Scaligeri manu adnotatum et Justi Lipsii librum de militia Romana: de Polybio suo: cupere ad se perferri legatum Scaligeri.

680, 10. *Non. Jul.*] Ad Heinsium Ep. 634, de Scaligero.

— 20. v. *Eid. Jul.*] Ad P. Junium Ep. 635, de Rege Jacobo et opere ejus 642, 26. Ep. 380.

— 21. ἀργύρωμα] Vide 664, 12.

683, 6. *curis*] 367, 107 (*Burn. MSS.*) "——Sed cave, cave, O Musarum et pietatis alumne, ab istis dolosis certe periculosis amicis, qui saluti tuæ insidiantur. Non tam illi te amant, quam gloriam tuam nobis invident, et ex subversione tua sibi triumphos ὀνειροπολοῦσι. Sed qui hactenus tibi adfuit Deus, is porro te invictum reddet adversus illorum τεχνάσματα et μεθοδείας πλάνης. Montes aureos pollicentur illi. Sed crede mihi carbones sunt, imo candentes prunæ. Quid enim Attalicæ illæ conditiones, quarum obtentu miseros inescant, quid, inquam, aliud sunt quam aura, imo ipsius gehennæ fumus? Sed sus Minervam. Quis enim melius, quam tu, novit, quam sit detestanda Antichristi tyrannis, et doctrina, quam vana mundi gloria. Deus igitur, sat scio, et corvos deludet hiantes, et inconcussum præstabit fidei tuæ robur. Sunt tibi liberi, grande onus, opes modicæ. Sed in monte Jehovæ providebitur. Is tibi et tuis clypeus erit, et merces magna nimis. Hoc opto, hoc oro, hoc spero et quidem πανὺ πληροφορικῶς. Vale. *Sedani*, *Julii* VII, 1609.

Græcas Clementis διαταγὰς videre aveo. Si licet, sitim exple."

683, 8. *Non. Aug.*] Ad Scipionem Gentilem Ep. 636, Polybium ad nundinas properantem paulatim se dimittere.

— 25. IV. *Id. Aug.*] Ad D. Heinsium Ep. 637, de Polybio, curis gravissimis, juvene literas tradituro, observationibus Scaligeri.

686, 17. IV. *Kal. Sept.*] Ad J. Rutgersium, *Lugdunum Batavorum* Ep. 638, notas Scaligeri, quas ille misit, gratum se accipere, neque impia manu contrectaturum. "Cum Historiam Augustam edebam, misit ad me Petrus Faber, curiæ Tolosanæ Princeps, librum observationum suarum, quem mihi eleganti epistola inscribebat et cum meis Notis edi volebat. Non erat

accessurum nomini meo parvum decus ex illa dedicatione viri tam illustris dignitatis, et quidem Pontificii: sed quia erant illæ notæ indignæ, meo judicio, tanti viri fama, editione libelli abstinui, et pauca selegi, ut haberem occasionem faciendi mentionem Fabri honestissimam."

Ad Janum Gruterum Ep. 639, tandem ad finem perductam Polybii editionem.

688, 4. *literis*] Ad G. M. Lingelshemium Ep. 640. "Polybium et Æneam mea opera hic editos tibi mitto, vir præstantissime. Spero fore munus non ingratum; nisi tamen ἀδέσποτοι quidam rumusculi isthuc, ut audio, delati tantum apud te valuerunt, ut tuum a me animum abalienarent. Dolebo si ita est, et jure optimo sortis meæ infelicitatem prædicabo, qui fortunas meas scelere quorundam e nostris amiserim, amicos autem astu aut vanitate τῶν ἑτεροδοξούντων. Quis me vivit infelicior? [Protestantes] et Romanenses variis artibus ex æquo me infestant, sed isti digniores venia, quos in me nihil irritat præter caussam religionis."

Ad G. Camdenum Ep. 641, Polybium et Æneam mittit.

Ad D. Hœschelium Ep. 642. Polybium mittit et Æneam vetustissimum, ut credit, auctorem: respondet de Apollinari, cujus Psalterium non indignum judicat, quod juventuti φιλέλληνι proponatur, sed quod ad versionem postponendum Florenti Christiano, Zanutio et aliis.

C. Rittershusio Ep. 643 nuperas nuptias bene cedere cupit: academiam Altorfiensem in Scaligerum nihil scripsisse miratur.

Scipioni Gentili Ep. 644, instar longioris Epistolæ Polybium mittens, prolegomenων prolixitatem excusat.

— 26. VI. *Eid. Sept.*] Ad Fr. Lindenbrogium Ep. 645, literas ejus longo intervallo acceptas: Polybium de suis occupationibus testimonium dicturum: Calignonios fratres ex ædibus suis in Delphinatum hodie profectos.

Patricium Junium Ep. 646, accepisse se libros atque Epistolam adjunctam.

Gothofredum Jungermannum Ep. 647, tandem sibi redditas ejus literas: convalescere eum se cupere: in Harpocratione eum versari se gaudere: Notas Loiolitæ (Jacobi Grutseri) in

Epistolam Nysseni se vidisse et ingemuisse. "Evincerem istos nebulones, quicquid prætexant, *λατρεύειν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα.*"

691, 8. xiv. *Kal. Oct.*] A Meric Casaubon Ep. 648. "Meric, Je suis bien aise que tu m'escris assés diligemment, et je serai encores plus, quand tu le feras plus souvent. Pourveu que toujours par tes dernieres je puisse cognoistre, que tu ayes profite quelque chose despuis les precedentes. Video te jam incipere themata Latina componere, sed non sine gravibus erroribus. Fac quotidie aliquid addiscas. Exerce memoriam assidue. Si isthic docetur Terentius, volo ut eum librum a principio ad finem mandes memoriæ. Nemo Latine loquetur bene, qui Terentium non contriverit. Escris moi si par de la on lit Terence, et qu'est ce que on te lit. Sur tout sois sage; crains Dieu: prie le pour tes pere et mere, et freres et sœurs. Honore tes precepteurs, et leur sois obeissant. Garde toi de perdre le temps. Si ita feceris, Deus tuis studiis benedicet. Scripsi ad tuum præceptorem atque hospitem, ne quid tibi deesset. Mater te salvere jubet, et vous commende de baiser les mains a Madamoiselle Capel en son nom: comme je fais aussi."

694, 1. *τοῦ τὴν σφραγῖδα κατέχοντος*] Nicolai Brularti Sillerii.
— 16. *Arpennius*] Sic plane scriptum: Th. Erpenius.

698, 26. vii. *Kal. Dec.*] Th. Cantero Ep. 649. Quæstionibus nonnullis conjectura respondet.

Ad Andr. Schottum Ep. 650, Miræum gratiorem advenisse qui literas attulerit. "Quod scribis in eo te esse ut Ciceronem juventuti commendes, et vel aversanti eum obtrudas, moriar, nisi is mihi longe fuit jucundissimus nuntius: amo enim illum scriptorem *ἐκπαθῶς*, et stultitiam eorum satis demirari nequeo, qui Latinam linguam et facundiam ab alio potius sibi putant esse quærendam." De Themistio.

Thom. Erpenium Ep. 651, sollicitum se de ejus valetudine: studia Arabica frigere post ejus discessum: in Bellarmini seria se lectione occupari. "Scis quod genus hominum me cogat dare operam studiis Theologicis: illi nempe, de quibus sæpe me conquerentem audisti. Sed narro tibi: bene meriti sunt illi homines de me, atque adeo optime. Exegerunt ut

Bellarminum suum legerem; invitum compulerunt: vix adhuc attigi, et tot monstra horrendorum inveni mendaciorum, ut operæ non pigeat."

699, 16. *Perronium*] Ad R. Thomsonem Ep. 652, alia sibi curanda potius quam studia: assidua opera agi ut traducatur ad alia castra: "De Polybii commentario si quæris, ille jacet, et æternum jacebit, dum mihi cum Purpurato (*Perronio*) viro maximo, assiduæ de religione contentiones erunt. Is est, qui omnibus in hoc Regno literatis, ac nominatim *τοῖς ἀμφὶ τὴν βιβλιοθήκην τοῦ βασίλεως* præest. Non puto majus extare hodie ingenium. Cum hoc viro assidue versans propter munus meum assidue dimico: *ἀλλ' ἴσθι γίγνεσθαι ταῦτα οὐκ ἄνευ κελεύσεως* 'Αγαμέμνονος" (*Henrici*).

708, 16. III. *Non. Jan.*] Ad D. Heinsium Ep. 653, silentio se sexti mensis angi:

Joan. Rutgersium Ep. 654, acceptas binas ejus cum Scaligeri notis descriptis ex illius codicibus: a Polybio se discessisse, occupatum tum aliis curis, tum recensione Animadversionum in Suetonium et commentarii in Theophrasti Characteres: de Heinsio se solicitum: Puteanos edere collecta ex Scaligeri scriptis.

Iterum Ep. 655.

709, 10. *Pr. Eid. Jan.*] Ad D. Heinsium Ep. 656, quia Vandermylium Venetiis Legatum per Lutetiam Lugdunum redeuntem sine literis dimitti noluit.

714, 8. VII. *Eid. Feb.*] Ad T. Erpenium Ep. 657, munus se ejus *χρυσοῦ χρυσότερον* accepisse, chartas nempe ad linguam Arabicam pertinentes.

— 23. *Pr. Eid. Feb.*] Ad J. Buxtorfium Ep. 1042 de lingua sancta.

724, 9. *Paulum*] Sarpium, *Fra Paolo Sarpi*, qui concilii Tridentini historiam inter alia opuscula scripsit.

725, 1. x. *Kal. Ap.*] Scipionem Gentilem Ep. 658 monet perductam ad umbilicum fere editionem animadversionum Suetonianarum:

G. Jungermannum Ep. 659, ut valetudini consulat.

729, 23. VI. *Kal. Ap.*] Ad Andr. Schottum Ep. 660 scribit, percurrisse se acceptum librum ejus in M. Tullium: "Sed

noli existimare te nostris desideriis satisfacturum, nisi tuis in Ciceronem vigiliis seriam cohortationem adjeceris, qua probos adolescentes ad bonam mentem revoces. Vides enim quam frigeat hodie, et quam parum vulgi palato sapiat ille admirandus scriptor. Te oro, incumbe in caussam, gloriosum erit tibi, aliis cessantibus occupasse hanc palmam. Omnes, quibus de meliore luto Titan præcordia finxit, laudibus te in cælum ferent. Ego eruditorum postremus, amore erga te inter primos, tuum triumphantis currum sequar *πάσαις εὐφημίαις σε εὐλογήσων*."

G. Uwenum Ep. 661 honore esse auctum Antverpiæ gaudet.

730, 21. *Angliam*] Acceperat a G. Carew olim Legato apud Lutetiam 363, 124 (*Burn. MSS.*). "[Archiepiscopus] Cantuariensis admodum sollicitus est ut hic omnia, cum veneris, parata invenias. Credo te accepisse ex prioribus meis, tibi præbendam reservari, quæ ædibus, ligno, et tritico quantum erit opus, et 800tis, Turonicis annuis constat. Non hic moratur ejus cura, sed cum suffraganeis suis egit, ut ultra hæc ex eorum collationibus ea summa seu pensio annua reponatur tibi, quam illic relinques, eo usque duratura donec aliæ possessiones ecclesiasticæ comparari queant. Denique nostrates plurimi adventum tuum valde desiderant. Scis quam hac in caussa non fuerim temerarius, sed lentus et cautus: jam mihi videor res eo in statu collocatas videre, ut de migratione te possim tuto hortari. Si fieri commode potest, vellem ut conscio et favente summo illo Rege hoc perficiatur: sed de eo tu videris, et statuas pro re nata. Fac ex te sciam quam primum quid sentias. Interea vale et me mutuum ama. *Londini* 12 *Martii* 1610 *stylo Anglico.*

"Tui studiosissimus Geor. Carew."

732, 1. VI. *Eid. Ap.*] Erpenio Ep. 663 respondet Genevam, Venetias, Constantinopolin studiorum ergo Arabicorum visuro Ep. 662, et volenti Grammaticæ Arabicæ *σύστημα* Lebæo imprimendum dare, laudatque constantiam ejus: se occupatum vivere, et vexatum *καὶ ὑπὸ ὁμοδόξων, καὶ ὑπὸ ἑτεροδόξων.*

733, 27. VI. *Eid.*] Dies hic nonnullos Casaubonus male numeravit.

735, 16. *Regem*] Jacobum Ep. 664. "Rex maxime, et ex

sermonibus multorum et nonnullorum etiam literis cognovi, Majestatem tuam adeo mei memoriam in sublimi fastigio suo, et diuturno meo silentio non posuisse, ut nonnullam etiam aliquando significationem dederit, si me casus aliquis isthuc deferret, non ingratam sibi eam rem futuram. Agnosco etiam hic, Rex maxime, divinam illam Majestatis tuæ benignitatem et omnibus numeris absolutam virtutem, quæ etiam apud exteras gentes immortale gloriæ decus nomini tuo pepererunt. Tantum enim Principem tam admirabili doctrina instructum, tanta doctissimorum virorum copia circumfusum, etiam mei, propter nescio quid literarum, dignari meminisse, et rationem aliquam habere, χρηστότητος cujusdam prope inauditæ mihi quidem specimen videtur. Utinam superi faxint, contingat aliquando mihi facultas luculento aliquo testimonio declarandi, qua devotione animi, qua admiratione, tuam ipse Majestatem venerer, et tacitus apud me, apud omnes prædicatione assidua multos jam annos colam. Si nihil possum aliud, illud unum constanter usurpabo, ut Deum Opt. Max. obsecrare pergam, quo magis magisque imperium tuum in dies firmet, ac laboribus quos pro ipsius Ecclesia generosissima mente sustines, propitius benedicat. Macte animi, Rex sapientissime et θεοφιλέστατε· ingens et arduum tu quidem certamen certare instituisti; sed majus te operæ tuæ et omnium ærumnarum manet præmium. Habes brabeutam Deum ipsum; habes spectatores omnes Europæ viros bonos, quorum alii palam, alii in sinu faustis ominibus tua incepta prosequuntur; cuncti ut Ecclesiæ caussam semel susceptam ne deseras omnibus votis optant. Quo super negotio quia diu multumque propter præsentem conditionem meam mihi fuit cogitandum, et cum multis utriusque [Religionis] hominibus gravissimis agendum, optavi persæpe Majestatis tuæ sensus omnes propius cognoscere, et quæ mihi in mentem veniebant, posse eidem communicare. Feceratque adeo ista cupiditas, ut excurrendi isthuc consilium ante aliquot menses inirem. Quod in præsentiarum exequi quum non possim, exspectabo occasionem aliquam, siquam forte Dominus mihi fuerit daturus. Atque interim pro ea benevolentia, quam erga me non semel, ut audio, declarasti, gratias Majestati tuæ, si minus quas debeo, neque

enim possum, certe quantas possum maximas, et habeo, agoque, et dum ero, habebo, atque agam indesinenter."

736, 17. *literarum*] Ad D. Heinsium Ep. 665, literis ejus nihil sibi jucundius: de Polybio suo et Suetonio: accepisse se Horatium ejus et poemata, legisse quæ in Nonnum scripserat:

Joan. Rutgersium Ep. 666, imaginibus Julii Cæsaris Scaligeri et filii Josephi missis muneri nihil sibi gratius: pro Baudii oratione grates: Suetonium se missurum: laudare institutum opus, quo vitam et obitum Scaligeri suscepit explicandum: Thuanum et Puteanos fratres posse multa suggerere:

Joan. Meursium Ep. 667, bonorum amicitias debere esse æternas: Glossarium ejus *μιξοβάρβαρον* publicari se cupere:

Petrum Cunæum Ep. 668, animadversiones ejus ad Nonni Dionysiaca cupide se legisse:

D. Tilenum Ep. 1043, respondens Epistolæ ejus. "Scito igitur eos qui tibi narrarunt me vel metu famis, sic enim ais, vel ex indignatione adversus [Genevenses] animum in caussa religionis mutasse, rem falsissimam et a moribus meis alienissimam tibi retulisse. Verum quidem est id sedulo egisse [Genevenses] ut ego et omnes mei quantum in ipsis foret, omnibus nostris fortunis eversi *δεινὰ καὶ πέρα δεινῶν* experiremur.——Sed propterea cœpisse me de religione quam [Genevenses] profitentur, deterius sentire, aut loqui, hoc vero falsum est, commentitium est, diabolicum est.——Laudo quod rumusculos illos non plane contempseris; et quod amici officio sis functus, habeo et ago gratiam. Sed potuitne fieri ut ipse crederes?——Dices, unde igitur ille de te rumor est ortus et qua de caussa?——Ego postquam a Deo Opt. Max. in hac statione mihi persæpe gravi et molesta sum collocatus, vix diem liberum habui, et a certaminibus cum diversa de religione sentientibus immunem; quo in agone, qua libertate sim semper usus, quo zelo, scit ille, quem nihil latet. Atque ego illum ipsum testem possum laudare, nulla mea levitate factum quod in hanc arenam sæpe descenderim: invitus enim semper et necessitate quadam coactus eo sum compulsus. Memineram Theologiam me non profiteri, et tenuitatem ingenii atque eruditionis meæ probe noram. Sed nihil agebam; semper enim aliqua nascebatur occasio, quæ me cum præstantissimis

viris τῶν ἐξ ἐναντίας committeret.——Quum igitur cernerem impositam mihi esse necessitatem reddendi rationem fidei meæ omnino duxi faciendum, ut curis aliis omissis huic me studio totum darem, et cum Dei verbo ac veteris ecclesiæ doctrina et nostrorum et adversariorum scripta contenderem. Ista fuit caussa, cur inter cæteros Bellarminum ante menses aliquot sumerem legendum. Versabar in prima ejus parte cum nuper ad te scripsi. Tum quidem meum omne studium erat, ut quæ primo illo tomo de libris canonicis disseruntur, de auctoritate veterum interpretum, de humanis traditionibus, et similibus capitibus falsa esse rationibus certis demonstrarem: quod quum viri magni ante nos facere instituerint, non fuit mihi difficile certissimas eorum rationes novis persæpe argumentis confirmare. Parem facilitatem videor mihi esse expertus in doctrina de Romani pontificis omnipotentia, de imaginum cultu, de indulgentiis, et id genus aliis. Ubi vero ad ea ventum est, quæ de sacramentis hodie disputantur, etsi multa occurrebant non minus εὐεξέλεγκτα, quædam tamen sunt reperta capita, in quibus stare ab adversariis universam antiquitatem et quidem mire consentientem videor invenisse; nam illos e nostris, qui demonstrare aggressi sunt eadem patres nobiscum sensisse, egregie operam lusisse, et in clara luce cæcutisse, ni fallor, possum certissime probare. Atque ego demirarer tot viros præstantes et in scriptis patrum egregie versatos nihil simile observasse, nisi viderem eo res ecclesiarum nostrarum hodie rediisse, ut paucorum placita pro lege rata et inviolabili habeamus. Itaque non jam liberum est nobis, quid vetus ecclesia crediderit inquirere, sed id potius agendum ut scripta patrum vel obtorto collo ad sententiam illorum paucorum trahamus. Ego, mi Tilene, Lutherum et Calvinum summos et admirabiles viros fuisse censeo; ἀναμαρτήτους tamen cur fuisse credam, caussam non video. Sed abeo longius, qui tecum agere institueram. Ut igitur verbo expediam, scito ex accurata veterum lectione nonnullos animo meo obortos esse scrupulos, de quibus tecum posse agere instar putarem regni; doceri enim cupio. Nam moveri me consensu totius antiquæ et orthodoxæ ecclesiæ non possum dissimulare. Si non possum optatissimo tuo con-

gressu frui, quod restat experiar, ut rationes quibus moveor, scripto comprehendam, et tibi transmittam. Hoc ego jam venerando Molinæo recepi me facturum et cum ipso communicaturum animo candidissimo et veritatis studiosissimo."

738, 9. *Regis*] "Henricus Reginam conjugem jam complurium liberorum parentem more majorum sacrari coronarique mandat. Res in Dionysio fano tertio Eidus Maias magnifice peracta.——Urbem magnificentissime ingredi Reginam de more supererat, et appetebat dies pompæ dicta postridie Eidus. Urbis exornandæ picturis, statuis, columnis, inscriptionibus, ceterisque publicæ lætitiæ signis populus satagebat. Deficere tempus artifices querebantur: Rex adeundi exercitus desiderio moræ omnis impatiens proferri noluit: pridieque Eidus hora post meridiem quarta, Lupara (*Louvre*) egressus, stipatoribus manere jussis, per urbem aperto undique curru vehi cœpit, opera simul et opificum alacritatem spectaturus. Dextra adsidebat Regi Espernonius (*le duc d'Espernon*) inferiore sedili Bellomanovius Lavardinus et Rochalaureus (*les Mareschaux de Lavardin, et de Roquelaure*) sinistra Mombazonius (*le duc de Montbason*) et Forcæus (*le Marquis de la Foret*): in adversum Regi Plessius Liancerius (*du Plessis Sieur de Liancourt*) et Chabotius Mirabellius (*de Chabot, Marquis de Mirabeau*). Notata circa Regis currum solitudine, sicarius patrandæ cædi momenta captans jam ab Lupara sequebatur. Media Ferraria (*Rue de la Feronnerie*) forte occursantibus plaustris hæsit currus. Heu quantum in pausula discrimen? Occasione moræ sicarius per vacuum superioris cathedræ latus in Regem colloquio Lavardini acclinem duobus ictibus irruit. Prior haud penetraverat: sed promta sceleri manus, simul sensit obstare ferro costam, priusquam Rex doloris vocem ederet repetitum confodit. Vis tanta sanguinis ore, vulnere prorupit, ut exanimis illico defecerit. Manum armatam aut ferientem viderat ex comitibus nemo; cuncti Regem collabi vident; exiliunt de curru et percussorem prehendi clamitant. Is jam immanitate facinoris obstupuerat, oblitus fugæ, oblitus ferri quo manifestario prodebatur. Plebe ad strepitum circumfusa comprehenditur cultrum adhuc stringens calente cruore stillantem.——Nomen et patriam edere

jussus, Franciscum Ravallacum (*Ravaillac*) nominari dicit, annos natum triginta duos, patria Engdismensem (*d'Angoulesme*) professione magistellum pueris Catholico Apostolico Romano ritu erudiendis: jam decimum quintum in urbe diem agere; nulla se aut suos ab Rege injuria læsos; venisse tamen animo regis interficiendi, fraude diabolica inductum, instigatu præterea nullius: Regem abs se vulneratum cultro quem de caupona furto in eum usum abstulerit: antehac venisse in urbem Regis ergo non occidendi verum admonendi excitandique ut bellum hæreticis indiceret.——Ex senatus-consulto impositus stercorario plaustro pro valvis basilicæ Marianæ (*Nostre Dame*), nudus in linea subucula, cum accensa tæda, supplex detestandi parricidii veniam a Deo, Rege, Senatu poscere jubetur. Inde in Portuensem plateam (*la Greve*) vecto dextra cultrum amplexa igne sulphureo comburitur: mammæ, brachia, femora, suræ forcipe candenti concerpuntur: in concerptu plumbum, oleum, cera, sulphur ferventia funduntur. Quacunque transductus est, plebs carnificinæ avida, probris, contumeliis, diris appetitum nisi milites objectis mucronibus obstitissent, dilacerasset. Doctoribus preces de more concipientibus contraria obstrepentium execratione silentium impositum. Unde occasione sumta actuarius ad damnatum accessit, hortatusque est ut consciis indicatis iram populi, ultima sibi morientium solatia denegantis, ad misericordiam flecteret. Ille denuo neminem se habere conscium affirmavit. Itaque horæ spatium quatuor equis in diversa nitentibus distrahitur, ac tandem extincto parricidali spiritu membra quadrifariam secta separantur a trunco. Supererat ex senatus-consulto cuncta comburi, cineres vento difflandos projici. Populus sibi litatum negavit, factoque impetu, disturbata carnificina, extorta carnifici membra diripuere, per varias urbis regiones raptavere, horrendis imprecationibus devota cremavere: alicubi raptando, tundendo, laniando defuit quod cremaretur." *Rigaltius*, lib. 3.

738, 22. *Eid. Mai.*] Ad Joan. Meursium Ep. 669 scribit glossarium μιξοβάρβαρον e nundinis Francofurdiensibus allatum: munus misisse illustrem Legatum Mylium: Utenbo-

gardo discedenti Suetonii sui exemplaria ob id tantum non tradita quod extrema manus nondum erat imposita.

743, 21. VII. *Kal. Jun.*] Ad Joan. Utenbogardum Ep. 670 scribit de parricidio Henrici IV. "Me ne quid dissimulem hæc tanta diversitas a fide veteris ecclesiæ non parum turbat. Ne de aliis dicam: in re sacramentorum a majoribus discessit Lutherus, a Luthero Zuinglius, ab utroque Calvinus, a Calvino qui postea scripserunt. Nam constat mihi et certissimum est doctrinam Calvini de sacra eucharistia longe aliam esse ab ea quæ in libro viri observandi Molinei nostri continetur, et quæ vulgo in ecclesiis nostris auditur. Itaque Molineum qui oppugnant, Calvinum illi non minus objiciunt, quam aliquem e veteribus ecclesiæ doctoribus. Si sic pergimus, quis tandem erit exitus? Jam quod idem Molineus omnes veterum libros suæ doctrinæ contrarios respuit ut ὑποβολιμαίους, cui mediocriter docto fidem faciet? Falsus illi Cyrillus Hierosolymorum Episcopus; falsus Gregorius Nyssenus, falsus Ambrosius, falsi omnes: mihi liquet falli ipsum, et illa scripta esse verissima, quæ ipse pronuntiat ψευδεπίγραφα:"

Corn. Mylio (*Vandermyle*) Ep. 671 commendat Philippum filium Jacobi de Maussac:

D. Heinsio Ep. 672 eundem commendat; luget Henrici casum:

Is. Chabanæum Ep. 673 monet. "Non male nuper cum ad te scripsi, operam posui: videor commovisse te, et diligentiam tuam excitasse. Hoc mihi testata est tua Epistola et Latine scripta et non invenuste. Gaudeo tibi grata esse mea officia. Qui te complector charitate patris, video lubens te mihi præstare officium filii. Scit ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ὅσου ἐμοὶ χάρματος ὑπόθεσις γίγνεται ἡ σὴ προκοπή· ἐπιθυμῶ γὰρ ἐπιθυμίᾳ μεγίστῃ καὶ σὲ, καὶ τὸν ἐμὸν Ἰωάννην, καὶ τῇ πρὸς Θεὸν εὐσεβείᾳ, καὶ παντοδαπῇ παιδείᾳ ἐν τοῖς ὁμήλιξι διαπρέπειν· τί γὰρ ἐν τοῖς ἀνθρωπίνοις θεοσεβείας σεβασμιώτερον; τί σοφίας καὶ πολυμαθείας ποθεινότερον; οὐχ ὁρᾷς ὅπως εἴτις ἐπὶ τρόπων ἁγνείᾳ, φόβῳ κυρίου, καὶ τῶν μαθημάτων γνώσει ἐπίσημος εἴη, τοῦτον καὶ οἱ λαοὶ δακτυλοδεικτοῦσι, καὶ ἐρχόμενον ἀνὰ ἄστυ Θεὸν ὡς εἰσο-

*ρόωσι; τὸ δὲ μέγιστον, μισθὸς βέβαιος ἐν οὐρανοῖς ἀπόκειται τοῖς εὖ καὶ καλῶς βιωσαμένοις.* Sed hæc obiter. Unum est, quod te volo, mi Isaace. Non clam me est, multos isthic multa de me garrire, et amicos et inimicos. Scis quid intelligam. Volo tibi sit persuasum, eum esse me, qui sermonibus imperitorum non movear: constat mihi facti mei ratio. Testor Deum immortalem nulla me levitate ad has cogitationes impelli. Una est, sola est, *μονωτάτη*, inquam, est veritas cujus studio ducor: hoc exitus, volente et faciente Deo, certo probabit: res ipsa pudorem incutiet temere garrientibus, hominibus imperitissimis earum rerum de quibus loquuntur. Hoc unum peto a te, ut, cum erit occasio, affirmes tibi satis exploratum esse, *τὰ χοϊκὰ καὶ κοσμικὰ* nihil apud me valere, valere veritatem, cui det Dominus Jesus litare. Vale *Gryniaci*.

" Vide ut libri, quos peto, et inveniantur in museo, et contra pluviam muniantur. Epistolas sepositas obsignabis, et reddes illi qui veniet quæsitum. Eæ sunt sex."

744, 29. *Kal. Jun.*] Ad Cl. Salmasium Ep. 674 scribens luget Henricum:

D. Heinsium Ep. 675 de morte Regis: Suetonium ægre tandem absolutum; absolutam editionem operum Scaligeri excepta sola præfatione.

746, 4. *Non. Jun.*] Ad Cl. Salmasium Ep. 676 scribit incertum se de se; missurum Suetonium et Scaligeri opuscula, in quibus eodem oleo parentari Regum maximo, et maximo doctorum.

752, 18. *Archiepiscopo*] Ricardo Bancroft, 363, 20 (*Burn. MSS.*) " Accepi literas tuas, vir doctissime et ornatissime, vicesimo die Junii datas Parisiis duodecimo calendas ejusdem: in quibus ad Baronis Baluardi literas, ut consilium tuum cognoscam, me remittis. Ejus itaque verba visum est Latine reddita hic includere. Quod ad hoc negotium attinet, puto te ex illis jam pridem intellexisse, qui hac de re tecum per literas meo nomine egerunt, optatissimum nobis fore adventum tuum, atque adeo jamdiu tibi reservari in ecclesia Cantuariensi *Præbendam* honesto dotatam vectigali. Quin et de aliis jam cogitatum esse, et brevi, ut confidimus, provisum fore victus tui subsidiis, ut tuæ hic conditionis non pœniteat. Poteris

pro arbitratu tuo, vel relicta isthic familia, loci explorandi caussa huc transire, vel uxore et liberis una opera deductis, Majestatis suæ clementiæ et benignitati, meæque fidei te tuasque fortunas in totum committere. Si de posteriore ratione constitutum erit, petes a D. Edmunds Majestatis suæ legato triginta minas sterlin meo nomine, quas is quamprimum tibi tradet. Id vero in primis agendum est, ut eam exeundi opportunitatem captes, ubi id quam maxime poterit tuto et citra discrimen fieri. Secreto rem geri plurimum puto interesse, quod tuæ prudentiæ permitto. Tui erit consilii, quid potissimum statuas. Ego, si adveneris, operam dabo, ut quam de meo erga te animo opinionem susceperis, ne temere dicas susceptam. Vale, vir doctissime, et de tuo consilio fac nos quamprimum certiores. Tibi tuisque studiis addictissimus R. Cantuar." *Lambethæ* 24° *Junii* 1610.

— 24. *Legato*] Thoma Edmunds milite.

753, 1. *Legatus*] Franciscus Maria Mamiani, 367, 48 (*Burn. MSS.*)

— — *Ducis*] Francisci Mariæ Roborei (*della Rovere*) post quem defectu masculorum ducatus cameræ pontificiæ adscriptus est.

— 30. VII. *Kal. Aug.*] Ad Sam. Næranum Ep. 677 scribit Angliam se exuli sibi sedem exspectare. "Nobis longe gratissimum est futurum, quod inter homines videmur victuri, qui aliquam et olim fuisse ecclesiam Dei non plane vituperabilem persuasum habent. Quod cur dicam exponerem pluribus, si præsens tecum loquerer. Arminium τὸν μακαρίτην cujus ipse facis mentionem virum magnum fuisse non dubito: etsi nostrorum pastorum nullum adhuc inveni, qui pro infami hæretico illum non haberet, ut quibus ὁ κανὼν τῆς ἀληθείας sit sententia Calvini, quem ego vehementer suspiciens, eos tamen ferre non possum, qui omnes ab eo dissentientes male oderunt, neque item illos, qui, ut probent veteres pios idem cum nobis credidisse, scripta ipsorum miserabilem in modum torquent, magno cum intelligentium et serio eruditorum scandalo."

755, 23. V. *Eid. Aug.*] Ad Andr. Schottum Ep. 678 scribit Tullianas ejus quæstiones acceptas: "Bene meritus es de

sæculo tuo, bene de juventute, bene de Latinis literis, quæ omne suum decus et veram gloriam videbantur brevi amissuræ, nisi extitisset aliquis exquisitæ eruditionis vir, qui bonos juvenes inopia judicii et culpa doctorum suorum errantes in viam rectam reduceret, et in studio eloquentiæ ὀρθοποδεῖν doceret.——Redibit igitur, redibit in pristinum locum Marcus Tullius auctore te, et illorum sententia veris rationibus victa explodetur, qui Patrem Romanæ facundiæ parum idoneum Latinitatis auctorem existimabant.——Qui a primis annis divinum Marci Tullii ingenium semper suspexerim et amaverim, nunc senex aut senectuti proximus ita ejus scripta admiror, ita eorum lectione delector, ut nemini hac in parte eorum qui Ciceronianos sese dici volunt, sim concessurus."

Joan. Brantio Ep. 679 gratias reddit qui miserit Tullianas Schotti Quæstiones.

759, 15. IV. *Kal. Sept.*] Ad Th. Erpenium Ep. 681, scribit acceptam Epistolam ejus 680: de Arabicis studiis: in Angliam se sperare proficisci, ad dictam diem reversurum.

760, 12. *Non. Sept.*] Joan. Vassanium Ep. 682 monet fratrem ejus Lutetiæ se nuper vidisse: de Merula, Bertio, Pelagio.

— 29. VIII. *Eid. Sept.*] Ad D. Heinsium Ep. 683 scriptam Genevensi cuidam amico tradit: autumni bonam partem in Anglia acturus, rediturus forte per Hollandiam: Ep. 684 nobilis Germano vidèndi illius cupido. "Verbo tibi dicam, in eum locum esse res redactas, ut videantur brevi omnes Galli fore mancipia Loiolitarum. Scio equidem eo ingenio esse meos Francos ut ἄνευ σφαδασμοῦ jugum non sint laturi, quin tamen admissuri sint, non dubito, urget enim vis major."

Ad Joan. Caselium Ep. 685 scribit corpus sibi sic satis valere, animum curis et ægritudine pessime jacere: Henricum fama sua majorem fuisse.

761, 12. III. *Eid. Sept.*] Ad Cl. Dausqueium Ep. 686 scribit, amicorum numerum sibi augeri: æquissimam fuisse ejus querelam: in notulis in Spartianum quæ peccata sunt corrigat. "Anno ætatis nono quam [linguam] emendate scriberem cura optimi parentis educatus, undecimo vix literas noram; afuerat enim domo parens meus propter conditionem tem-

porum et infelicia illa bella quæ per annos fere quadraginta continuos Regni hujus incolas miris modis et afflixerunt et efferarunt; per quæ etiam factum est, ut doceri literas iterum ceptus ab eodem illo æternum mihi venerando patre per varios casus varia et discrimina rerum jactatus ad annum vigesimum prius pervenirem quam vel nomina veterum scriptorum nota haberem." Reprehendi se ab illo malle quam laudari a multis.

762, 29. XII. *Kal. Oct.*] Ad Joan. Lydium Ep. 687 scribit de acceptis ejus literis: de Henrici morte.

763, 4. *nuperi Legati*] Edvardus Dominus Wotton de Marley Aug. 25, 1610. Supremus contrarotulator Hospitii Regii. Legatus extra ordinem Lutetiam missus est, commissa potestate juramentum Regis Christianissimi Ludovici XIII recipiendi quum de renovatione antiquorum fœderum, necnon de mutua defensione et intercursu commercii exercendis et deprædationibus utrinque cohibendis conventum fuisset inter consiliarios Regis Jacobi et Antonium de la Boderie Legatum Regis Ludovici. *Rymer*, T. XVI. p. 704.

— 5. *Legati Capellanus*] Benjaminus Charier præbendarius Cantuarensis.

— 27. VIII. *Kal. Oct.*] Ad Dionysium Petavium Ep. 1044 scribit Græce, de recuperata epistola quam amiserat; de Henrico.

764, 26. *Prid. Kal. Oct.*] Joanni a Witten Ep. 688 gratulatur, qui Principi Duci Megalopolitano inserviat, quem sine adulatione etiam admirari cogitur.

D. Hœschelium Ep. 689 monet Alexiadem se in Memmii bibliotheca vidisse, non habere: Angliam excursurum morbo uxoris detineri.

767, 15. *Johannem filium*] Ep. 690. "Quam grave mihi fuerit te isthic remansisse, me proficiscente, non facile dixerim, et persuadeo ipse mihi στοργῆς illius φυσικῆς vim, quam in me experior quotidie vehementissimam, non esse tibi incognitam. Nam ut ego subinde ad animum revoco patrem esse me, ita tu filium te esse meum nunquam non meminisse debes. Sed nosti quid nos diviserit. Etenim quoties subit animum meum recordatio eorum quæ gesta sunt, toties precibus enixe a Deo

contendo, ut suæ voluntatis notitiam salutarem tibi inspiret et tua consilia atque studia velit fortunare. Faciet vero dubio procul, si in voluntate ipsius inquirenda diligentem operam posueris, et spretis humanis rebus de spe futuræ vitæ serio cogitandum tibi esse, in animum induxeris. Dominus Jesus tibi adsit, et te sincero veritatis amore inflammet. Matris obsequium nolo tibi commendare, ne videar de tua erga ipsam pietate dubitasse; scis quam ea res sit mihi cordi. Exspecto tuas literas de omnibus quæ putabis mea interesse ut sciam. Salutabis amicos meos omnis generis quorum nomina recensere parcam, cum sint illi tibi notissimi. Vale. *Samarobrigæ Ambianorum a. d.* VI. *Eid. Octob. proxima a discessu meo die* Κυριακῇ."

774, 28. XIV. *Kal. Nov.*] Joan. Casaubonum et Is. Chabaneum Ep. 691. "Quum in hanc urbem heri appulissem, maximis defunctus periculis, nihil habui antiquius, quam ut partem malorum quæ passi sumus uxori per literas exponerem, ut illa Deo Opt. Max. gratias ageret, et vos omnes hortaretur, idem ut faceretis. Quo me aliquis vehementius amabit, eo impensius illi gratiæ agendæ sunt Domino Jesu qui me servavit, non solum a præsentissimo periculo mortis quam per multas horas exspectavi animo constante, sed etiam a plerisque malis quæ navigantes pati solent. Denique scitote integrum *νυχθήμερον* nos fuisse jactatos; cujus spatii primæ quatuor aut quinque horæ fuerunt mihi permolestæ propter nauseam et stomachi dolorem. Reliquum tempus sollicitudinem habuit de vita, sed doloris nullum fere sensum; quo nomine et me et vos gratias agere Numini gratissimas oportet, nam cæteri omnes paucis exceptis magnis interim doloribus cruciabantur, mihi vero *οἱ φθεῖρες* magnas molestias præbuerunt, dum jaceo *ἐν ταῖς ναυτῶν χαμευνίαις*. Et Dominus (*Charier*) qui socius meus, famulum enim non habeo sed *ἑταῖρον*, de vino Hispanico et id genus aliis sibi prospexerat et mihi, sumptu meo: sed mihi illis uti non fuit necesse. Ille usus est, qui toto itinere non minore sumptu sibi consuluit quam mihi, nam manum operi admovere, si quid forte curandum sit vel minimum, hoc non est ejus, qui ut nuper scripsi *ἀκραιφνὴς* sit theologus et qui tantum sapiat: est alioqui de

me non parum sollicitus. Sed de eo plura σὺν Θεῷ alias. Peto a vobis iterum atque iterum ut pro hoc tanto beneficio gratias τῷ ἐπὶ πᾶσιν et habeatis, et supplice animo reddatis. Nam etsi plane naufragium non fecimus, navis tamen nostra fracta est, et nautæ nostri, quod in extremis periculis faciunt, fecerunt, ut sibi diffidentes vocem in cælum tollerent, et magno clamore auxilium a Domino peterent. Cæterum et hanc et alias itineris totius molestias facile abstersit mihi comitas, benignitas, et amor erga me tam illustrissimi legati, quam uxoris illius heroinæ omni laude dignissimæ. Nunc Cantuariam cogitamus σὺν τῷ παναρίστῳ Θεῷ· ibi dies paucos subsistemus, ut puto, deinde Londinum proficiscemur, quo in loco si uxoris et vestras literas invenirem, beatum me prædicarem: sum enim de ejus valetudine supra modum sollicitus. Vos si me amatis, et mea præcepta tanti facitis, date operam, ut certior de ea re et aliis omnibus quam primum fiam. Libros meos et chartas omnes vobis esse curæ maximæ et spero, et cupio, et ut ita sit mando vobis atque præcipio. Si Dominum Thuanum videritis, narrate illi de libro non tradito, quam scitis historiam: illum vero librum ne quis me absente attingat, nisi ipse jusserit, videte. Bibliothecam tibi, Isaace, curæ esse volo, et vide ne te nimis facilem præbeas in deducendis eo hominibus, præsertim pluribus simul quod omnino fieri non debet. Scribite etiam ad me quomodo uxor absentiam meam ferat. Dicite illi me pecuniam Anglicanam, quam facta permutatione dederat Domina Gentilis, quamque me reliquisse in museo nuper scripseram, invenisse in parte arculæ ubi eam ipse reposueram. Amicos meos, qui vobis noti sunt, salutate; cum primis medicos Dominum Guerinum, et Dominum Arbaldum quibus valetudinem τῆς φιλτάτης curæ esse percupio. Ego non prius animo quieto ero, quam significatum mihi fuerit, febris ista recens quem exitum habuerit: memini enim tertianæ aliquot ἐφόδους illam esse expertam priusquam proficiscerer quod me male habet. Scribite etiam ad me quam bene suo officio defungantur Gentilis, Joanna, et Anna: nam Paulum jam evasisse doctum ex quo discessi fere mihi persuasi. Scribite et de Maria, quam ipse discedens non sum amplexatus, et cæteros liberos; et de tota domo D. des

Bordes (*Josiæ Merceri*) necnon an rus uxor iverit; de villico quid fecerit, cujus ego improbitatem odi. Postremo sive publice sive privatim acciderit aliquid mea cognitione dignum facite me ut sciam. Orate pro salute, consiliis, et reditu meo, ut facio ipse pro vobis omnibus. Valete. Scripsi in celeberrimo Anglorum portu Douvres, quem Doroverniam quidam dicunt, postridie adventum meum in hanc beatam Insulam qui est dies XIX. Oct. 1610. Scripsissem ad Dominum Heraldum virum clarissimum, et negotium Lotharingicum nostrum ipsi commendassem. Salutate ipsum et uxorem amantissime verbis meis. Ego priusquam Regem convenero, ad amicos non scribam. Iterum valete."

778, 10. *Archiepiscopum Cantuariensem*] Ep. 1045. "Illustrissime et reverendissime domine, Quum post longam expectationem venisset tandem Lutetiam vir nobilissimus et generosissimus D. Wotton legatus ad Regem Christianissimum extra ordinem, memor promissionis qua fidem meam apud tuam dignitatem obstrinxeram, id statim egi ut in comitatum ipsius recipi, et hac occasione uti possem, ad nobilissimum hoc Regnum quod perdiu optabam lustrandum. Neque vero difficile mihi fuit a Domino legato quod cupiebam impetrare, plus enim multo quam petebam ab ejus humanitate ultro mihi est concessum; adeo quidem ut prædicandis tanti viri meritis erga me nunquam ipse mihi videar posse satisfacere. Erat in ejus comitatu Dominus Doctor Charier, cujus etiam toto itinere plurima in me extiterunt officia. Is postquam est ventum Cantuariam, Domino legato iter Londinum abrumpente, in suam me domum deduxit, et veluti injecta manu apud se manere tantisper compulit, dum ipse iter isthuc institueret. Equidem cum hospitis hujusce mei, tum aliorum præstantissimorum virorum, quos hic offendi, eximia humanitate ita sum captus, et loci ipsius elegantia atque amœnitate sic quotidie oblector, ut facile et patriæ et meorum etiam affectuum desiderium feram. Quoniam tamen a libris abesse meis diutius sine gravi studiorum jactura nequeo, est animus, Deo Opt. Max. propitio, quod superest hujus itineris quam primum conficere. Quum præsertim propositi mei sit summa serenissimum sapientissimumque Regem quem tot jam annos

apud me et miror et revereor, salutare, meumque humile obsequium ipsius Majestati offerre; proximum votum meum est tuam reverentiam et sublimem dignitatem, illustrissime Domine, videre posse et præsentem venerari. Quod dabit, spero, mihi Dominus Jesus cis dies paucos. Illum toto affectu cordis oro, ut te ecclesiæ suæ ἄνοσον καὶ ἀπήμαντον quam diutissime servet, et mihi tuam benevolentiam. Vale, Præsul reverende. Tuæ illustrissimæ dignitatis sincerus cultor ad omne obsequium paratus Is. Casaubonus." *Cantuariæ a. d.* VI. *kalend. Novemb. stylo veteri* 1610.

779, 4. *Saraviæ*] "Oxford, July 9, 1590, Hadrianus a Saravia, D.D. of the University of Leyden, was admitted among the Doctors of Divinity, and was incorporated in that degree. He was born at Hedin in Artois, educated in all kind of literature in his younger years, especially in several languages, which made him so famous that he was invited to Leyden, where he began to profess Divinity 1582; at which time he had studied and well considered the controverted points concerning episcopacy and sacrilege. Soon after he became preacher to the French church there, where he continued about five years, and then went into England, where, after he had exercised himself in some petite or pedagogical employments (at Southampton) for a time, he was made (1595) prebendary of Canterbury, and——in 1601——he was installed canon of Westminster.——When in a time of church tumults, Beza gave his reasons to the Chancellour of Scotland for the abrogation of episcopacy in that nation partly by letters, and more fully in a treatise of a threefold episcopacy (which he calls divine, humane and satanical) this Doctor Saravia had by the help of Dr. Joh. Whitgift Arch. of Canterbury such an early discovery of their intentions, that he had almost as soon answered that treatise as it became publick, and therein discovered how Beza's opinion did contradict that of Calvin and his adherents, leaving them to interfere with themselves in point of episcopacy.——He died at Canterbury 15 Jan. 1612 aged 82. Whereupon his body was buried in the Cathedral Church there near to that of Catherine Dalley his first wife (who died 2 Feb. 1605 in the

45th year of her marriage) and soon after had a monument put over his grave by Margaret Wiits his second wife." *Wood, Fast. Oxon.* i. 765.

779, 26. *Reginaldi*] "Gulielmus Reginaldus, vulgo Raynolds, in vico Pinhoe, alias Pinhawes, haud procul Exonia in agro Devoniensi patre Richardo Raynolds notæ haud vulgaris colono, cum per ætatem liceret ad scholam Wintoniensem transmissus et academiæ maturus——in Collegium Novum cooptatus est, absolutoque dein biennio illo probationis socius evasit anno 1562.——Anno 1567 gradu magistrali ornatus cum fratre Johanne e Collegio Corporis Christi in comitiis stetit, huc usque cultui reformato addictissimus.——Constat tamen ad pontificios inclinantem Collegii Novi socium exuisse anno 1572, atque inde aulam Cervinam aliquamdiu incoluisse, demum vero composita re sua familiari ad exteros migrasse, Romamque tandem contendentem, sententiam pristinam ejurasse; unde Romanæ, ecclesiarum ut præ se fert omnium matri, reconciliatus est. Reliquam vitæ partem scriptis mandavit Pitseus, qui libros hosce (ut alios omittam) contexuisse, et eorum plerosque sub Gulielmi Rossei nomine in lucem emisisse perhibet, viz. De Reipublicæ Christianæ in Reges impios et hæreticos auctoritate *Antwerp.* 1592. *Lat.* Contra Whittakerum in defensionem translationis Novi Testamenti Rhemis editæ *Paris.* 1583. *Angl.* De Sacramento Eucharistiæ contra Berengarium et Brucium Scotum. *Antw.* 1593. *Angl.* Calvino-Turcismum per modum Dialogi *Antw.* 1597. *Colon. et alibi Lat.* Mortuus est Antwerpiæ 24 Aug. 1594. et ibidem in choro Biguinarum juxta majus altare ad cornu epistolæ sepultus jacet." *Wood, Hist. et Ant. Univ. Oxon.* ii. 139.

— — *librum*] Nempe "Calvino-Turcismum, i. e. Calvinisticæ perfidiæ cum Mahumetana collationem et dilucidam utriusque sectæ confutationem."

— 28. *μεσολμανίζουσι*] Mahumetanis.

781, 8. *decani*] Johannis Overal S. T. P. ad decanatum provecti 1602, qui Episcopus Lichfeldensis 1613, Norvicensis 1618, obiit Norvici 1619.

— 23. *consecrandos*] Johannem Spottiswood Archiepiscopum Glascuensem (*Glasgow*), Gawinum Hamilton Episcopum

Gallovidiensem (*Galloway*), et Andream Lambe Episcopum Brechinensem (*Brechin*).

"From these three the Scottish Bishops derived their orders, which line in Scotland terminated in Thomas Sydserf, who died Bishop of Orkney 1663." "They are said to have been consecrated at London House, 21st October, 1610 (*Casaubonus nova supputatione utitur*), by George London, Launcelot Ely, and James Bath and Wells." *Perceval*, *Apology for doctrine of Apostolical succession.*

"Jacobus Dei gratia Angliæ Scotiæ Franciæ et Hiberniæ Rex Fidei Defensor etc. Dilectis nobis reverendis in Christo Patribus Georgio Episcopo London. Lanceloto Episcopo Elien. Ricardo Episcopo Roffen. et Henrico Episcopo Wigorn. salutem.

"Cum nominatio præsentatio et dispositio Archiepiscopatus Glascuensis, Episcopatus Gallovidiensis, et Episcopatus Brechinensis in regno nostro Scotiæ ad nos solum et in solidum de Jure coronæ regni nostri Scotiæ spectet et pertineat;

"Cumque sedes Archiepiscopalis et sedes Episcopales prædictæ aliquamdiu vacaverint et in præsenti vacent, Nosque dilectos et fideles subditos Regni nostri Scotiæ Magistrum Johannem Spottiswood ad sedem Archiepiscopalem Glascuens. Magistrum Gawinum Hamilton ad sedem Episcopalem Gallovidien. Magistrum Andream Lambe ad sedem Episcopalem Brechinen. regia nostra Auctoritate pariter et Favore nominaverimus et designaverimus, iisdemque Johanni Spottiswoode, Gawino Hamilton, Andreæ Lambe Verbi Dei Ministris et Concionatoribus de quorum probitate morum, sacrarumque literarum scientia, et Rerum tam Spiritualium quam Temporalium administrandorum Prudentia nobis satis constat Stylum Titulum et Dignitatem Archiepiscopatus et Episcopatuum prædictorum respective dederimus contulerimus et confirmaverimus cum suis Juribus Privilegiis Jurisdictionibus et Pertinentiis quibuscunque;

"Cumque ex certis justis et legitimis Rationibus et Caussis Nos et Animum nostrum in ea parte moventibus magnopere cupiamus ut iidem Johannes Spottiswoode, Gawinus Hamilton,

et Andreas Lambe jam in hoc Regno nostro Angliæ commorantes in Archiepiscopum et Episcopos respective juxta Ritum et Formam Ecclesiæ nostræ Anglicanæ ordinentur et consecrentur, vobis igitur hoc Tenore Præsentium significamus,

"Rogantes et sub fide et dilectione quibus Nobis tenemini requirentes quatenus eundem Johannem Spottiswoode in Archiepiscopum et eosdem Gawinum Hamilton et Andream Lambe in Episcopos, juxta Ritum et Formam Consecrationis in Ecclesia nostra Anglicana recepta et usitata ordinare auctorizare et consecrare velitis cum favore; monentes vos nihilominus ut in hoc Consecrationis Negotio ita caute et prudenter procedatis ut Ecclesiæ in Regno nostro Scotiæ ejusve Privilegiis et Immunitatibus nullum inde Præjudicium generetur.

"In cujus rei etc.

"Teste Rege apud Westmonasterium 15 Die Octobris 1610." *Rymer*, XVI. 706.

782, 4. *Vigorniensem*] Henricum Parry 1610, Glocestriensem 1607, qui obiit 1616.

— 5. *Londinensem*] Georgium Abbot 1609, olim Lichfeldensem, qui Archiepiscopus Cantuariensis 1611, obiit 1633.

— 25. *Legatum Christianissimi Regis*] Antonium de la Boderie.

783, 13. *Eliensi*] Lanceloto Andrews 1609, olim Cicestriensi, Vintoniensi 1618, qui obiit 1626.

— 21. *Dunbar*] George Home, third son of Alexander Home, one of the gentlemen of the bedchamber to James VI. "a man of deep wit, few words, and in his Majesty's service no less faithful than fortunate." The most difficult affair he compassed without noise.——In 1605 he was created Earl of Dunbar; he was likewise Chancellor of the Exchequer in England. Upon him the King principally depended for restoring the episcopal order in Scotland; and this service he managed with so much dexterity as to carry through the Act for that purpose in the parliament held at Perth 9 July, 1606. Dunbar died at Whitehall 29 Jan. 1611. Douglas' Peerage, I. 453. *Brewster, note on B. Goodman*, I. 19.

"It was necessary for [the King] to have some man of

great wisdom and judgment to make a yearly visitation of Scotland, and to carry with him always two of the King's chaplains, who by their grave carriage and preaching might prepare the way to episcopal government, which he himself resolved to settle at his first going into Scotland, which indeed he did at that time to the great contentment of the Scottish nation; and this was the Earl of Dunbar's principal employment. Besides no man was so tender of the King's prerogative, or any thing that might concern his good, and the King ever found him a most honest trusty servant." *B. Goodman*, I. 21.

785, 18. *decano Vintoniensi*] Thoma Morton 1609, qui Episcopus Cestriensis 1615, Lichfeldensis 1618, Dunelmensis 1632, obiit 1659.

— 30. *Gowri*] Quum multi multa de re Gowriana disputaverint visum est adscribere ex iis quæ de ea Thuanus scripsit.

"Jacobus forte ad Falcolandiam se quotidiana cervorum venatione oblectabat, quum Non. Sextil. (A. D. 1600) mane equum cum aulico omni comitatu conscensurus ut solita oblectamenta repeteret Alexandrum Ruvenum (*Ruthven*) Joannis Comitis Gauriæ (*Earl of Gowry*) fratrem germanum Pertho, quod alias Joannis Fanum dicitur, cui præerat Gaurius, venientem obvium habuit, qui insolita salutandi ratione capite ad Regis genua demisso ipsum seductum vultu dejecto et oculis perpetuo humi defixis compellat, et vespera proxima plebeium hominem ex oppidanis caput pallio velantem sibi in solitario loco visum narrat et ad eum verba facientem. Quum tremere hominem et inter respondendum animi vagum hallucinari animadvertisset, aucta suspicione pallium rejecisse, et urnam ingentem auri ad os usque plenam sub axilla ejus deprehendisse, igitur eum in urbem secum clam reduxisse, vinctumque cum vase conclavi, ad quod nisi per multas fores a se obseratas nullus patet aditus inclusisse, nemine facti, ne fratre quidem, conscio; et summo mane ad ipsum venisse, ut secreti participem faceret; proinde orare ut quam primum eo veniat, et fortunæ beneficio utatur. Rex initio laudata ejus benevolentia se excusare, nec æquum et honestum esse

huic ut se negotio immisceret; solos quippe thesauros in terra repertos ad fiscum pertinere. Ad hæc quum Alexander rustico propositum fuisse diceret thesaurum in terram defodere, Rex retulit longe diversa esse animum defodiendi habuisse, et defossum invenisse: ad extremum quum urgeret index, et nimium scrupulose rem expendere Regem diceret; interim id resciturum fratrem, aliosque regni proceres, neque occasioni defuturos; et in auro repetendo majorem deinceps fore difficultatem: heic Rex, adolescentis verba ad animum revocans, in suspicionem venit, aurum esse peregrinum a Jesuitis ad novos in Scotia motus excitandos illatum: nam idem antea sæpius ab iisdem factitatum meminerat. Itaque comitem Alexandro domum reversuro e domesticis dare constituerat, qui hominem et nummorum notam, nam non bene id sibi properanti perspectum aiebat Alexander, viseret. Verum ille contra protestari, et non nisi periculose secretum alteri, antequam Rex ipse coram id videret, credi posse vociferari: ex animo se loqui et singulari quo Regem de se bene meritum prosequebatur affectu; petere igitur ne Rex eo venire dedignetur, quoque majore id silentio fiat, exiguo cum famulatu inter venandum a comitibus deflectens Perthum ocyus contendat. Rex Alexandrum semper a puero dilexerat, et inter cubicularios adsciverat. Et cum Gulielmus parens ejus in crimen vocatus olim, dum regnum a proregibus administraretur, capite luisset, Rex postea imperii capax bona paterna ipsi fratrique integra restituerat: itaque nihil sinistri de utroque suspicatus. Quum tamen absurde pleraque interdum ab Alexandro dicta viderentur, ab Edmondo Stuart Leviniæ (*Lenox*) duce, qui sororem Ruvenorum in uxorem duxerat, percontari cœpit, an amentia unquam aut delirio illum corripi advertisset; nam vix sana mente sibi videri; et in gestu vultuque si non omnino alienati at certe perturbati animi manifesta signa deprehendi. Quum Levinius nihil tale in adolescente sibi compertum responderet, Alexander ex illo colloquio in suspicionem adductus Regem adit enixeque rogat, neminem in negotii conscientiam ascisceret, nec quo esset ipsum ducturus cuiquam sequendi potestatem faceret. Quum vero Rex subvidens se non bene in pecunia numeranda versa-

tum diceret, ideoque adesse quempiam oportere, qui ipsius partes ea in re subeat; præfracte a juvene responsum nulli ad thesaurum præterquam Regi aditum patefactum iri; eo semel a Rege conspecto, postea quoscunque voluerit advocari posse. Visus hic sermo durior Regi suspicionem insidiarum fecit. Sed quum jam in itinere esset, aliæque aliis succedentes conjecturæ animi anxium in contrarium raptarent, a priore sententia discedere turpe existimabat. Itaque iter persequitur, gnaviter insequentibus domesticis, quamvis injussu Regis; insederat quippe suis ex festinatione Regis opinio, eum ob facinus in Oliphandi (*Lord Olifant*) domo in Angusia (*Angus*) perpetratum Perthum contendere, ut hominem nocentem comprehenderet, et turbas cientem præsentia sua anteverteret: propere et eum secuti sunt Levinius et Marriæ Comes (*Earl of Mar*) post venationem permutatis equis. Alexander ad latus Regis semper hærebat, et ut equo calcaria adderet instabat, prius fratre per unum et alterum, quos secum adduxerat, nuncium monito, Regem in itinere esse, et prandium venienti pararet. Tandem Perthum perventum. Joannes quasi rei ignarus Regi occurrit, fratri palam succensens, quod se de adventu Regis non in tempore monuisset: nam fore ut familiarius quam deceat acciperetur. Dum tarditatem excusat Gaurius et tenuitatem apparatus in non expectatum Regis adventum rejicit, hora abiit. Interim cuncta circumspicere, et dum Rex eum alloquitur, a proposito abludentia plerumque respondere. Alexander contra, ut mendacio fides constaret, coram fratre Regis colloquium devitare, atque orare ut missum se faceret, ne ex eo, quod erat, suspicione conjectaret. Tandem ubi Rex assedit, non post prima fercula statim, ut in illa aula assolet, nec nisi secundis mensis remotis, Levinius et Marrius aliique nobiles ad prandium invitati; quo videlicet temporius Rex surgeret, illi serius Regi præsto essent. Ipse Joannes non una cum hospitibus suis, ut patriæ fert consuetudo, assedit, sed ex cœnaculi conclavi communi egressus mensæ Regis, sicuti antea, cogitabundus astitit. Quo nomine illum per jocum Rex increpuit, quasi minus comiter convivas suos excepisset. Postea ubi surrecturum eum vidit Alexander, ut fraudis suspicionem

tolleret, in arcano monet, tempus secreti urgere, verum fratris præsentiam obstare: proinde Rex eum aliquo amandaret. Igitur Rex sumto poculo ad Gaurium conversus, Quanquam non dubito, inquit, te moris exterarum nationum in accipiendis hospitibus probe gnarum esse, tamen Scotus cum sis, de recepta inter nos consuetudine, ne domi peregrineris, te commonefacere officii mei esse duxi. Quando ergo nec mihi propinasti, nec convivis tuis ad mensam adsidere dignatus es, qua in re non parum in hospitalitatis leges peccasti, en tibi propino, idemque poculum hospitibus tuis ut præbeas, meoque nomine genio ut indulgeant jubeas, volo. Ad quæ verba digressus cum gaudio Rex, præeunte Alexandro, et Thoma Areskino equite ut se sequeretur frustra advocato, per cœnaculum illud commune in quo sui cibum sumebant, transiens cochleam ascendit, et per quatuor conclavia fores semper obserante Alexandro ad secretius cubiculum deducitur, ubi thesauri promissi custodem non vinctum, sed pugione armatum conspicatus, sero se in insidias præcipitasse sensit: nam occlusa subito cubiculi janua Alexander huc usque intectus pileum superbe in caput rejicit, et pugione rapto pectorique Regis admoto silere jussit. Tum improperata Gulielmi patris innocentis morte se vindicem tam injustæ cædis adesse professus est: eum esse thesaurum quem se illi ostensurum receperat. Quibus dictis pugionem immittere parantem prohibuit custos Andreas Hendersonus nomine, ex Gaurii famulitio, qui heri jussu mane cum Alexandro Falcolandiam profectus fuerat, et primus de Regis adventu nuncium ad ipsum attulerat. Tantula ab instanti periculo mora interjecta ex pavore animum colligens Rex, ut erat inermis, nam præ festinatione post venationem gladium minime cinxerat, verba contra vim parantem adhibet.——Perorantem truci vultu intueri primo visus Alexander, moxque sive oratione placatus, sive ab Hendersono, quem adjutorem speraverat, revocatus, retecto capite et in pristinam reverentiam compositus religiose pollicetur, se Regem, si nullo clamore emisso ac sine strepitu se contineret, incolumem dimissurum: tantum expectaret dum Joannes frater ad colloquendum cum ipso sisteretur.——Ita Rege Hendersoni custodiæ tradito——ad fratrem pergit. Digresso

percussore Rex jam securior custodem interrogat, an facti conscius et cædis patrandæ caussa advocatus fuisset. Neganti facile habita fides, quippe cum toto eo tempore quo Alexander cum Rege fuerat, non destitisset furentem obsecrare, ne quid in Regem gravius admitteret. Itaque cum Rex fidem dedisset, se quieturum, donec Gaurius advenisset, custodem rogat, fenestras aperiat, et siquem e nobilibus illac transeuntem videret, jussu Regis accersat. Id sedulo ab Hendersono factum. Interim Gaurius ut magis falleret, et sceleri sive patrando tempus, sive patrato evadendi commoditatem quæreret, per appositum hominem coram nobilibus ad prandium hærentibus renuntiari curat Regem per posticum abiisse. Quo audito quisque ad equum discurrit, et ad sequendum Regem omnes facto agmine contendunt: a janitore tamen consilii ignaro in exitu moniti Regem sibi non visum, et adhuc intus esse, Gaurio nequicquam contra eum nequam et mendacem appellante, substiterunt ex iis plerique. Tum Alexander cum fratre in arcano colloquitur, ab eoque acerbe increpitus, quod in eo, quod jam factum oportuerat, adhuc cunctaretur, protinus quasi in proposito confirmatus nec tam superbo, ut antea, quam ad desperationem composito vultu ad Regem redit, expansisque brachiis omnem vitæ spem præcisam dicit, Regique jamjam moriendum esse. Confestimque quasi reum vincturus, sancto Dei nomine exsecrandum in morem sæpius dejerato, periscelidem manibus innectere conatur, sive cunctatione subituræ pœnitentiæ locum daturus, sive ea vecordia fuit, ut in tanto scelere juris formam servandam putaret. Incumbente Alexandro, et vinciri Regem oportere clamitante, Rex generosum spiritum in tanto discrimine gerens, Mentieris, inquit, liber princeps natus sum, liber moriar. Tum ut se ex ejus manibus extricaret, magna vi connixus, dextraque gladio ne exereretur apposita gulam sinistra invadit; et inde conscientiæ morsu percussori vires adimente, hinc certo periculo novum robur addente, tandem superior evasit: et per fenestram dum Levinius et Marrius cum Gaurio eventum anxie opperiente equos expectarent, se prodi vociferatur: vocemque exaudientes illi, quanquam Gaurius Regis eam esse vocem cum asseveratione pernegaret, huc illuc aditum quærentes discurrunt.

Rex interim post longam cum Alexandro colluctationem cum eum extra cubiculum pertraxisset, et capite sub axilla presso cochleæ foribus affixisset, ense etiam in suam perniciem stricto conjurati manibus extorto, Joannes Ramisæus (*Ramsay**) eques supervenit, strictoque pugione bis terque confossum Alexandrum per cochleæ gradus præcipitem dedit. Eodem tempore Thomas Areskinus, intellecta Regis voce, cum Joanne, qui galeam a domesticis sumserat, quasi nocentem aliquem comprehensurus, acriter conflixit, et nisi hero servi præsto fuissent, manu in gulam injecta sub pedes missum proculdubio interfecisset. Verum ab iis disturbatus ad Ramisæi vocem in cubiculum contendit cum Hugone Heresio (*Herris*) et semianimem Alexandrum per gradus dejectum nacti ambo extremis vulneribus confecerunt. Eos continuo, ubi surrexit, cum septem satellitibus armatis propere insequitur Gaurius, et ut erat galeatus ac gladium manu utraque vibrans horrendis cum dejeramentis ad unum omnes morte perituros proclamat. Ad cujus conspectum Rex gladium quo rem gereret ubique quærens intra cubiculum a suis vi retractus est: clausoque ostio Areskinus, Heresius cum servo, et Ramisæus cum Gaurio manus conserunt: tandemque ipse qui servis animos sua pugnacitate faciebat, ab Heresiano per præcordia transfixus: servi multis vulneribus saucii per gradus detrusi sunt. Levinius et Marrius frustra per cochleam, quo regem ascendisse viderant, aditum quærentes, frustraque vectibus diu per obstantia viam moliti nec nisi post sesquihoram, jam Rege a præsenti periculo liberato et Gaurio conspirationis auctore ante ipsius pedes prostrato, in cubiculum penetrare potuerunt. Rex illis adventantibus e vestigio in genua procumbens pro tanto periculo devitato, et insperata de parricidis victoria Deo gratias prolixe egit.——Ad rei famam——ingens populi ad ædes concursus factus, propiorque seditioni res videbatur, cum Rex per fenestram se ostentans, manuque ut quiescerent

* "John Ramsey,——at the house of the Earl of Gowrie he assisted in rescuing the King from the traitorous attacks of the Earl——created Visc[t]. Hadington——*Motto* 'Hæc dextra vindex principis et patriæ.' 1620 Baron Kingston, Earl of Holderness——with addition of honor to bear the sword of state before the King every Aug. 5——." *Brewster, note on Goodman, p.* 22.

imperans tumultum compescuit, ac magistratu in conclave vocato, rem ut gesta erat exposuit.——Interrogatus——de conjuratione Andreas Hendersonus respondit se ab initio facti ignarum; ubi in rem ventum est, Alexandro semper verbis manibusque restitisse, pugionem vulnus intentaturo eripuisse: itaque sæpius ab ipso increpitum, quasi ad patrandum facinus denegata opera, exitii utrique ea die caussam præbiturus esset. Secuta crimine digna animadversio, et cadavera parricidarum ignominiose ad supplicium rapta, bona proscripta sine spe gratiæ aut restitutionis, et postremo Ruvenorum nomen tanquam infame et detestandæ memoriæ omnino aboletum."

787, 12. *Principem*] Henricum Walliæ Principem.

— 24. *Lamus*] Episcopus Brechinensis Andreas Lambe.

788, 14. *scripsi*] Ad J. Aug. Thuanum Ep. 692 de itinere suo: de Rege Jacobo "ut veni, ut vidi, et de rebus diversis disserentem audivi, majorem fama sua inveni, et quotidie magis magisque invenio." De libro Bellarmini adversus Barclaium. "Scripseram has literas cum Legatus Christianissimi Regis ad me venit, et dixit serenissimum Regem sibi mandasse atque adeo se orasse ut apud augustissimam Reginam veniam mihi impetraret manendi in Anglia saltem ad tempus. Scito, illustrissime Præses, nulla mea τέχνῃ hoc esse factum, nulla arte: nam equidem mecum de ea re agentibus respondi, me in potestate Reginæ et esse et semper futurum: itaque illa statuet, illa jubebit, ego parebo. Puto equidem si ad Dominum Sully res referatur actum transactum esse negotium. Exspectabo quid divina providentia de me statuerit cui me totum permitto. Hodie Rex optimus me jussit suam benevolentiam tibi testari, et se missurum ad te rerum ad se pertinentium ὑπομνήματα."

Ad Joannem Casaubonum Ep. 693. "Fili vestras post meum discessum literas a te accepi: eæ quum mihi placuissent, sperabam officio scribendi te diligenter functurum; sed falsus sum, et vehementer quidem. Quæso te, quid accidit cur officio deesses tuo? Nam ipse quanto literarum desiderio tenear, non nescis; quum præsertim matrem tuam reliquerim ægrotantem. Scito igitur mire hic anxium me vivere vestra culpa. Nam Dominus Gentilis quotidie huc ad sororem dat

literas: itaque crucior animi, et quid dicam nescio. Ego apud Regem sum, qui me, si fas dicere, in deliciis habet; qui omnia prolixe pollicetur; qui primum advenienti duplum stipendium obtulit ejus quod habeo Lutetiæ, cum certa spe fore ut liberalitatem ejus sæpe experiar: non enim leviter illi cordi sumus, utut homines amici traducere me apud ejus Majestatem sint conati longa historia neque nunc narranda. Spero ἐν Κυρίῳ fore, ut omnes calumnias vincat integritas mea; sed tu occasionem illis maxime dedisti. Scit Rex, quod est a te factum; sciebat ὁ μακαρίτης Archiepiscopus in cujus obitu parentem alterum amisi: de his, ut spero, alias. Volo legas epistolam ad matrem a me scriptam, ut scias, quo loco res sint meæ; interest enim mea ut rei veritatem omnes intelligant, ut de mea fide erga regiam Majestatem constet; nam scito meis studiis longe alia parta hic esse præmia quam hactenus sim nactus. Adi Dominum Cardinalem Perronium, ad quem scripsi; et quæ legeris in epistola ad matrem [dic] illi. Ego hoc unum laboro, ut simplicitas animi mei non sit obscura: nam pertinet hoc ad existimationem fidemque meam, et præterea mihi ac liberis meis volo esse consultum. Adi etiam ad clarissimum virum Dominum Fabrum, et officiosissime illum verbis meis saluta. Fac pendeant tibi studia ex ejus consiliis. Frontoni Ducæo significabis nondum me Savilium vidisse, sed chartam ipsius pridem ad illum esse missam. Pietatem erga Deum, studium virtutis et literarum, fili, tibi commendo. Fratres Puteanos, Magnum et alios mihi notos saluta. Vale. *Londini a. d.* xv. *Kal. Dec.* 1610."

P. Junium Ep. 694, invisere se illum cupere; a filiis illius quatuor salutatum.

789, 2. *Melvinum*] Vide 823, 10. "Andreas Melvinus vir maximæ pietatis, singularis zeli, (zelus domus Dei comedit eum) omnium linguarum et scientiarum acumine primus, imo solus. Athenas et Solymam in Scotiam induxit; pseudo-episcopatus et papistarum hostis acerrimus; cœlebs, castus, advocatus a Rege Turri conjicitur: post Dux Buloniæ in Galliam ducit, ubi fortissimus ἄθλητα jam octogenarius moritur 1622." *Simsoni Annales.*

"Melvill, Melvyne, or Melvin, in which latter form the

family name was generally known, both in Scotland and in foreign countries[1], at the period when our author flourished."

[1] "In all the interesting correspondence which took place between our author and his celebrated uncle, which is in Latin, (*Melvini Epistolæ*, MS. in Adv. Lib.) the name is uniformly written *Melvinus*. It may be also remarked, that in Fifeshire the name is still vulgarly pronounced 'Melvin;' and at an earlier period it was frequently pronounced and written 'Melin,' 'Mellin,' and 'Melling.'"

"The 23 of Apryl 1607 wes St. George day, quhilk wes kepit at court with great superstitioun and vanitie: the report quhairof comeing to the eares of Mr. Andro Melvill, his spirit was irritat and much incensit within him, as wes Paulis, quhen he saw the citie of Athenes full of idolatrie. On quhilk occasioun he made the verses following:

[Verses by Mr. Andrew Melvill.]

(*Corrected by conjecture.*)

'Andreas, Christi divinus Apostolus, est qui
Nunc Scotis ritus signat Apostolicos:
Armenijs, (ut fama,) Georgius, Hæresiarcha,
Nunc Anglis ritus signat Apostaticos.
Signa Andreæ ergo insunt, non illa Georgii,
Undique Apostolicis, nullibi Apostaticis.'

[*Translated thus.*]

'Saint Andro, Chrystes Appostle trew
Does signe the Scotismenes ritis;
Saint George, Armenian Heresiarch,
The Inglischmenes delytis.
Let Scotismen, thane, hauld fast the faith,
That is whollie Appostolicke;
Howbeit that Ingland keipis the cours
That is Papistis* Apostaticke.'

"Upon the 26 of Appril, being the Sabboth day, betymes in the morneing, being foulle, ane of my Lord of Salisberrie his men cume to Mr. Andro Melvill, lyand at Boa, two mylis

* "That is whollie" in the Advocate's MSS.

from Londoun, in Mr. Somaris house, and verie coarteouselie intreatit him, in his lord and maisteris name, to come to the Court at Quhythall, to my Lordis chalmer, at nyne of the clocke, quhair my Lord wald talke with him; beseiking him to mak no stay, for my Lord wald attend his comeing. Thairfoir Mr. Andro makis him self readie with diligence, thinking it was in freindschippe, and that, eftir conference, my Lord would bid him to dinner. Cuming from his chalmer to our lodging, quhair, we nocht being ready, told us, he must goe to Court, and would schortly stay to break his fast, but, haifing borrowit the horse of his hoiste, he with his men postit away to Court. Eftir the custom, Mr. James Melvil had said ane word to him, 'Tak heid that your biding to diner be not a new calling befoir the Counsel!' Mr. William Scot, Mr. Robert Wallace, [and] Mr. James Melvill followit on fut, and, taking the first convenient boiteing, com by watter to Westminster; quhair a little eftir elevin of the clock, he come to the hous out of the Palace to James Archesoune's hous, and tauld us how he waittit in a gallerie befoir the Erle of Salisberrie's chalmer since nyne a'clock; and, sieing the Erle and all going to dinner, and he left alone, come to dyne with us: And quhill our buird coverit, and the meitt put thairon, he utterit to us ane excellent meditatioun quhilk he had walking in the gallerie, on the second Psalme, joyneing thairwith prayer, quhairby we wer all muche movit, accounting the same in place of our Sabboth foirnoone's exercise; endit, and sitting doun to dinner, he rehersit his St. George's verses, with vehement invectioun againes the corruptiounes and superstitiounes of England. Thairfoir, his cousine Mr. James sayes to him, 'Remember Ovidis verses:

'Si saperem, doctas odissem jure sorores
Numina cultori perniciosa suo!'

His answer was in the verses following:

'Sed nunc tanta meo comes est insania morbo,
Saxa amens refero rursus ad icta pedem.'

'Weill,' sayis his cousine, 'eit your dinner, and be of good courage, for I sall warrand yow ye salbe befoir the Counsel for your Verses.' 'Weill,' says he, 'my heart is full and boldenit, and I will be glaid to haif ane occasioun to disbur-

dein it and speik all my mynd plainely to thame for the dishonouring of Chryst and wraik of sua many soulis for their doings; be the beiring doun the sinceritie and fridom of the Gospel, stoping that healthsome breath of Godis mouth, and maintaining of the Papists' corruptiounes and superstiounes.' 'I warrand yow,' sayis Mr. James, 'they know yow will speik your mynd friely; and, thairfoir, hes concludit to make that a meines to keip yow from going home to Scotland.' He answered, 'Iff God hes ony thing to doe with me in Scotland more, He will bring me home to Scotland again iff he haiff any service for me: Giff not, let me glorifie him quhidder or quhairevir I be; and, as I haif said often to yow, cousine, I think God hes sume pairt to play with us on this theatre!' We had not half dyneit quhen one comes to him from Lord Salisberrie; to quhom he said, 'Sir, I waitted longe upon my Lordis dinner, till I waxed verie hungrie, and could not stay longer: I pray my Lord to suffir me to tak a lytle of my awin dinner!' That messenger wes not weill gone quhill againe comes another; soone eftir that Mr. Alexander Hay, the Scottish secretar, telling him that the Counsel wes long sett attending him. At the heiring quhairoff with great motioun raysing, he prayit; and, leiving us at dinner (for we wer expressly chairgit that we come not within the Palice,) went with Mr. Alexander Hay, with great commotioun of mynd. This wes sone eftir two of the clocke. About three, one of our men, quhom we sent to attend at the Counsel doore, comes to us with tearis, and schew us that he wes carieit direct from the Counsel, by watter to the Tour. We followit with dilligence, yit could not meit with him by the way, neither could we git accesse to him by any meines."—*The Autobiography and Diary of Mr. James Melvill: Edited from Manuscripts by Robert Pitcairn, Esq., F. S. A. Scot., for the Wodrow Society. Edinb.* 1842. 8vo.

"1611. Mr. Andro Melvill lett out of the Towre.

"'The Duke of Bulloigne sent a letter to Mr. Andro Melvill, dated at Parise, the 30 of Januare, wherin he certified him that he had sent unto his Majestie, to obteane his libertie out of the Towre that he might come to Sedane. Libertie was granted to him to goe from the Towre to the shippe.

But becaus he was sicke when he was to come furth, libertie was granted to him to take the frie air for ten dayes, within the compasse of ten myles about Londoun; but he must not in the meane tyme come neere the king's, queen's or prince's court, least his friends sould be mislyked for his caus.' "—*The History of the Kirk of Scotland by Mr. David Calderwood, Edited by the Rev. Thomas Thomson for the Wodrow Society*, Vol. VII. Edinb. 1845. 8vo. p. 153.

789, 13. *Carew*] Apud quem Philippa morbo lethali affecta fuerat.

790, 28. *hospite*] Overall Decano Paulino.

792, 23. *Legatum*] Antonium de la Boderie.

793, 1. *Quilegré*] Kilegrai, Killegrew.

— 10. *uxorem*] 367 (*Burn. MSS.*) "Sa M[te] en toutes sortes m'a tesmoigné et me tesmoigne touts les jours l'estime, qu'il luy plaist faire de moy, et de mes etudes, qui m'auroient mis a mon aise, et vous aussy et touts nos enfants, si plustost je feusse venu en ceste cour, ou les lettres sont grandement prisées, et ce peu de lettres qui est en moy m'apporte plus d'honneur que je n'en ay eu en ma vie. Outre ce, les espris des scavants sont si moderés, que il me semble que je suis en paradis, quand je voy ces grands personages se mocquer et rejetter plusieurs nouveautés que la saincte et venerable antiquité n'eust peu supporter, quoy que disent ceulx, qui ne la usent sinon en courant la poste, et pour s'en mocquer. Chose lamentable. Mais je remets ce discours a nostre premiere veüe que je souhaitte etc."

— — *alios*] Thuanum Ep. 697. "Ego sancte affirmo tibi, Præses amplissime, quoties mentio mihi facta est de mansione in his locis, non aliud respondisse me, nisi hoc unum, in potestate Reginæ esse me; facturum quicquid illa jusserit. Scriptum igitur ad Reginam super eo negotio, et ita scriptum, sicut audio, facile ut appareat Regem hoc valde cupere. Expecto responsum illud, ex quo mearum fortunarum pendet ratio."

795, 13. *pensum*] Jussus fuerat legere quæ Episcopus Eliensis contra Bellarminum scripserat, ut quid sibi de ea scriptione videretur Regi exponere. "Ego vero et adfui Domino

Eliensi sua legenti Domino Decano hospiti meo doctissimo mihique; et postea domum allatas easdem chartas legi ipse, et quanta maxima poteram attentione singula expendi.—— Utinam qui in nostra Gallia Theologica tractant D. Eliensem vellent imitari." Ad J. Montacutum Ep. 698.

796, 21. *Reginæ*] Ad Jacobum Montacutum Episcopum Bathoniensem et Wellensem Ep. 696. "Reverendissime Domine, tandem advenerunt e Gallia literæ, et quidem plane ex animi mei sententia. Nam sine metu offensæ imo cum spe gratiæ apud Reginam fit mihi potestas Regi serenissimo serviendi. Quare inter fidelissimos Regiæ Majestatis subditos et servos me quoque jam licet numeres. Det mihi Dominus Jesus, ut quantum ex ea re gaudii jam ipse capio, tantum adsit virium, ut sincerum studium meum Regi primo, deinde omnibus bonis, possim probare. Est certe animus non cessare, neque labori parcere, ut officio meo ne possim videri defuisse. Vide vero, reverendissime Domine, quantum mihi sit fiduciæ in tua benevolentia: ausus enim sum rogare serenissimum Regem, ut vel te, vel Domino Laec (*Lake*) interprete mihi uti liceret apud ipsius Majestatem, siquid mihi ea conventa fuerit opus. Nam ubi semel in Musæum me abdidero in aulam nisi jussus non veniam; neque enim temere tanti principis curas ausim interpellare. Nunc te oro, ut de meo futuro statu, quæ intellexeris ex ore serenissimi Regis mihi significes. Cupio enim familiam quam primum accersere, aut saltem bibliothecam, qua vix possum diutius carere. An mentio de viatico apud aures Regiæ Majestatis sit facienda, tui judicii facio; nolo enim ulla re esse molestus. Vale et festinationem meam boni consule. *Londini prid. Kal. Decemb.* 1610."

797, 12. *Regem*] Ep. 695. "Serenissime, potentissime Rex, accepi hodie literas e Gallia jussu Reginæ ad me scriptas, plane quales optabam. Fit enim mihi potestas tuo in regno manendi, et serenissimæ Majestati tuæ inserviendi; quin hoc Regina prudentissima voluit additum, eo me sibi fore in posterum acceptiorem, quo diligentius id operam dedero, ut meum humile servitium charo suo fratri, sic enim est scriptum, gratum accidat. O salve igitur, mi Rex, mi Mæcenas,

mi Here. Patietur enim, spero, immensa illa clementia bonitasque tua, ut ego jam Majestatem tuam non ut advena et peregrinus salutem, sed vero ut *αὐτοχθὼν* subditus et servus domesticus. Et fui certe jam a multis annis tota voluntate servus tuus, tuæ Majestati devotissimus. Enimvero, Domine, quas ego Deo Opt. Max. gratias agam nescio, qui meum inenarrabilem luctum ob cædem nefandam prioris Mæcenatis mei, gloriosissimæ memoriæ Principis, sic dignatus est solari, ut spe atque adeo votis meis major felicitas mihi jam obtigerit. Meæ nunc sunt partes, in eam curam dies noctesque incumbere, ut ejus otii quod beneficio Majestatis tuæ me spero consecuturum, eidem possim rationem reddere; quod quum præstare ac ne conari quidem potero, quamdiu mea carebo bibliotheca, oro supplex Majestatem tuam ut de futuro meo statu semel velit statuere. Gestit enim mihi dudum animus effectum jampridem opus et longis vigiliis elaboratum primo quidem die publicare, futurum, propitio Numine, tuæ singularis erga me benignitatis et liberalitatis apud omnes Europæ nationes, absit verbo invidiæ, vocalem præconem. Promisit mihi amplissimæ dignitatis vir Thomas Laec (*Lake*) tempora se Majestatis tuæ captaturum, ut cum fuerit opportunum memoriam mei illi refricet; qua etiam de re cum reverendissimo Episcopo Bathoniensi per literas egi. Utinam hoc tribuat mihi clementia tua, Domine, ut postquam fuero in Musæum meum abditus, per alterum horum mea desideria tuæ Majestati exponere mihi liceat. Non enim convenit humilitati meæ ad tantum Regem aliter quam per interpretem accedere. De aureolo opere præstantissimi viri Episcopi Eliensis quid mei sit judicii jam ante significavi. Nunc in iis versamur, quæ a serenissima tua Majestate sunt profecta laudatione et approbatione omnium non cujusdam censura dignissima. Una est generalis quædam observatio non magis mea quam doctissimi viri Decani Paulini de qua melius coram, aut si jussus fuero alia Epistola. Veneror supplice voto Deum immortalem ut spiritu suo vere *ἡγεμονικῷ* tuæ Majestatis consilia semper dirigat, omni suarum maximarum benedictionum genere magis magisque indies beet, mihique benevolentiam servet, det mereri."

797, 14. *Leas*] Scribendum videtur "Laec" i. e. "Lake." "Thomas Lake, Esq. This gentleman who was born at Southampton, was bred a scholar (under Hadrian Saravia) and afterwards was taken into the service, in the condition of an amanuensis, of sir Franc. Walsingham secretary of state, by whom being commended to Qu. Elizabeth he read to her French and Latin. A little before her death, she made him clerk of her signet; and after her death he was chosen by this state into that place to attend K. James I. from Barwick, who afterwards made use of his present service in some French affairs, and confer'd upon him the honour of knighthood. After sir Rob. Cecill's time the place of secretary was joyned in two principals; and not long after he was one of them, and so continued with honorable esteem of all men, until that malice and revenge, two violent passions, overruling the weaker sex, concerning his wife and daughter, involved him into their quarrel the chief and only cause of his ruine." *Wood, Fast. Oxon.* I. 769.

798, 4. *Eid. Dec.*] Ad Joan. Rutgersium scribit Ep. 699 de se rebusque suis.

— 26. *stipendium*] "James, by the grace of God etc. to all Men to whom theis Presents shall come, Greeting.

"As our Progenitors have heretofore beene carefull to call into their Realme Persons of eminent Learning, agreeing in Profession of Religion with the Church of England, and here to make use of them for the furtherance of Learning and Religion among their People; as namelie, of Paulus Fagius, Marten Bucer, Peter Martir, and others; soe have Wee, in regard of the singuler Learning of Isaac Casaubon, and of his Concurrancye with Us and the Church of England in Profession of Religion, invited him out of Fraunce into this our Realme, here to make his aboad, and to be used by Us as We shall see cause for the Service of the Church; and for his better Support and Mayntenance, during the time of his aboade here, We are pleased to give unto him, and of our especiall Grace certayne Knowledge and meer Motion have given and graunted and by theis Presents, for Us our Heires and Successors, doe give and graunt unto the saide Isaac

Casaubon a certayne Annuitye or Pension of Three Hundred Poundes of good and lawfull Money of England by the Yeare,

"To have hould and yearly to receave the saide Annuitye or Pension of Three Hundred Poundes by the Yeare, to the said Isaac Casaubon or his Assignes during our Pleasure; the same to begynn ymediatelie from the Feast of the Birth of our Lord God last past, out of the Treasure of Us our Heires and Successors, by the Handes of the Treasurer and Chamberleines of Us our Heires and Successors there for the tyme being; the same to be paide at the fower usuall Tearmes of the Yeare; that is to saie, at the Feastes, of the Annunciation of the Blessed Virgin Marie, the Nativitye of Saint John Baptist, Saint Michaell the Archangell, and the Birth of our Lord God, by even Portions:

"Although expresse mention etc.

"Witnes our self at Westmynster the nynteenth Daye of Januarie 1611. — Per Breve de privato Sigillo." *Rymer, T. XVI. p.* 710.

800, 4. *Lifeldensi*] Vel Lichfeldensi: Ricardo Neyle vel Neile 1610, olim Roffensi, Dunelmensi 1617, Vintoniensi 1627, Eboracensi 1632, qui obiit 1640.

— 18. *Vellensem*] Jacobum Montagu eundem Bathoniensem.

— 19. *Laes*] Laec, *Lake.*

802, 2. *mandata*] Ad Thuanum Ep. 700 scripsit: "Quid responsum sit a Regina ad petitionem Regis Magnæ Britanniæ non te, credo, latet. Manebo hic, volente ejus Majestate, quamdiu eadem ipsi manebit sententia. Nam si exoriatur occasio, cur mea opera isthic desideretur, simulac augustissimæ Reginæ jussu id mihi fuerit significatum, fidem, quam discedens dedi, Θεοῦ διδόντος præstabo, et me subditum fidelem veracemque et patriæ amantem civem probabo. Audio Reginam jussisse, ut regia liberalitate etiam absens fruar. De bibliotheca quid sit tantisper faciendum, vos statuite. Ego illam hactenus fide integerrima curavi, neque quum huc veni, vel literulam inde abstuli. Certus sum Isaacum Chabanæum meum ἀδελφιδοῦν, postquam ego sum profectus, pari fide esse usum. At in restituendis tibi libris, quos e biblio-

theca tua habui, memoria me lapsum scio, et quosdam reliquisse inter meos, quos jussi inquiri et tibi reddi. Amo equidem libros, ut siquis alius, sed magis fidei et integritatis opinionem."

803, 5. *varie*] Ad uxorem scripsit 367, 67 (*Burn. MSS.*). "Avant que ayés les presentés, vous aurez, comme je crois, resolu ce que voudres faire; et Dieu vous veuille bien conseiller. Cest luy seul auquel git toute mon esperance et toute mon attente. Cest Dieu seul a qui j'attribue l'heureux succés que pour encore j'ay eu par deca, et quoy que certains gazouillent par dela de moy, croies m'amie que je n'ay autre but que de servir Dieu, et d'estre faict participant du merite de nostre Seigneur Jesus Christ. Duquel vous scavés que j'ay tousjours envie de celebrer la nativité avec plus de devotion qu'on ne faict par de la. Vous verriés icy toute autre chose. Et quand sera ce que je pourray discourir de ces pies cogitations avec vous? Je me prepare pour communier en l'Eglise Angloise, si le Seigneur me faict la grace de vivre encor quatre jours, qui sera le jour de Noel. Croiés m'amie que touts les jours le desir me croit de profiter en la crainte du Seigneur. C'est la nostre vray contentement, et nostre vray bien."

806, 17. *Eucharistiæ*] 363, 116 (*Burn. MSS.*) "Isaaco Casaubono V. Cl. Jacobus Cappellus S. Multis nominibus jucundissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, vir præstantissime, inprimis quod post molestam tertianæ febris vexationem nunc κομψότερον ἔχειν te audio, tum quod pristinam amicæ frontis serenitatem in literis tuis recognosco quod etsi nunquam desperarim tamen non mediocri appono lucro. Quin et deceptum me gaudeo qui transubstantationem tibi creditam putarim. Sed serio doleo hanc injuriam tibi a me factam, et culpam deprecor. Hoc illud erat inprimis, quod ego Peronii strophis acceptum ferebam, quandoquidem vel in hoc maxime antiquitatem sibi suffragari tam confidenter quam falso gloriantur adversarii. Postremo quod αὐτοσχεδίασμα nostrum lectione tua non indignum putaris, quod etiam laudas, id amicitiæ tuæ tribuere malo, quam merito meo. Sed profecto voluptati meæ et beneficio tuo colophonem gra-

tissimum adjecisses si vel strictim ea notare placuisset, in quibus ab ecclesia Anglicana aut a patribus in libello meo dissentiam. Nam etiamsi nullus patrum, populorum, seculorumve consensus valet adversus Dei veritatem divinitus in ipsius verbo patefactam, tamen perpetuum ac constantem quindecim seculorum *συμψηφισμὸν* haud temere rejiciendum fateor. Atque utinam per otium mihi licuisset in veterum scriptis evolvendis plus temporis et operæ ponere. Quo ardentius in ea re judicii tui ac undecunque locupletissimæ eruditionis undam exopto, eo magis quod novum adversus P. Cotonis institutionem scriptum meditor, in quo vel perperam a me affirmata retractare possim, vel cavere ne bis in eundem lapidem impingam. Tum in Gallicanis ecclesiis quædam forte non immerito desideras: nos forsan plura et justius in Anglicanis. Sed absit ut sciens quidquam scribam, quod Anglos urat. Mihi certum est adversus hostes, non adversus fratres, stylum stringere. Quin potius danda opera ut concordiæ glutine alter alterius nævos emaculet aut toleret. Salutant te præstantissimi viri D. D. Melvinus et Tilenus urbis et academiæ nostræ lumina. Deus tibi tuisque sit propitius. Bene vale. *Sedani, prid. Kal. Sept.* CIↃ IↃ CXI."

26. *existimare*] Omittendum fortasse.

809, 17. *Eliensis*] Andrews, *Coventriensis* Neyle.

811, 17. VI. *Eid. Jan.*] Ad D. Heinsium Ep. 703 scripsit, sæpius se scripsisse, priusquam Lutetia proficisceretur: misisse exemplaria aliquot Scaligeri operum. "De meo in hanc *μακάρων νῆσον* adventu ex aliorum sermonibus, puto, audivisti. Veneram cupidus Regis videndi, quem dudum admirabar. Ille pro sua incredibili humanitate, ut me semel est nactus, dimittere noluit. Quum dicerem in potestate Reginæ me esse, statim apud illam egit Rex maximus, ut per heram meam liceret mihi hic manere, quamdiu ipsi libitum fuerit. Ex eo in Anglia sum, ubi fruor duplici solatio: nam et conspectu scelestissimorum *ἀλαστόρων* et parricidarum non crucior, et cum Regis benignitatem, tum doctissimorum virorum eam experior humanitatem, ut videar etiam patriæ posse aliquando oblivisci, licet Thuani magni et quorundam aliorum desiderium vix feram. Etiam illud solatio mihi est, quod in

hoc regno speciem agnosco veteris ecclesiæ, quam ex patrum scriptis didici. Adde quod episcopis ὁσήμεραι συνδιάγω doctissimis, sapientissimis, εὐσεβεστάτοις, et, quod mihi novum est, priscæ ecclesiæ amantissimis. Satis vel in hac una re fuerit momenti ad dolorem exilii spontanei leniendum mihi quidem; nam eorum judicia, quibus in religione nihil sapit nisi novum, nihil moror. Verum hæc ὁδοῦ πάρεργα. Vale, amicissime Heinsi, et τὸν σὸν ἑταῖρον ἐλέαιρε qui quartum agit mensem procul a bibliotheca." *Londini a. d.* vi. *Eid. Januar. stylo Liliano.* 1611.

Ad Janum Rutgersium Ep. 704, acceptas ejus literas: "Quod scribis opinari te Reginam sapientissimam Regi serenissimo hanc χάριν non denegaturam, ut hic mihi cum bona ipsius gratia manere liceat, næ tu ἔτυχες, οὐκ ἤμβροτες, et μάντιν ἄριστον te probasti. Ego vix putabam futurum, memor eorum sermonum, quos Regina augustissima mecum discedente habuit. Sed quum urgeretur qua literis legati sui quem hic habet, qua verbis legati Angli, qui agit Lutetiæ, noluit conjunctissimo et potentissimo Principi aliquid videri denegasse quod in sua positum esset potestate. Sed scito neque regni cancellarium, neque præsidem Thuanum, neque alios ejus aulæ illustrissimos proceres in consilium fuisse adhibitos; qui mox re cognita indignissime tulerunt quod factum erat, et ad tempus mihi datam esse veniam significarunt. Atque hic jam est meus status, quem velle cognoscere te ais. Ego neque prædicandi benignitatem et alias excellentes virtutes hujus summi Principis finem unquam sum facturus: neque porro oblivisci patriæ suavissimæ et mei amantissimæ facile possum, qui præsertim negotia habeam gravia illic curanda. Accedit linguæ difficultas, quam etsi minimo labore videor posse discere, ut libros Anglice scriptos intelligam, loquentes tamen posse me intelligere nisi longo usu non spero. At facultatem τοῦ Ἀγγλιστὶ λαλεῖν adepturum me unquam despero; nam neque noram ei rei operam dare, et tam grandem natu id curare vereor ne putidum sit et risu dignum. Turpis enim profecto res est senex elementarius; nos autem qui annum jam vitæ quinquagesimum transcendimus (Deo sit gratia) alia æquum est curare. Possum hoc negligere incommodum; sed an uxor

hanc molestiam æquo animo sit latura, id ego nescio. Est vero æquissimum ut potissimam illius rationem habeam. Exspecto illam brevi, σὺν Θεῷ εἰπεῖν· cui assidue vota facio ut faciliorem maris transitum velit eam experiri, quam mihi contigit. Cras spero me illi Doveram usque obviam processurum ut e navi exeuntem excipiam." Molestum sibi carere libris.

814, 17. *diplomatis*] "De concessione denizat' pro Isaaco Casaubon.

"Rex omnibus ad quos etc. Salutem:

"Sciatis quod nos de Gratia nostra speciali ac ex certa Scientia et mero Motu nostris, concessimus ac per Præsentes pro Nobis Hæredibus et Successoribus nostris concedimus Isaaco Casaubon in Partibus transmarinis oriundo seu quocunque alio Nomine Cognomine sive Additione Nominis vel Cognominis idem Isaacus Casaubon censeatur nuncupetur seu vocetur aut nuper censebatur sive nuncupabatur aut imposterum censeri vel nuncupari illi contigerit quod idem de cætero durante vita sua sit Indigena et verus Ligeus noster ac Hæredum et Successorum nostrorum; et quod ipse in omnibus tractetur reputetur habeatur teneatur et gubernetur tanquam fidelis Ligeus et Subditus noster infra Regnum nostrum Angliæ oriundus, et non aliter nec alio modo: Quodque idem Isaacus Casaubon omnes et omnimodas Actiones Querelas et Demandas reales personales et mixtas cujuscunque sint generis in omnibus Curiis Locis et Jurisdictionibus nostris Hæredum et Successorum nostrorum habere exercere et prosequi eisque uti et gaudere ac eas et quaslibet earum in eisdem placitare et implacitari respondere et responderi defendere et defendi possit et valeat ac etiam omnia alia licita facta in omnibus et per omnia sicut fidelis Ligeus et Subditus noster in dicto Regno nostro Angliæ oriundus:

"Et insuper per Præsentes concessimus pro Nobis Hæredibus et Successoribus nostris quod dictus Isaacus Casaubon ad libitum suum imposterum Maneria Terras Tenementa Redditus Reversiones Possessiones et Servitia ac alia Hæreditamenta quæcunque infra dictum Regnum nostrum Angliæ et alia Dominia nostra percipere recipere capere habere tenere emere et possidere Sibi et Hæredibus suis ac eis uti

et gaudere ac ea dare et vendere alienare et legare cuicunque Personæ sive quibuscunque Personis sibi placuerit licite et impune possit et valeat ad libitum suum adeo libere quiete et pacifice ac in tam amplis modo et Forma sicut possit et valeat aliquis fidelis Ligeus noster infra Regnum Angliæ oriundus;

"Et quod prædictus Isaacus Casaubon habere et possidere possit et valeat omnia et omnimoda Libertates Franchesias et Privilegia quæcunque ac eis uti et gaudere possit et valeat infra Regnum nostrum Angliæ et Jurisdictiones nostras adeo libere quiete et pacifice prout cæteri fideles Ligei nostri infra dictum Regnum nostrum Angliæ oriundi habere possidere uti et gaudere possint et debeant absque Perturbatione Molestatione Inquietatione Impetitione Impedimento Vexatione Calumnia seu Gravamine quocunque Nostri vel Hæredum aut Successorum nostrorum Justiciariorum Eschaetorum Vicecomitum et aliorum Officiariorum seu Ministrorum nostrorum vel Hæredum aut Successorum nostrorum quorumcunque aliquibus Statutis Actibus Ordinationibus Provisionibus seu Proclamationibus ante hæc tempora factis editis ordinatis seu provisis vel imposterum fiendis edendis ordinandis seu proclamandis aut pro eo quod dictus Isaacus Casaubon in Partibus transmarinis uti supra dictum est oriundus fuit aut aliqua alia Re Caussa vel Materia quacunque in aliquo non obstantibus:

"Proviso semper quod prædictus Isaacus Casaubon Homagium Ligeum nobis faciat ac Lottum et Scottum prout alii Ligei nostri faciunt et contribuunt solvat et contribuat ut est justum ac quod solvat Nobis Hæredibus et Successoribus nostris Custumas et Subsidia pro Bonis et Merchandizis suis prout Alienigenæ solvunt seu solvere debent:

"Proviso etiam quod idem Isaacus Casaubon ad omnia Statuta Actus Ordinationes et Provisiones hujus Regni nostri Angliæ tam edita quam in posterum edenda et ad omnia et singula in eisdem contenta et specificata teneatur obligetur et obediens sit juxta vim formam et effectum cujusdam Actus Provisionis et Statuti in hujusmodi casu in Parliamento nuper editi et provisi.

"Eo quod expressa mentio etc.

"In cujus rei etc.

"Teste Rege apud Westmonasterium 3 die Januarii 1611." *Rymer, T. XVI. p.* 707.

816, 19. *res patriæ*] 367, 32 (*Burn. MSS.*) "Monsieur, Vous aures maintenant l'accomplissement de vos desirs d'avoir Mad^me Casaubon avec vous. Cependant qu'elle sera la il faut que vous sachies asseurement quel appointement on vous veut donner pardela. S'il est ou plus grand ou mesmes egal a celui que vous avies ici, vous deves demeurer ou vous estes. Je suis marri de vous donner ce conseil, et pour le regard de la France, qui pert, en vous perdant, et pour mon particulier, qui regrette beaucoup vostre absence. Mais ea impendent nobis quæ præsentibus exitiosa, absentibus sicut suave mari magno etc. Magnates sine consilio, plerique sine pietate, probitate; qui clavum tenent, expertes fortitudinis et tantæ moli impares. Sauve que si Dieu ne nous aide par miracle, nous aurons a souffre beaucoup de maux. Interea magnus metus ne arma Hispanica et Sabaudica concordibus animis in Genevam impressionem faciant; nulla hinc salus; ne quidem sensus mali. Hæc omnia effecerunt scelesta consilia quæ maximum Regum nefarie sustulerunt. Papa hic in curiam parlamenti bacchatur; eadem opera in Vignerii* Antichristum. Sauve que il vous aime, mieux en seurete que nous, qui nous defendrons, si on nous attaque. Devant que Mad^me Casaubon revienne, il faut que vous faites une resolution certaine de demeurer la, ou de venir icy. Ce que vous resoudres ne sera pas malaise a faire trouver bon icy quicquid dicatur. Je m'asseure que vous me faites bien ceste faveur de faire tel estat de mon amitie, que de vous asseurer que tout ce qui dependra de mon pouvoir pour votre service et de tous les vostres ne vous sera nullement espargne. Vives en ceste asseurance, et me croyes pour jamais

"Monsieur vostre tres humble serviteur Josias Mercier."

*De Paris ce* 19 *Janver* 1611.

* *Vignerii, qui medicus et historiographus Henrici III. obiit* 1596, *filius scripsit Theatre de l'Antechrist, auquel est repondu, au Cardinal Bellarmin etc. par Nicolas Vignier* M.DC.X.

816, 29. *Dunelmensem*] Gulielmum James, 1606, qui fuerat decanus 1584 Ædis Christi apud Oxonienses, 1596 ecclesiæ Dunelmensis, obiit 1617.

817, 16. *Nectarium*] "Episcopum Constantinopolitanum, patria Tarsensem, familia illustri ad civilia magis negotia natum, nec eruditione, nec probitate, nec secunda nominis fama, ut quidam scribunt, ornatum, a Theodosio Imperatore Gregorio Nazianzeno surrogatum antequam baptizatus esset A. D. 381. Pie quidem præfuit, sed hæreticis pacem ecclesiæ turbandi ruditate sua et inconstantia ansam dedit. Interim confessionis ritum, et presbyterum pœnitentiæ præfectum sustulit, quum hac occasione matrona quædam nobilis in templo a diacono constuprata esset: quod ad episcopi hujus imitationem in toto mox Oriente similiter factum, in Occidente solo ritu manente, qui dein in confessionem auricularem degeneravit." *Hoffman.*

— 19. *successit*] A.D. 401. in Armeniam relegatus obiit 411.

821, 11. *dispensatione*] "Rex etc. dilectis Nobis in Christo Decano et Capitulo Ecclesiæ nostræ Cathedralis et Metropoliticæ Christi Cantuariensis sive alii cuicunque in hac parte Auctoritatem et Potestatem sufficientes habenti Salutem.

"Cum nos decimo septimo Die instantis Mensis Decembris per Literas nostras Patentes de Gratia nostra speciali ac ex certa Scientia et mero Motu nostris dederimus et concesserimus dilecto Nobis in Christo Isaaco Casaubon Viro de omni genere Literarum optime merito illum canonicatum et præbendam in Ecclesia nostra Cathedrali et Metropolitica Christi Cantuar. quem Nicolaus Sympson Clericus Sacræ Theologiæ Professor jam defunctus nuper habuit et possedit ac modo per Mortem naturalem dicti Nicholai Sympson vacantem: habendum gaudendum et tenendum dictum Canonicatum et Præbendam eidem Isaaco Casaubon durante Vita sua naturali una cum omnibus et omnimodis Domibus Mansionibus Proficuis Commoditatibus Emolumentis Dividentiis Excrescentiis Refectionibus quotidianis Distributionibus, cæterisque Juribus et Præheminentiis quibuscunque dicto Canonicatui et Præbendæ quovismodo pertinentibus sive imposterum spectantibus a tempore Mortis prædicti Nicholai Sympson aliqua

priore Donatione sive Concessione Nostri vel Prædecessorum nostrorum dicti Canonicatus et Præbendæ non obstante:

Præterea de ampliori Gratia nostra ac ex certa Scientia et mero Motu nostris concesserimus et facultatem dederimus ac per easdem Literas nostras Patentes concesserimus et facultatem dederimus præfato Isaaco Casaubon quod licet ipse mere Laicus sit necnon Conjugatus Fructus tamen Redditus Proficua Provenientia Dividentias et Emolumenta quæcunque dicto Canonicatui et Præbendæ pertinentia vel quovismodo spectantia proinde ac si Clericus et non Conjugatus esset habere percipere et in usus suos proprios convertere libere licite et impune possit et valeat absque Perturbatione Vexatione seu Gravamine quibuscunque Nostri vel Successorum nostrorum quorumcunque vel etiam Decani Capituli Præbendariorum et aliorum Officiariorum dictæ Ecclesiæ nostræ Cathedralis et Metropoliticæ Christi Cantuar pro tempore existentium aut aliorum quorumcunque et absque aliqua Pœna Mulcta Detentione Defalcatione seu aliquo alio Damno illa occasione sustinendis etiam tametsi Residentiam ullam magnam vel parvam non tenuerit sive Moram omnimodo non fecerit in Ecclesia prædicta ad quam per statuta dictæ Ecclesiæ Canonici illius Ecclesiæ tenentur prout in eisdem Literis nostris Patentibus plenius continetur:

"Vobis igitur mandamus quod eidem Isaaco Casaubon Stallum in Choro et Locum ac Vocem in Capitulo assignetis assignarive faciatis prout moris est.

"Teste Rege apud Westmonasterium 17 die Januarii 1611." *Rymer*, *T. XVI. p.* 709.

823, 10. *Melvinum*] Vide 789, 2.

824, 2. *ancipitem*] Hæc Cappellus 363, 114 (*Burn. MSS.*). "Is. Casaubono V. Cl. Jac. Cappellus S. Ego quidem mihi, vir clarissime, civitati, ecclesiæ, academiæ nostræ gratulabar, dum sperabam te huc venturum, sed meus in te amor jubet ut damni nostri luctum superet lætitia tui in Britanniam fausti adventus. Debebantur sane ingenio, eruditioni, familiæ tuæ uberiora pascua, quam nostra. Habes Mæcenatem virtute tua dignum. Quod felix faustumque sit tibi et toti reipublicæ

literariæ. Quid jam? Non licebit tibi calamum in Baronium stringere? Non illa promes, quæ pridem observavit πολυποίκιλος eruditio tua ad ecclesiasticam antiquitatem pertinentia? O si thesauri tui et ἀφορμῶν millesima pars mihi suppeteret, quam lubens operi pridem optato potius quam inchoato manum admoverem? Exurge tandem, O vir inclyte, et quam feliciter literis operam navasti, deinceps ecclesiæ Dei consecrato. Unum tantum oro, obsecroque, ut siquid fuliginis adhuc superest ex convictu cum Perronio, si quid in nostris ecclesiis improbas, id premas potius quam expromas tantisper dum ex consuetudine cum Britannis plenius πληροφορηθεὶς si non placitura nobis, saltem profutura scribas. Deus Opt. Max. tibi ac toti familiæ tuæ sit propitius, filium quoque tuum tibi, ecclesiæ, ac sibi restituat. Vale, vir eximie." *Sedani Idib. Febr.* CIↃ IↃ CXI.

827, 19. *literas*] Ad G. M. Lingelshemium Ep. 705, Henrici se casu perculsum ad tempus non exiguum factum esse Anglum: in rebus alioquin lætissimis enecari quod a libris tamdiu abest.

G. Labbæum Ep. 706, suave sibi officium amicorum: fraudem sibi factam in libro contra Anticotonem: præfationem in opuscula Scaligeri placuisse Pragæ Legato Regis Hispaniarum.

Jac. Aug. Thuanum Ep. 707, Regi se Thuani literas ostendisse: Regem iniquissimo animo ferre quæ Thuanus deceptus de Maria Scotorum Reginæ in historia sua false scripserit: esse Equitem pereruditum (*Robertum Cottonum*) cui veram eorum quæ gesta sunt historiam digerere Rex dedit, digestam ad Thuanum missurus.

— 27. *veterem Legatum*] G. Carew.

— 28. *Reginam*] Annam Danemarkiæ Principissam.

828, 3. *Pr. K. Mar.*] Ad Lectium scripsit Ep. 1046, veteris se amici desiderio urgeri.

— 21. Th. Erpenii Ep. 711 literas acceptas agnoscit: Alcoranum suum olim Hadriani donat: libris suis illi licere uti: Bedwellum virum esse bonum, doctum et simplicem.

829, 6. *opellam*] Ad Frontonem scribere.

829, 13. *Regem*] Ep. 708. "Serenissime, potentissime Rex, Ut auderem jam Majestatem tuam interpellare fecit reverendus vir Dominus Episcopus Bathoniensis. Accepi enim hoc ipso momento epistolam illius benevolentiæ qua me tua Majestas dignatur prosequi testem luculentam. Narrat incidisse Majestatem tuam in posthuma Josephi Scaligeri, et quæ ibi sumus præfati, atque adeo legisse illa, neque improbasse. Equidem, Domine, ut quæ scriberem bonis ne displicerent optasse me semper, idque operam dedisse conscientia mea testimonium mihi dicit: sed posse aliquid a me proficisci dignum oculis Regis, et quidem Regis tam impense docti, tanti in literis judicii, hoc vero vel optare, nedum sperare, memor summarum difficultatum quas in studiis meis sum a puero semper expertus, et tenuitatis ingenii mei, sum ausus nunquam. Quo impensius gavisus sum (cur enim dissimulem?) et superis gratias egi, cum illa legerem, quæ scribebat Dominus Bathoniensis. Utinam et quæ nunc paro, et quæ deinceps *σὺν Θεῷ* sum elucubraturus, limatissimo tuæ Majestatis judicio possim probare. Sed mihi nunc spissum et difficile in manibus negotium est. Neque enim cum hominibus certamen instituisse mihi videor, verum cum aliquo Geryone tricorpore, aut tricipiti hydra. Nullus viperearum distinctionum finis; nullus exitus e labyrinthi illius gyris et Mæandris, quo se isti recipiunt. Omnia, cum lubet, negant: omnia, cum lubet, affirmant. Denique Sisyphis istis et Autolycis mentiri est verum dicere; tremendum Dei Opt. Max. numen ludibrio habere supremus est, pro scelus, apex pietatis. Artes porro ad fallendum plane admirabiles ac stupendæ. Observo aliter Italos loqui sub umbra urbis *ἑπταλόφου* deliciantes, et cogitata animi libere proferentes, aliter Gallos quos aliquis adhuc a Senatu metus comprimit. Quid multa? putet aliquis, scripta illorum contendens, Italos a Gallis corrigi, neque satis inter ipsos convenire. At non ita est. Plane enim in istis Sophistis verum est vetus proverbium, Sardi venales, alius alio nequior. Semper ad manum est aliqua distinctio quæ bellum inter ipsos dirimat. Quæras ab iis, an Rex, qui fuerit excommunicatus, Rex est? negant præcise, qui mysteria sectæ Satanicæ non verentur enunciare. At meus Cotton disertis verbis con-

trarium affirmat: Non, inquit, desinit Rex esse, et qui occiderit, Regem occiderit. Quis neget esse vocem viri boni? Quis non credat hunc a suis dissentire? At est in cauda scorpionis venenum, Rex, ait, est, sed caret jurisdictione. Hoc nempe vult quod alii, sed hoc amplius simplices vult decipere. Sexcenta sunt hujusmodi. Mihi, Domine, propositum est scripto modestiæ pleno, sed acri tamen, Frontoni Ducæo hasce ob oculos fraudes ponere, et caussas illi exponere, cur nemo civis bonus, nemo subditus fidelis, nemo humanæ societatis studiosus, postremo Dei timens nemo scelesta id genus scripta non potest non execrari. Et quoniam in omnibus illorum libris nihil occurrit magis abominandum quam Garnetus Martyr, fert animus volente Deo faciente, quantum hoc sit istorum scelus, quam pestilens dogma cum cura aperire. Itaque velim, si possim a Majestate tua impetrare, etiam illas Garneti epistolas manu ipsius scriptas videre, quarum Dominus Eliensis in Tortura Torti meminit. Spero autem daturum te mihi veniam, Domine, si adversus personas non fuero invectus, neque fecero, quod auctor AntiCottonis fecit, qui omnes rumusculos etiam ἀδεσπότους collegit, et pro certis criminibus ei societati objecit. Ego non amo scribere quæ facile sit refellere, aut quæ viri boni inter pontificios sine stomacho non sint lecturi. Monitorem quippe agere benevolum satius duco, ut nunc res sunt in Gallia, quam malevolum accusatorem. Morem tamen geram, cum in hac re, tum in omni alia semper, Majestati tuæ, quam ut nova semper laude florentem, et rebus omnibus felicem servet Dominus Jesus oro ipsum assidue et supplex veneror. *Londini prid. Kal. Mar.* 1611."

829, 14. *Bathoniensem*] Montacutum, Ep. 709, literis se ejus lætari: de Rege; de Jesuitis; Cottonem librum quem scripsit Regi offerendum misisse ad Legatum de D. Bauderie, qui noluit Regi tradere librum contra ipsum scriptum.

Junio Ep. 710 commendat fasciculum literarum Regi et Episcopo Bathoniensi tradendarum.

— 15. *Archiepiscopum*] Georgium Abbot. Vide 782, 5.

— 27. *veterem amicum*] Henricum Wottonum, vel *Wotton* fratrem Edvardi Domini Wotton de Marley 763, 4.

Ille natus A. D. 1567, Oxonio, ubi in Aula Cervina studuerat 1584, Genevam profectus commendante Ricardo Thomson in ædes Casauboni receptus est. Ibi deficiente pecunia Casaubono fidejussore usus est, nec sine multa difficultate quod pro se solutum erat restituit.

Casaubonus hæc ad R. Thomsonum 5 Id. Oct. 1594 scripsit Ep. 990. "Siquid unquam mihi ex animi sententia evenisse memini, charissime Thomson, ille certe felix mihi dies illuxit, quo amicitiæ fœdus tecum pepigi.——Illos autem non possum faustos appellare dies, quibus te interprete amicitia mihi contracta cum Polono illo infelicissimo mortalium; et, quod invitus dico, cum Anglo illo quem tu in meas ædes introduxisti. Magno enim nunc mihi amicitia illius constat. Ne te morer pluribus, discessurus ex his locis vir optimus et eruditissimus, quia pecuniam diu frustra expectaverat, egit mecum ut pro se fidejuberem: feci lubens: quæris pro qua summa? Ad ducentos triginta aureos et amplius, quum præter hæc debeat ille mihi aureos tres et triginta. Sic inter nos convenerat ut ille Francofurti solveret, et quod mihi et quod alii debebatur. Nihil eorum factum est. Nunc illud superest, ut posteaquam spospondi stulte, pœnas stultitiæ luam, et pro amico tantam summam solvam. Scis tu, mi Thomson, quo loco sint res nostræ; quam difficile sit vel potius mihi *ἀδύνατον* talem summam præstare. At amicos habes, inquies. Sane habeo; sed qui possit juvare me hac in re, ne unum quidem habeo. In uno Wottone spes est omnis; is sit mihi Telephus oportet: vulnus fecit, vulnus factum sanet necesse est. Ea fine ad ipsum scripsi literas, quas his adjunxi. Te oro, O animæ dimidium meæ, te obtestor per nostram amicitiam, cures literas deferendas, hominem inquiras, inventum horteris ad officium: denique non prius quam re confecta conquiescas. Mi Thomson, agitur existimatio mea, agitur de studiis, quæ mihi vita ipsa sunt chariora.——Quam primum scribe ad me, quid egeris, quid speres, quid Wotto agat. Ego illum non accuso, tamen per illum in ærumnarum pelagus incidi; nisi sedulo omnia egerit ut me his malis eripiat, *ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος ἔσται ἐκεῖνος*. Sed faciet, spero, quod virum bonum decet."

Eodem die ad ipsum Wottonum Ep. 991. "Ærumnarum pelagus nuperæ Francofurdinenses nundinæ mihi tibique sed magis mihi pepererunt, charissime Wotto. Fidem tuam non accuso, nec dubito implesse te partes boni viri et amici: tamen quod res est dico, nisi Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς adsit, amicum tuum funditus evertisti. Et res, inquam, meæ et studia in acie novaculæ nunc stant. Omnino ita est, nunquam scivi quid esset versari in periculo existimationis, ad hunc usque diem; nunc didici. O durum rudimentum! Res isto loco sunt. Posteaquam renunciatum est Francofurti nihil esse solutum, fremere hic omnes et me appellare. Apud Philibertum Imbert facile rem composui; quia major ducentis Germanis florenis summa mihi debebatur, quæ casu in ejus manibus erat. Sed scit Dominus Deus, scis et tu quam non sit mihi facultas pro alio solvendi summam præsertim adeo grandem. Ita cum illo actum. Supersunt aurei illi sex supra centum pro quibus spospondit vir nobilis a Burgo. Is erat discessurus post quatriduum, et ante illud tempus eam summam a me sibi numerari postulabat. Nunc cum maxime in agone versamur, exigi quidem a me nihil potest: neque enim ita res meæ ferunt. A Michaele vero minus quam nihil. Ita superbum, αὐθέκαστον, φιλάργυρον, ἄπιστον est id genus hominum. Quum cœpi de hac re illum appellare pene convicio sum exceptus. Et sane illa tua promissio nihil nos juvat. Mihi crede, vix sum apud me præ magnitudine mœroris, curarum et sollicitudinis, et nihil tamen perficio. Nec tandem quis futurus eventus scio. Superest is, a quo equum emisti, is nondum me appellavit: sed habeo pro certo illum paucis diebus quoque plurimum mihi negotii exhibiturum. Vides, charissime Wotto, quem in locum sim conjectus: iterum dico, nunc incipio discere quid sit dolore premi. Tuæ nunc, tuæ sunt partes; per ego te nostram amicitiam, per tuam fidem, per ipsum Dei nomen oro, obsecro, obtestor, libera me ex his angustiis: fac appareat quanti tuam existimationem facias, quanti nostrum nomen, quanti nostra studia, quæ misere jacent, et jacebunt dum ego in hoc luto hærebo. Velim etiam tibi veniat in mentem sermonum quos una habuimus quum hic esses. Nihil me ad hanc fidejussionem impulit præter tui amorem et exis-

timationem de tuis virtutibus. Hactenus quod accidit vis id major fecit; tua culpa nulla est: deinceps nisi tu te virum præstes, vide, obsecro, vide, mi Wotto, quomodo mecum agetur, et quomodo famæ tuæ consules. Non ego talem fructum nostræ amicitiæ speravi, et spero meliora, sed nunc quo loco sint res meæ non scio, neque quid aut faciam aut dicam. Mihi enim res hic in molestissimis et omni humanitatis sensu spoliatis hominibus creditoribus tuis. Quare fac, oro te etiam atque etiam, ut nomen hoc quam primum expungas. Ego non desinam literis, nunciis, tabellariis et omnibus modis te urgere donec res fuerit perfecta."

Wottonus Geneva proficiscens librum literasque ad Scaligerum Lugdunum Bat. deferebat. Hæc enim ad Scaligerum Casaubonus 6 Kal. Dec. 1594 Ep. 19. "——Quam ingenioli nostri admirationem (sic enim loqueris) characterum lectio excitavit, eam tibi ejusdem ingenii, sed non ejusdem genii, certe diligentiæ non paris, opella adimet, quam ausus sum ad te musteam adhuc mittere. Apuleii Apologiam dico quam hisce diebus, ὅποτε χρόα Σείριος ἄζει recensui ac paullo meliorem feci. Eum librum non dubitavi tibi, vir maxime, προσφωνεῖν—— Datam mihi scribendi ejus libelli occasionem, ne te pluribus morer, narrabit H. W. nobilis Anglus, qui has tibi, ut spero, tradet." 9 Kal. Apr. 1595 Ep. 24. "Ausus sum ante aliquot menses, maxime Scaliger, libellum nescio quem, cujus editionem precibus, imo convitiis, pene extorserant a me amici quidam, ad te mittere, et de tuo fulgore lumen illi fœnerari: quum tamen aliquoties ad te postea literas dederim. Illum quidem librum oblaturum se tibi meo nomine receperat nobilis quidam Anglus, cui duo exemplaria a me fuerant tradita, alterum tibi, alterum Dousæ juniori. Quid illi Anglo, quid libris sit factum juxta scio cum ignarissimo: plane enim ᾤχετο ἄϊστος, ἄπυστος, sic ut de eo, postquam Francofurto exiit, nihil omnino scire potuerim. Is quantam mihi molestiarum Iliada Francofurti creaverit, ex iis literis quas novissime ad te dedi, (*non extant*) intellexisti." De eodem ad Dousam eodem die Ep. 25.

Tandem Scaligeri et Busenvallii Legati opera Casaubono satis factum est, nam 13 Kal. Jun. 1595 ad Scaligerum

scripsit Ep. 29. "Qui adversis meis doluisti, gaude nunc lætis, vir nobilissime. Recrearunt me proximæ nundinæ Francofurdienses, tam felices mihi, quam fuerunt superiores infaustæ. W. satisfecit, meque ea molestia liberavit in quam, ut vere scribis, conjecerat me *ἄκαιρος* mea facilitas. Non male hariolatus eras: sed fueras hic quoque ut semper in omni re *εὔστοχος*. Persuasus sum tuis maxime literis effectum et Busenvallii, necnon opera Thomsonis nostri, ut hac solicitudine liberarer——."

Non interruptam tamen amicitiam testatur Casauboni Ep. 1021. "Sic omnino est, ut scribis, nobilissime Wottoni; quum nos nostraque respicimus, non possumus non sapientissimum illum pronunciare, qui dixit hominem esse *ἀκαταστασίας εἰκόνα, τύχης παίγνιον*. Nam quotusquisque nostrum est, qui quod modo fuit, id nunc sit? aut qui ex animi sui sententia vitam disponat suam? Est profecto arcana quædam *τοῦ ὑπεραρρήτου Θεοῦ πρόνοια*, quæ nos sæpius trahit nolentes, quam ducit volentes. Itaque *τὸ μέλλον πᾶν ἀνθρώπῳ φύντι ἀόρατον*, neque quicquam mortalibus est *ἀπώμοτον*. Meministin' illorum temporum, quum ante annos sex septem tranquillissime et conjunctissime soles una condebamus? Censen' si quis tum nobis ea fando prædixisset, quæ postea vidimus, et nunc quum maxime videmus, fidem fuisse inventurum? Deus bone, quæ *σκηνῆς περιστροφὴ* ab eo tempore facta est? quam immutata facies omnis rerum? At enimvero inter tot tantasque mutationes animum meum erga te non esse immutatum, sed sibi semper constantem, semper constitutum, velim tibi persuadeas. Si quid aliud, hoc unice studiosis sapientiæ, in queis nomen ego meum profiteor, convenit, ut initam semel amicitiam cum suæ sectæ hominibus æternum servent. Te mihi tua virtus excellens pari eruditione juncta dudum conciliavit; deinde accessit usus vitæ quotidianæ, cujus suavissima recordatio tamdiu in animo nostro vigebit, quamdiu futuri ipsi sumus. Parem constantiam amoris tui mihi spondeo. Quod si, ut scribis, diligentiam nostram scriptione literarum provocare perrexeris, experieris me haud segnem adversarium, et qui superari a te in hoc officii genere

nequaquam sit passurus. Sororis τῆς φιλτάτης literas tuis junctas accepi, et gratias habeo. Chartas, quas a me petit, dudum remisi. Uxor te plurimum salvere jubet. Vale, amicissime Wottoni, et nos ἀδιαλείπτως ama. *Lutetiæ Parisiorum 6 Id. Decemb.* 1600."

Idem testatur et Wottoni epistola partim mutilata 366, 290 (*Burn. MSS.*) " Χαριέστατος. Venio nunc ad te, mi Casaubone, quantum possum : non quidem pedibus : quanquam et ita vellem lubentissime : sed animo et affectibus : quemadmodum itur ad Deum, et sic apud te sum, ut conjunctior esse nequeam.

" Florentia me iterum habet : ubi dum alii inter agyrtas et circulatores oblectant otia sua : parum abest quin ipse etiam in frequentissima urbe de solitudine querar. Imposuit mihi fortuna hanc peregrinationem : nec incongruens esse videtur, ut, cujus anteactam vitam falsa spes elusit, ejus illa quæ superest pars erroribus debeatur. Vides, vir excellentissime, quam, vix ingressus epistolam, abripior recenti memoria malorum : cum me ad te scribentem potius deceret toto animo regredi ad illa tempora, ad illa loca, ubi te prælucente versabar inter incorrupti ævi auctores qui de virtute scripserunt antequam cuiquam nocuisset esse bonus (*sic*). Manet sane apud me perpetua tuorum erga me meritorum conscientia, virtutis et sanctissimæ vitæ veneratio : et in hac mea cassa conditione eo diligentius amandus es, ne videar et tui recordationem inter aliarum rerum naufragia amisisse. Vellem equidem mihi liceret de aula dicere quod mercator ille de Æsopo quem tribus obolis emit : οὐδὲν κατεθέμην καὶ οὐδὲν ἐπριάμην. Sed multa mihi deperierunt, et hoc unum mihi superest ostentationis genus, non ingratum exstitisse. Ex his locis scribam ad te singulis octiduis minimum semel : scies quid faciam, scies quid sperem. Et quamvis nos antea maria, nunc montes dividant, animarum tamen nostrarum mentes in summo bono, ut sic loquar, συγκεντρίζονται : nempe in litterarum honestissima voluptate, quæ in se satis præsidii habet, non solum ad injuriarum omnium contemptum, sed etiam ad privatam quandam et suo testimonio contentam immortalitatis laudem. Serius molto incipio te salutare quam pro amore nostro debueram : sed in . . . . . . . . fides in curandis

litteris: quo me metu . . . . . . . . Juntæ humanitas: qui hic typographicam ex . . . . . . . . Philippo bono sene his proximis diebus ex Angin . . . . . . . . Is Parisiis institoris loco utitur opera cujusdam bibliopolæ vestratis, cui *Somnio* nomen, ad signum della *biscia*, quod quia serpentis genus est, nolo familiarius exprimere. Per istum hominem quicquid recte curatum etc. In novissimo loco a te, qui solebas esse meæ Athenæ, duo hæc per omnia amicitiæ jura peto, ut ad me velis sæpissime scribere, et ut Græce; atque ego tibi polliceor me eadem lingua responsurum tam procul certe ab omni ostentatione quam ab omni elegantia. Sed ita utcunque remotiores erunt nostri sensus a vulgo, et me fortasse aliquid putabunt, quibus hic continget videre tuas ad me ληκύθους. Per proximam occasionem habebis statum reipublicæ literariæ citra montes. Tu interim in omnes partes vale. Homo tuus Henricus Wottonus. *Florentiæ Kal. Quadragesimalibus* 1601. *Emendatiori Calculo.* Saluto optimam fœminam uxorem tuam, liberos, omnemque familiam charissimis verbis. P. S. Accepi literas tuas per Corsimos, præter indicia invaletudinis tuæ, cetera gratissimas, unde necesse est ut iterum atque iterum dicam, vale."

Casauboni item Ep. 292. "Quod silentium diuturnum excusas, nobilissime Wottoni, præis exemplo mihi, ut in pari caussa idem et ipse faciam. Nam et ipse, nec dissimulo, longum jam tempus silui. Faciebat enim me incertitudo tui status in scribendo ad te omissiorem. Nam quum omnes diligenter, qui ex Italia ad nos venirent, percontarer, certi inveniebam nihil: aliis Florentiæ in Italia, aliis in aula Imperiali et ultima Germania degere te affirmantibus. Quo igitur meas dirigerem? otio porro, ut tute scis, non abundamus nos. Itaque tacui, sed apud te, non de te. Habeo testes populares tuos, quibuscum prope quotidianos de consuetudine nostra sermones habere soleo. Cujus exstare in animo quoque tuo memoriam οὐκ ἐστὶ τυχὸν, ita me Deus, ut maxima cum voluptate mea ex nuperis tuis cognovi. O mi Wottoni, quæ fuere tempora illa, quum securi quid serus vesper veheret, dies totos liberatis sagulis transigeremus? quum ex ore tuo πολλὰ ἃ εἶδες ἄστεα καὶ νόον ἀνδρῶν ἔγνως διεξοδικώτερον narrantis ego pen-

derem; tu de literulis nostris non junctis aliquid a nobis audires? O vitam vere vitam: O delicias et voluptatem sinceram: ita quidem ut temporis illius sine suspiritibus recordari non possimus. Nam quæ post illa viderimus, quæ subierimus vel mala, vel extrema malorum pericula, horret meminisse animus. Melior tamen tua, quam nostra conditio. Tu adversis tuis perfunctus portum, ut videtur, nunc tenes. Nos, ut vides, in ipsis periculis quam maxime nunc versamur. Nuper adeo quam pene absorpti sumus *σφοδροτάτῃ* quadam *τρικυμίᾳ* haud dubie ipse nosti: et magna quidem *τῷ παντοκράτορι Θεῷ* laus et honor, quod *ἡμῶν οὐ προσεχόντων τοῖς γενομένοις αὐτὸς χεῖρ' ὑπέρεσχε κραταίην.* Terrarum in ea tempora devenimus, ut necessario nobis et omnibus bonis sit *φιλοσοφητέον.* Olim fuerat hoc otii honesti oblectamentum; nunc unicum, divina semper excipio, hoc superest adversus imminentes verticibus nostris procellas præsidium ac solatium. Quo mihi gratius erit ea videre, quæ sunt a te, doctissime Wottoni, super ardua quæstione disputata, quæ tot præclara ingenia omnibus retro sæculis habuit exercita. Durum profecto humeris tuis onus imposuisti, sed illorum valentiam et robur tuum novimus nos. Prome igitur illa, sodes, et prome quam primum. Quod autem scribis, velle te nomine nostro eruditas lucubrationes tuas inscribere, equidem pro affectu hoc tuo in nos ago habeoque tibi gratias immortales *λόγου πάντος πέραν.* Sed unde hoc nobis, ut tu tanto nos honore digneris? Habes, scio, magnam amicorum copiam, virorum summorum, et omni laude florentium. Nos qui, aut quid sumus? Unica res est, in qua nemini tuorum concesserimus, magnitudine amoris erga te, et singularium tuarum virtutum admiratione. Verum hoc imputare tibi non possumus; debeo enim affectum hunc illis ipsis, quas dixi, virtutibus, et tuæ adversum nos benevolentiæ: hanc tu mihi serva firmam et inconcussam. Deus tibi bonam valetudinem omni felicitate cumulatam. Vale. *Lutetiæ Parisiorum* 12 *Kalend. Sextilis Juliani* 1602."

De illo Ricardus Baker. "The other was Henry Wotton mine old acquaintance also, as having been fellow-pupils and chamber-fellows in Oxford divers years together. This gentle-

man was imployed by King James in embassage to Venice; and indeed the kingdom afforded not a fitter man for matching the capriciousness of the Italian wits: a man of so able dexterity with his pen, that he hath done himself much wrong, and the kingdom more, in leaving no more of his writings behind him." *Chronicle*, p. 477.

Legationibus functus, domum rediens 1625, ubicunque moraretur, reliquit hæc de se scripta:

"Henricus Wottonus Anglo-Cantianus Thomæ optimi viri filius natu minimus a serenissimo Jacobo I. Magnæ Britanniæ Rege in equestrem titulum adscitus ejusdemque ter ad Rempublicam Venetam Legatus Ordinarius: semel ad confederatarum Provinciarum Ordines in Juliariensi negotio: bis ad Carolum Emanuel Sabaudiæ Ducem: semel ad unitos superioris Germaniæ Principes in conventu Halbrensi: postremo ad Archiducem Leopoldum, Ducem Wittenbergensem, Civitates Imperiales Argentinum Ulmamque et ipsum Romanorum Imperatorem Ferdinandum Secundum Legatus Extraordinarius tandem hoc didicit, animos fieri sapientiores quiescendo."

Etonæ præpositus 1623, Etonæ sepultus est 1639 anno ætatis 72, hoc inscripto

"Hic jacet hujus sententiæ primus auctor
DISPUTANDI PRURITUS ECCLESIARUM SCABIES
Nomen alias quære."

830, 9. XVI. *Kal. Apr.*] Hæc ad Montacutum Ep. 712. "Accepi a Domino Eliensi, et quas scripsisti ad me literas, et chartas simul nonnullas ad meum propositum spectantes. Eæ quum sint scriptæ Anglice, danda mihi opera est, ut aliena opera adjutus ipsas perlegam et intelligam. Non est futurum in eo parum ponderis, quod liquido et sancte potero affirmare ipsas me Garneti literas legisse. Video conspirationem Jesuitarum stupendam, ut totius illius historiæ veritatem sceleste pervertant. Quo magis laborandum bonis est ut furori huic Satanico sese opponant, et fraudes impudentissimorum nebulonum aperiant, qui novam in cælos viam repererunt per Principum parricidia. Accepi etiam superioribus diebus, missu Senatoris cujusdam Veneti viri præstantis et

bonarum partium, Capelli cujusdam librum adversus serenissimum Regem et Dominum Eliensem. Credo Majestatem ipsius scriptum illud jam vidisse, et, de quo non dubito, contempsisse. Quid enim misellus novi affert? Hic est ille Capellus, qui ante paucos annos caussam Venetorum contra reverendos Patres non ignave tutatus est. Narrat vero mihi epistola sua senator ille, duos fuisse omnino qui a republica sua ad *τὸν υἱὸν τῆς ἀπωλείας* transitum facerent; Fulgentium, qui laqueo et igne vitam finivit; Capellum istum, quem fame, inquit, perdere vult Papa: deseruit enim omni spe atque præsidio nudatum. Itaque ut vitam infelicem sustentet malæ caussæ patrocinium cogitur suscipere. *Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.*"

830, 18. XIII. *Kal. Apr.*] Rutgersii binas literas acceptas agnovit Ep. 713: quid ille in literis moliatur scire se cupere; otio se frui, sed carere libris studiorum suorum esse pestem.

Ad D. Heinsium scribit Ep. 721. "Venit ad me nunc ipsum nobilis hic Anglus (*Johannes Bois Cantuariensis præbendarius*) vetus amicus meus, nuntians cogitare se ad vos, et numquid vellem rogans.——Quid autem putas me ad te scripturum? Quod unum possum, querimoniam de tuo silentio acerrimam. ——De meo in hac *μακάρων νήσῳ* statu ne plura narrem multa impediunt, ipsa in primis amici hujus mei festinatio. Ille tibi de me, si curas scire, omnia narrabit."

831, 25. *Prid. Kal. Apr.*] Ad Heinsium Ep. 722. "Tandem tuas accepi, hoc est, post menses amplius octo.——Ego, amicissime vir, cætera beatus Dei immortali beneficio hac re miser sum, quod a libris meis tot jam menses absum, neque adhuc possum illos recipere: nam neque me in totum dimittere vult augustissima Regina, neque de reditu meo magnam spem habet, si semel bibliothecam omnem meam hic habuero. ——Dum meis libris et chartis omnibus plane careo, data occasione scripsi hic epistolam ad Frontonem Jesuitam quam Rex maximus vult edi."

— 28. *Kal. Ap.*] Occasione per Syndicum Middleburgensem data iterum scribit Ep. 715: bibliothecam se suam exspectantem Horatium ejus Londini comparatum cum admiratione relegisse.

832, 3. *colloquium*] Ad Rutgersium scribit Ep. 723.——"Scito meam bibliothecam nondum esse in Anglia, idque ob caussas quas nunc omitto. Uxor quidem mei desiderium longius non ferens per obscœnissimam tempestatem infirma licet ac parum valens ad me venit, sed libros et liberorum maximam partem domi reliquit. Caussa enim veniendi, præter illam, quam dixi, fuit ut de nostris negotiis una conferremus, et in posterum de communi sententia statueremus. Nunc igitur eadem reditum parat, ut quæ placuere nobis efficiantur. Exspecto celerem reditum.——Tunc videbo optatissimam bibliothecam meam σὺν Θεῷ· ac statim βροντολόγιον ad te mittam, et si quid aliud habuero quod tibi putem fore gratum. Interim de hospitio, quod offers, quas tibi agam gratias? Tune Crassus es, qui venientem ad te exercitum velis excipere, et τὰς χρείας præbere? Ego, mi charissime Rutgersi, si isthuc irem cum liberis et tota familia, te terrerem.——"

— 23. v. *Eid. Apr.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 720, exspectare se responsum ad binas quas misit epistolas, sed quia offerebatur occasio scripsisse. "Novissimis literis (692) spem tibi feci commentariorum, quos Rex ad te mittere cogitat rerum ad matrem pertinentium. Non fallet Rex tuam expectationem. Vidi partem operis quod ita contextum est ut ad legitimam historiam rerum Elizabethæ quid in eo desiderari possit vix intelligam. Per annos narratio est distincta a principio regni Elizabethæ. Vidi adhuc paucos annos, sed ex quibus de operis pretio feci conjecturam."

— 27. *literas*] Ad Montacutum Ep. 714. "Spero te pro tua erga me benevolentia memorem fuisse ejus, quod a te discedente petii, ut apud serenissimum Regem me excusares, quod rarius ejus Majestati adfuissem. Nunc mitto ad reverentiam tuam quæ scripsi ad Frontonem. Ac dolet quidem mihi, quod melius literas pingere nesciam: sed non aderat mihi ad manum cujus opera uterer. Uteris judicio arbitrioque tuo, et Regiæ Majestati, si videbitur, ostendes, aut non ostendes. Frontonem, quem scio virum bonum, honorifice compello: de re vero quid sentiam satis videor ostendisse. Odi certe quum alios Pontificiorum errores, tum istud dogma de tyrannide Pontificis vel maxime; ea enim scaturigo est, unde

omnia in ecclesiam manant mala. Si placuerit Domino Regi paucas horas illis chartis impendere, da, quæso, hoc mihi, reverendissime Domine, ut, quid Majestas illius mutandum detrahendum aut addendum judicet, per te cognoscam. Ego animo alacri semper jussa capessam, et meum obsequium humile hero et benignissimo Mæcenati meo probabo; conabor certe probare. Cupio vero hac opella defunctus serium aliquid aggredi in quo industria nostra, si qua est in nobis, desudet. Itaque licet reclamantibus amicis Gallis, qui hactenus voluntati meæ se opposuerunt, statui tamen totam bibliothecam curare afferendam et reliquam partem familiæ meæ accersere. Sed quoniam negotia varia præsentiam uxoris aut meam desiderant, cogor illam ad mensem unum aut alterum dimittere, ut rebus compositis Larem hic figamus. Non dubito Jesuitarum vipeream sobolem illi omnibus rebus pro virili incommodaturos ubi præsertim hanc opellam meam viderint. Multum me et meos serenissimus Rex adjuvaret, si Legato suo mandare dignaretur ejus Majestas ut meos Lutetiæ protegat, quod a Rege per literas petiissem, si ausus essem. Ego cras, Deo dante, ad Savilium sum excursurus, ac die altero aut tertio, ut spero rediturus. Chartas istas ut tua reverentia statim remittat, oro, nullum enim habeo exemplum aliud. Vale, reverendissime Domine."

832, 29. *Savilium*] Henricum, natum 1549, virum Græce et Latine perinde doctum, venerandæ antiquitatis tum exquisitum indagatorem tum ingenuum et liberalem editorem, qui multo Oxoniensium luctu obiit 1621, eques auratus, custos Collegii Mertonensis apud Oxonienses 1585, atque Etonæ præpositus 1596.

— — *proficiscor*] Etonam.

833, 16. *editione nova*] Sc. Savilii.

— 25. *Barclaium*] Johannem Gulielmi filium, gente Scotum, natum Lotaringiæ, quo auctore prodiit 1604 Euphormion, 1610 J. Barclaii pietas, sive publicæ pro regibus et principibus, et privatæ pro Gulielmo Barclaio parente vindiciæ, adversus Roberti Bellarmini tractatum de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus, 1617 Paræenesis ad Sectarios, 1621 Argenis. Romæ obiit 1621.

834, 5. *Regem*] Ep. 716. "Etsi magnitudinem non ignoro negotiorum quibus tua nunc Majestas occupatur, differre tamen non possum quin significem literas a præside Thuano me accepisse, quibus suam magis magisque cupiditatem declarat tuæ Majestati, quam sincero animo singulari cum admiratione veneratur, obsequendi. Itaque nuncium de chartis quarum spem illi (Ep. 707) jussu tuo, Domine, feci, exultabundus accepit, paratus hoc illustri exemplo candorem suum in errore agnoscendo palam facere; longe utique illis tenebrarum filiis dissimilis, qui veritatem in mendacium convertere gratum esse Deo opus docent. Ipsas Thuani literas, e pluribus quas ad me scripsit, hisce adjeci si forte Majestati tuæ legere vacaret. Opto perduci quamprimum ad finem opus a Domino Cottone susceptum, ut desiderio Thuani satisfiat, qui Loiolitarum factione pulsus privatam in suis jam prædiis vitam degit, ut ex ipsius didici literis. Accepi et aliam epistolam ab homine Pontificio, sed viro bono et erudito, qui librum Majestatis tuæ dono nuper a me acceptum ita laudat, scribens ad me, ut satisfacere ipse sibi non queat. Ille genus dicendi et sententiarum gravitatem tanto Rege dignam sic admiratur, ut pietatem tamen supra omnia suspiciat. O utinam ejusdem animi essent plures in nostra Gallia. Et vero sunt quam plurimi erga Majestatem tuam non aliter animati, sed prodere animi sensum metu malorum non audent. Crescit enim indies, quod gemens dico, Loïololitica factio in patria; sed et bonorum crescit indignatio: bonos appello, subditos fideles suorum Principum. Quæ scripsi ad Frontonem, non displicuisse tuæ Majestati magno cum gaudio intellexi: dabo operam, faciente Deo, ut quæ sum additurus ne displiceant. Tuum erit, Domine, statuere, putesne eam Epistolam publica luce dignam et editione. Ego cum in hoc genere literarum tum in aliis majora habeo, quæ, recepta bibliotheca mea, brevi cupiam publicare. Dominus Jesus Majestatem tuam, Rex serenissime, protegat et omnibus semper rebus præstet florentem. Scripsi *Londini a. d.* IV. *Id. Apr.* 1611."

— 6. *Bathoniensem*] Ep. 717. Pergere se in proposito scribendi ad Frontonem: Eudæmono-Joanni respondendum; Genevensibus se metuere, fretum tamen Regis ope.

Simul ad C. Vandermyle Ep. 718. De rerum suarum statu, partim Gallice, partim Latine. "Uxor quinto fere mense, postquam ego Lutetia discesseram, ad me venit, sed mox reditura, ut de communi sententia res nostras in Gallia componat, et statim cum tota familia et bibliotheca huc revertatur."

834, 9. XI. *Kal. Mai.*] Ad Thuanum Ep. 724 scribit, dolere se, quod non ea habita est Thuani ratio quam postulabant ejus merita: his temporibus neminem mirari aditum ad dignitates viris excellentibus non patere: Cottonum pergere in Historia ad illum mittenda.

— 27. *uxor*] (*Burn. MSS.*) 367, 66:

"Memoires particuliers pour ma femme.

"Premierement Je vous prie de vous recommander extraordinairement a la garde de bon Dieu, qui jusques a present nous a faict tant sentir de ses benedictions, pour lesquelles il nous fault de plus en plus humilier, et le prier pour nous et touts les notres.

"Je vous recommande nos enfants, que en toute douceur les instruisiez a la pieté et aux bonnes meurs, et si ne venez tost, m'envoyer quelcun.

"Je vous recommande mes livres, que personne du monde ne les manie, ni touche que vous et mon nepueu. Faictes que au plustost je les aye par voye seure, et le tout par le conseil de nos amis, surtout de Monsieur le President de Thou, et de Monsieur l'Ambassadeur d'Angleterre. Vous scavez que puis que il nous fault icy demeurer quelque tems, il m'est impossible de me passer d'eux, et surtout de mon coffre ou sont mes papiers.

"Si nos amis vous conseillent de haster vostre retour, il faudra faire venir mes livres avec vos hardes par navire expres. Mais quant a Isaac je desire qu'il vienne avec mon coffre.

"Quant a mon sejour de par deca, asseurez mes amis, que ma resolution sera tousjours le commandement du Roy ou de la Reine, et que ou que je sois, je suis et seray toute ma vie vray Francois. Et ce que je desire avoir mes livres, cest pour parachever icy certains oeuvrages, affin que, si je suis rappelé en France, Je sois delivré de ces souris.

“ Quand au faict de la religion, souvenez vous des discours qu'avons tenu ensemble : et scachez que le principall est de mettre toute nostre confiance en la mort et passion de Jesus Christ : et de tascher a bien vivre : dequoy Dieu face la grace a vous et a moy, et a touts mes enfants. Vous scavez combien j'admire l'Eglise d'Angleterre, ou l'on a osté les abus que le long temps a introduit en l'Eglise Romaine ; et on i a gardé la forme de l'Eglise ancienne : que les autres ont entierement faict neufue. Il est impossible que ceulx, qui ont diligament estudié l'antiquité, adhære a eux sans grand regret, veu mesmes que l'amour de ces nouveautés est de tres dangereuse, et de tres pernitieuse consequence. Et j'ay oui tenir et defendre a M. du M. des maximes que je deteste, et detesteray vivant et mourant. Brief la theologie des scavants prelats en Angleterre est en plusieurs poincts fort contraire.

“ Si voyez M. Fronton, dites luy que je luy envoyeray bientost, Dieu aidant, une Epistre, que le Roy m'a commandé luy escrire. Il s'agit des droits des Rois, et de la puissance temporelle des Papes. Dites luy que si ils veulent qu'on parle de paix et concorde, il fault commencer par la envers le Roy : qui est tres æquitable ; et le seroit encor plus, si on traittoit avec luy par raison. Remonstrez luy que ceste doctrine de desposer les Rois par le Pape, que je tiens estre sortie du Diable et de l'Antichrist, est la seule cause pourquoy par deca quelques catholiques sont quelquefois executés, et que si cela continue, ils contraindront le Roy a faire pis.

“ Souvenés vous de faire faire un cachet, pour marquer la vaisselle d'argent : ou il y ait mes armoiries et les vostres, qui sont un Olivier, tel qu'il est aux livres de vostre maison.”

834, 27. *literas*] Ad Erpenium Ep. 719. Exspectari ejus Epistolam : an literæ per Bauderianum missæ ad Chabanæum et Thuanum pervenerint ?

Ad Frontonem Ducæum Ep. 725. Literæ ejus acceptæ. “ Amo antiquitatem, colo veritatem : quicquid aut huic repugnat, aut ab illa damnatum est, detestor et abominor. Quare aut silendum mihi est, aut danda mihi hæc venia est, ut quæ neque vera esse credidero, neque antiquitati σύμφωνα, de iis libere quid mihi videatur dicam. Scis te discedenti

mihi Parisiis per epistolam et verbis etiam significasse rem me tibi et omnibus tuis esse facturum gratam, si Regi Magnæ Britanniæ auctor essem, ut crederet neminem vestrum erga ejus Majestatem male esse affectum; optare quinimo læta ei omnia, atque illud inprimis, ut facilem se præberet in hac Ecclesiæ Dei scissura tollenda. Quo etiam epistola illa spectabat, quam mihi a te mei (*uxor nempe*) attulerunt, qua agis mecum ut de vestræ societatis integritate verba Regi faciam: quando omnibus, quæ nonnullis vestrorum scriptorum objici solent, plene per eum esset responsum, qui famosum libellum AntiCottonem nova apologia refutavit. Hæc cum ita sint, postquam ego tua mandata serenissimo Regi exposuissem, evenit non ita multo post, ut Rex Apologeticum vestrum nactus, me statim vocaret et coram multis Episcopis ac Proceribus diceret, En tibi Casaubone, librum cum Patris Frontonis professione belle congruentem: invenies in eo defensionem auctorum qui istam Principibus perniciosam doctrinam docent: invenies nuperum Bellarmini scriptum Satanicum non obscure defensum: invenies auctorum proditionis pulverariæ, qua tetrius quicquam fingere ne Diabolus quidem potest, acriter defensam innocentiam, et ipsos glorioso Martyrum choro adscriptos: invenies denique, ait Rex, omnia contraria verbis Frontonis. Quin etiam jussit me ejus Majestas librum auferre domum, et rationes expendere quæ ad defensionem novæ doctrinæ afferebantur. Præcipue vero jussus sum iis attendere quæ de rebus Anglicis Apologista ille narrat. Quod ubi fecissem, et sincere Regi exposuissem quid mihi placuisset, quid displicuisset, placuit illi ut hæc omnia tibi significarem, quo semel efficerem ut intelligeres a quo sermonum genere esset iis abstinendum, qui benigne excipi a Majestate ipsius postularent. Se quidem huic ecclesiæ scissuræ ingemiscere; sed omnia tamen potius esse facturum, quam ut iis aures præberet, qui novam hanc doctrinam de regno temporali Papæ, de cædibus Regum excommunicatorum, de martyrio proditorum, etc. aut palam defenderent ut multi Alastores, aut per circuitus ut Bellarminus et Apologista hic, et sexcenti alii. Quod jusserat Rex feci, et Epistolam ejus argumenti ad te scripsi, quam dudum misissem,

nisi quædam adhuc deessent ex Epistolis Garneti manu scriptis adjicienda. Brevi, ut spero, eam Epistolam ad te mittam." Omnipotentiæ temporali bona fide esse renunciandum: Savilium Etonæ sumtibus ingentibus et regia magnificentia curare editionem Chrysostomi. "Scito in Reginæ potestate me esse ac semper futurum, dum spiritus hos reget artus. Patribus Sirmondo et Cottoni plurimam, nisi grave est, a me salutem."

Ad Thuanum Ep. 726, rogans ut uxori suæ consilii ipsius copiam faciat: libris se suis carere diutius non posse: scripsisse epistolam ad Frontonem.

836, 19. IV. *Non. Mai.*] Ad Thuanum Ep. 727. Accepisse se ejus literas: Historiam cujus spes facta est quotidie conscribi: "Sed quum instituisset auctor brevem in tuam gratiam ὑπομνηματισμὸν, exiit opus grande et fere justa historia rerum Elizabethæ: nihil ibi studio partium datum. Urget Rex propositum: sed tempore est opus."

838, 4. *Eid. Mai.*] Ad Thuanum Ep. 728 scribit per virum bonum Theologum et Sacerdotem quem commendat: putare se accepisse illum quas ante discessum uxoris, quas ea discedente, quas post discessum ad illum scripsit: promissum a Rege Commentarium non adhuc expectandum.

— 7. XVII. *Kal. Jun.*] Ad Thuanum Ep. 729 crebras se mittere non vereri. "Filium meum ut auctoritate tua in officio retineas, et lascivientem in studiis et vita, neque certum ullum sibi scopum proponentem jubeas meminisse sortis suæ et voluntatis meæ supplex te oro."

839, 1. *cæcitatem*] 363, 115 (*Burn. MSS.*) "Jac. Cappellus Is. Casaubono V. Cl.—Accepi, vir præstantissime, literas tuas indices tui in me amoris etiamsi mea forte culpa paulo commotius scribas. Sed ita me Deus amet, ut ego nihil scripsi tui offendendi animo. Meministi quos mecum de cœna Dni sermones habueris. Ego non modo transubstantiationis portentum improbo, detestor, horreo; sed ne in somniis quidem persuadere mihi possum rem a vero tam alienam fuisse a patribus pro vera habitam, quamvis multa scripserint, quæ in speciem huic figmento favere videantur. Tu paulo aliter sentiebas. Ego id Bellarmini subtilitati et Perronii eloquen-

tiæ acceptum tuli, et speravi futurum ut in Anglia ea audias, quæ dubitationes cum quibus pridem colluctaris ex animo tollant. Hoc mihi volebam: quod si durius et ἀγροικότερον sententiam meam expressi, rusticitatem meam excusatam habebit humanitas tua. Neque vero id tantum a te supplex peto, sed etiam per eum qui salutem nostram morte sua repræsentavit, enixissime oro, obsecro, ut in iis controversiis, quæ in Anglia fervent, pacis sequester sis potius quam ut quidquam inclementius scribas dicasve de Puritanis, quos vocant, aut de Gallicanis ecclesiis, a quibus tot annos lac pietatis suxisti. Ego a pietate et ingenii tui candore bona ac fausta omnia spero, maxime cum adversus nostros hostes scribas. Mihi quoque excidit ἔκτρωμα tuis oculis minime dignum, nisi forte censor aut monitor esse digneris. Tuum autem adversus infelix Ignatii lolium πάναρτον avidus expecto. Bene vale, vir eximie. Deus Filium tuum natalibus restituat teque ac tua omnia servet, ac sospitet. D. Melvinum quid moretur miramur. D. Tilenus te salutat. Iterum vale. *Sedani Id. Mai.* CIↃ IↃ CXI."

843, 9. *voluntate Reginæ*] Ad Thuanum Ep. 750. Tertiana se laborare, sed delatam a Rege promissæ historiæ partem mittere. "Pervenit rumor ad Regis aures velle Reginam ἀποτόμως me revocare, quod ille statim in contumeliam suam fieri dixit. Suspicatus est tamen postea malevolos meos id consilium Reginæ suggessisse de me, opinor, ne cogitanti quidem. Multa haberem quæ tibi scriberem si nunc haberem tempus. Ego sancte juro me in potestate Reginæ semper futurum: oraturum tamen ne velit esse κυσὶν οἰωνοῖσί τε κύρμα. Nam ut illi doctrinæ consentiam, aut desinam detestari, nulla vis me adegerit." Commendat illi uxorem suam.

845, 15. *episcoporum*] Roffensis, Johannis Buckeridge, qui Eliensis 1628, obiit 1631, et Glocestriensis, Ægidii Thompson, qui obiit 1612.

847, 6. III. *Kal. Jul.*] Joan. Spotiswodum, Archiepiscopum Glascoensem Ep. 1047. de se et rebus suis.

— 27. *Epistolæ ad Frontonem*] Ep. 730, prolixi sane libelli, de Apologia Jesuitarum.

849, 30. *literas*] Ad Thuanum Ep. 731. Humanitatem ejus

in uxorem suam gratum se accipere: Thuanos se non reperire in Anglia: Historiam a Rege missam omnia vera continere.

Ad Baudium Ep. 732. Tertianam se habuisse. Uxorem Parisios reversam Reginam pene detinuisse: neque Regem per Legatos aliud impetrasse, nisi ut rediret uxor, maneret bibliotheca.

Ad Rutgersium Ep. 733. Silentium suum excusat, æger, vexatusque absentia librorum atque uxoris. "Illa ut Lutetiam venit, longe aliam rerum faciem invenit atque ipsi opinabamur. Quam ubi Regina primum vidit, Opportune, ait, rediisti, nam ego marito tuo scripsi ut statim rediret, neque volo, ut ipsa in Angliam revertaris. Hæc et uxori et mihi valde nova acciderant: sed caussam puto me ante tibi significasse. Nam animadverti a principio versari errorem in meo negotio inter Reginam Galliæ et Regem Magnæ Britanniæ. Hic putat me sibi ἁπλῶς concessum: illa ait, ad tempus. De hoc scito necdum inter eorum Majestates convenire. Itaque urgente serenissimo Rege mihi quidem facta est facultas manendi hic diutius et uxori redeundi; sed librorum afferendorum negata illi est potestas. Caussa redditur in scriptis ad me literis: ne semel nactus bibliothecam patriæ obliviscar.——Detinet uxorem Lutetiæ morbus filiolæ utrique parentum charissimæ."

849, 30. *Legatum*] Henricum Wotton.

850, 28. *Chabanæo*] 363, 145 (*Burn. MSS.*) "Isaacus Chabanæus venerando avunculo Isaaco Casaubono S. P. D. Postquam amita diu deliberavit, utrum me vel Adamum ad te mitteret, cum modo me, modo illum dicebat se missuram, tandem constituit Adamum mittere. Ego vero, venerande avuncule, qui dudum lætitia gestiebam, qui gloriabar quod brevi te videre sperarem, hem spes irrita mea cecidit, non tamen prorsus amissa est, sed paululum dilata, tantisper dum amita Angliam iterum petat. Interim ruricolæ Grignii hærebimus. Hodie alterum stipendii tui trimestre accepimus. De aliis rebus domesticis puto amitam tibi satis superque scribere, quare de iis te non obtundam. Recens in hanc urbem allatus est liber, a D. Plesseio in lucem editus, cui nomen est *Mysterio iniquitatis*, a paucis adhuc visus, quique non palam venalis

exponitur. Hic liber, ut audio, *πρᾶγμα παρέχει τοῖς περὶ Ῥωμαίους.* Volebat amita ad te mittere, nisi audivisset D. Plesseium Epistolam Latinam ad Regem Angliæ huic libro præmisisse, eaque de caussa plura exemplaria et facilius quam heic repertum iri autumat. Sin aliter res est, et cupis habere, fac nos certiores et mitti curabimus. Vale, venerande avuncule. Scripsi raptim VII *Kal. Jul.* CIↃ IↃ CXI."

*A Monsieur mon oncle Monsieur Casaubon.*

851, 24. XV. *Kal. Aug.*] Ad Hœschelium scribit Ep. 734, per amicum. " Postquam Lutetia discessi, a meis absum, nisi quod uxor media hyeme nuper me invisit; sed mox quia res domi reliquerat incompositas, repetere Galliam coacta ne nunc quidem rediit. Et sunt multæ graves caussæ quæ illam detinent. Interim bibliotheca mihi carendum et omnibus chartis meis.——Conficior mœrore, et Chrysostomi lectione assidua animum recreo." Vitam Antonii ab illo missam gratus accepit.

Ad Mortonum Ep. 735. Libellum (ad Frontonem) absolutum velle se emendare consilio illius et doctrina adjutum. " Uxor te ex animo salutat per suas ad me literas. Detinuit eam aliquandiu Lutetiæ voluntas Reginæ, quæ mei revocandi impetum ceperat; sed hanc mentem Deus et Rex serenissimus fecerunt ut mutaret."

854, 14. *Legato*] Henrico Wotton Venetias proficiscenti.

— 18. *magnificentius*] Pari magnificentia hospites suos excipiunt, qui nunc sunt Mercatores Scissores.

— 25. VII. *Kal. Aug.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 736. Alterum tomum operis Cottoni brevi exspectandum: anxium se esse et inopem consilii. " Filium (*Johannem*) in Navarreno Collegio habitare didici ab aliis: curarum mearum pars non minima is filius est, qui nisi tuis salutaribus consiliis morigerum se præbuerit, nulla de eo spes mihi reliqua."

856, 22. *Kal. Aug.*] Lingelshemio Ep. 737 serius respondet. " Solus meorum cum parvo filio (Merico) qui literis dat operam in Gymnasio Etonensi in Anglia adhuc sum. Uxorem, postquam omnia ad iter præparasset, morbus filiæ (Annæ) longus et difficilis detinet. Accedit alia calamitas, quod bibliothecam meam huc transferri nisi ex parte Regina Gal-

liarum non patitur; quæ sic me concessisse ait serenissimo Regi, tanquam aliquando repetitura. Ita mihi et libris et chartis carendum meis; quod mortis instar mihi est." Frui se cupere colloquio ejus: Regem in venationibus comitem habere libellum ad Frontonem: scripsisse se ad Eliam in suburbano Episcopi Eliensis, qui Torturam Torti scripsit.

Hœschelii se literas ante annum tertium exaratas accepisse agnoscit Ep. 738: vidisse se cum dolore literas Velseri querentis negligentiam suam in scribendo: vitam Antonii laudare: de rebus suis, et Savilii Chrysostomo.

863, 16. *Eid. Aug.*] Ad Overallum decanum Paulinum scripsit Ep. 739. Vigesimum se diem Dunamiæ hærere: frustra exspectasse Chabanæum et uxorem: cogitare Londinum proxima hebdomade. "Accedit et caussa alia; quod hic in ferculorum et omnium ἐπιτηδείων copia, librorum subsidio plane destituor: quippe celerem reditum cogitans vix unum aut alterum mecum attuli. Quod si Dominus Richardsonus et Thomsonus noster sua copia meam non sublevassent inopiam, literas, credo, jam τελέως dedidicissem."

864, 1. *liberationem*] Vide 785, 30. "1603. At this time the King forgot not a great deliverance he had formerly had; which tho' it were had in Scotland, yet he would have notice taken of it in England, which was his deliverance from the conspiracy of the Gowries on the fifth day of August three years before; and thereupon Friday being the fifth of August was by commandment appointed to be holy day with Morning Prayer, Sermons, and Evening Prayer that day, and bonfires at night; which was then and after during his life solemnly observed." *Baker Chronicle, p.* 506.

Ad Thuanum scripsit Ep. 740. "Ego, ut valeat uxor, ut liberi, a duobus fere mensibus ignoro: a libris autem meis abesse me tam diu, vix sine lacrymis recordari possum. Uxor se partem aliquam librorum missuram, spem fecerat; cujus promissi exspectatione quum recreassem me aliquamdiu, nunc, ea spe missa, nec quid dicam scio, nec quid metuam aut sperem. Certe mea studia non jacent, sed extincta sunt." De Episcopo Eliensi, et vita Melancthonis a Camerario scripta. Mittit literas ad uxorem deferendas.

871, 19. *turbas*] "Angl. *turfe.* Non male forte petas originem vocis ex illis Scholiastæ verbis in Equites Aristophanis, ubi tradit τυρβάσας proprie poni pro τὸν πηλὸν ταράττειν, limum commovere, aquam limo excitato turbare; quod nemo non videt optime quadrare in bituminosos Batavorum cespites ex imo aquarum fundo eductos." *Fr. Junii Observ. in Willeramum, p.* 256.

872, 23. *Paneg.*] Augustinus Episcopus contra Cresconium Donatistam, de Maximiano Episcopo contra Primianum electo, gravia a Donatistis et circumcellionibus perpesso "De excelsa turri noctu præcipitatus subter cinere stercoris molliter jacebat exceptus." *Lib. III. p.* 47.

Voces "Audi ergo quædam quæ ipse sum expertus" occurrunt p. 49.

— 25. *Animadvers.*] In Bellarminum?

878, 26. *literas*] Ad Thuanum Ep. 741, Londinum se Elia et ab Episcopo Eliensi post quadraginta et octo dies redisse: unde factum est ut Epistola ad Frontonem non sit missa. "Angor animi, ac dies noctesque crucior. Ut olim Bellerophon ὃν θυμὸν κατέδων, et ut Turnus apud Poetam, amissa pugnandi facultate, imam sibi optat tellurem dehiscere, sic ego, quoties subit animum cogitatio de meis prioribus inceptis et studiis, vitæ hujus lucem prope jam habeo exosam: vivere enim cordatis hominibus agere est: ego autem nihil ago, et vivo tamen." Allatam sibi epistolam multarum chartarum a Perronio docte scriptam, cui respondendum, si Rex jusserit.

880, 16. *hæresi Vorstiana*] "And now entering into consideration of this title, of being Defender of the Faith, he conceived it might extend not only to his own dominions, but in some sort to neighboring countries: if not in authority, at least in care: and hereupon hearing that the States of the Low Countries were determined to entertain one Vorstius to be public Professor of Divinity in Leyden, and knowing him, tho' otherwise a learned man, yet tainted with many erroneous opinions concerning the essence and substance of God, making him to be quale et quantum; changing Eternity into Eviternity: teaching eternity to consist of a number of ages, and denying God to be purus actus, but to have in

some sort aliquid diversitatis et multiplicitatis in seipso, etiam principium cujusdam mutabilitatis, he earnestly solicited the States both by his own letters and by his leiger Sir Ralph Winwood, by no means to admit the said Vorstius into that place, lest his doctrine having once infected their country might soon after spread itself into his dominions. Which request of his after much soliciting the States at length granted and expelled Vorstius from amongst them." *Bishop Goodman.*

881, 3. *Princeps*] Henricus Walliæ Princeps.

886, 19. VI. *Kal. Oct.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 701. "Illustrissime vir, rediens ex aula didici a D. Legato (*Bauderiano*) discedere certum hominem, qui meas ad te esset tuto laturus, scripsi igitur raptim hæc pauca, ut scires paucis diebus ternas me ad te dedisse. Animi mei τὸ ἀμήχανον ex iis intellexisti. Neque facile dicere possim, quæ suspiria quotidie edam, dum cogito perire mihi omne tempus, quod scis esse πολυτελέστατον ἀνάλωμα, et cujus unius est honesta avaritia. Ego vero annum integrum libris careo, et aulam sequor, hoc est, nugas ago. Misit quidem uxor chartas meas; sed plerasque adhuc desidero; et si omnes haberem, quid illæ mihi sine libris meis prodessent? Omnino aut revocate me serio, aut permittite libros afferri, ne, male tempus omne perdens, male peream. Uxorem in itinere esse conjectura quadam adducor ut credam. Utinam ita sit. Utinam Dominus Jesus fortunas meas ex hoc salo recipiat tandem in aliquem tranquillitatis portum. Alioquin φροῦδα sunt mea omnia incepta. Rex spem facit mittendi, quæ exspectas, brevi."——

887, 21. III. *Kal. Oct.*] Ad Lydium scripsit Ep. 742. Gaudere se operibus Clemangis ab eo editis: "Jure quereris de licentia nostri seculi in proferendis novis subinde dogmatis. Nova et impia sunt quæ nuper apud vos quidam (C. Vorstius) de natura Dei ausus est proferre in lucem. Ego librum non legi, sed Rex qui legit diligenter mira mihi narravit et detestanda. Audio tamen plerisque isthic eum librum probari; credo, quia nova sunt quæ dicuntur: φιλόκαινοι enim plerique sunt e nostris, καινοφωνίας amant. Pelagianismum quod detestaris laudo, et ego tecum sentio, sed videndum nobis

etiam atque etiam ne dum hæresim illam vitamus, in Manichæismum incidamus, et fatum nescio quod stabiliamus. Denique sic existimo, veterem Ecclesiam, quæ utramque hæresim pie damnavit, non temere esse pedibus calcandam, quod multi hodie faciunt. Errores Papisticos detestor, siquis alius, sed dum tendimus in contrarium, excedi modum nolim."

Ad P. Bertium Ep. 743. Dissertationem ejus se perlegisse, nolle judicare. Pelagianismum qui fugiunt ex iis multos in partes Manichæorum transire ; utrumque fugiendum : magni se facere consensum primævæ Ecclesiæ : non probare Molinæum defendentem hanc thesin, Sacram Scripturam nulla cujusquam interpretatione opus habere.

892, 9. *Pr. Id. Oct.*] Ad Heinsium scripsit Ep. 744. Epistolam ad Frontonem probaturam se non transiisse ad Loiolitas : Patres priscæ Ecclesiæ non habendos ludibrio : Molinæum culpandum esse qui Cyprianum appellat Anabaptistam : φιλοκαίνους sibi non placere : Theologos esse in Anglia Episcopum Eliensem, Episcopum Vintoniensem, Decanum Paulinum.

— 11. *domum*] In vico dicto St. Mary Axe.

894, 4. XV. *Kal. Nov.*] Ad Heinsium scribit Ep. 745, venisse uxorem cum parte librorum ; mittere se libellum adversus Jesuitas scriptum.

— 9. *nos*] *Corrigendum*, vos.

895, 6. VIII. *Kal. Nov.*] Ad Frontonem Ducæum cum Ep. 746, mittit Epistolam prolixam (730) jam editam, non, ut constituerat, manu descriptam : Apologetici auctorem se ignorare : nullam cum Jesuitis privatam simultatem intercedere.

VII. *Kal. Nov.*] Ad Th. Mortonum cum Ep. 1048 mittit Epistolam suam ad Frontonem.

— 10. *literis*] Ad Thuanum Ep. 747. Mittit Epistolam ad Frontonem. " Utinam qui rerum isthic potiuntur, ex rei veritate judicent, non ex anticipatis opinionibus, sed ut nunc vivitur, vereor ne male omnia interpretentur. Ita mihi dulcissima patria fuerit carendum. Omen avertat Deus Opt. Max. Si tamen id acciderit, dabo operam ut exilii mei caussam omnes intelligant."

Ad Meursium Ep. 748. Mittit libellum, et petit ut mutua exerceatur scriptio.

Ad Baudium Ep. 749, se sibi videri jam ἐκβαρβαρῶσθαι: partem librorum allatam: multa desiderium patriæ in animo suo excitare.

896, 11. *epistolam*] Vide 880, 16.

897, 1. *literas*] Ad Thuanum Ep. 752. Quatuor exemplaria Epistolæ ad Frontonem missa per Præfectum equorum dispositorum Thuano, Cancellario, Villeroy, Frontoni: Esse qui dictitent Loiolitas irritaturos in se Regem et Reginam: de responsione ad Cardinalem ne sit sollicitus: Filium commendat hortationibus ejus.

Ad Labbæum Ep. 753. Laudat meditantem historiam Regum Galliæ illustrare: libros ejus generis invenisse se in Bibliotheca Roberti Cottoni: Regem unico genere literarum capi, cujus generis libros ad Regem quotidie delatos sibi legendos.

— 8. *opellam*] Epistolam ad Perronium.

— 12. *literis*] Ad Mortonum Ep. 751, egisse se cum Bilio, ut literas traderet, atque duo Epistolæ ad Frontonem exemplaria, quorum alterum Episcopo Wintoniensi tradendum; judicium ejus exspectari.

— 19. *Johannem*] 363, 82 (*Burn. MSS.*) "Viro Clarissimo Isaaco Casubono S. D. Joannes Camero. Næ ego infœlix sum, vir clarissime, qui toties ad te frustra scripserim; nulla tua culpa, sat scio. Tametsi enim non sim is, in cujus gratiam tu te ab occupationibus et studiis gravissimis debeas avocare, tamen ea tua est humanitas, ut si meæ literæ tibi fuissent redditæ, omnino responderes. Non enim, puto, ingenium exuisti. Καὶ τοῦτο μὲν δὴ οὕτως. Gravem suscepi contentionem cum obtrectatoribus tuis, qui tibi filii ἀποστασίαν, et Anticotonis proditionem objiciunt. Obsecro te, optime Casaubone, per quicquid tibi carum est, ne hanc injuriam inultam sinas. Nam, crede mihi, a Loiolitis profecta est, cum quibus bellum gerere est Christo et Ecclesiæ militare. Si existimationem tuam ab horum calumnis vindices, et Deo gratam et Ecclesiæ utilem et tibi necessariam navaveris operam. Ea tua est apud bonos omnes gratia, ea etiam apud hostes tuos autoritas, ut si vel digitum tollas, futurum sit ut omneis conticescant. Nolis igitur tibi deesse. Vale,

vir clarissime. Dominus Jesus Christus tibi, lectissimæ uxori, liberis tuis, totique adeo familiæ quam cumulatissime benedicat. Qui has litteras tibi redditurus est, est adolescens præclaræ indolis, Petri Gallobæi celeberrimi concionatoris filius. Is te ita veneratur, ut, si eum amicitia tua digneris, Regem se fore existimet. Ego illi prædicavi humanitatem tuam. Satis scio, quæ est suavitas morum tuorum, te effecturum ut prædicationem meam res ipsa vincat. Iterum vale. Id. Octob. 1611. Burdegalæ."

898, 6. *Cantero*] 363, 93 (*Burn. MSS.*) "Quantis, vir doctissime pariter ac humanissime, instabilis fortunæ fluctibus, præter omne meritum, instar turbinis, agitatus jactatusque fuerim, et ut diuturno carceris tædio, nulla innocentiæ, nulla ætatis habita ratione, affectus (nulli enim aditus ad me patebat) mœrore ac tristitia pene contabuerim, non dubito quin ejus rei fama ad aures tuas pervenerit. Eaque mihi injuria illata (quamvis satis magna) adversarii inimicique mei, qui pariter et accusatoris et iudicis officio functi sunt, non contenti, insuper me exilio mulctarunt, bonis possessionibusque præter omne fas et æquum, præterque patriæ inveteratam consuetudinem, spoliarunt. Nunquam enim apud nos fando auditum est, aliquem exilio mulctari, et insuper possessionibus spoliari privarique. Si apud æquum et incorruptum judicem, quique nulli parti addictus esset, caussa mea agitata discussaque fuisset, certo persuasum habeo, longe aliud futurum fuisse judicii exitum. Itaque non inconsultum mihi visum fuit, pro ea quæ mihi a multis annis tecum intercedit amicitia, querelas meas ad te deferre obnixeque petere, ut caussæ meæ patrocinium suscipere, et ab hac injuria quantum potes vindicare digneris. Quare etiam atque etiam rogo atque obsecro, ut apud serenissimum magnæ Britanniæ Regis Legatum, auctoritate et gratia qua plurimum apud Regem et in aula vales, vel per te ipsum, vel per alium tibi amicum, tantum perficere digneris, ut sua apud Ordines Generales intercessione bona mihi per summam injuriam præterque patriæ morem et consuetudinem ablata restituant, indictumque exilium aboleant. Quod si, ut spero, preces querelasque nostras te adnitente exaudire dignatus fuerit, meque

ab injuria vindicaverit, Deo Opt. Max. pro incolumitate sua tuaque in perpetuum vota facturus sum. Super his vale amicorum optime, et nos quod facis, amare perge. Raptim Antverpiæ x Octobris. Tuus ex animo Theodorus Canterus.

"Idem dictum factumque velim de Collega meo Henrico Helsidivico, qui mecum eandem incurrit fortunam. Si pravis Vorstii et aliorum in religione opinionibus aures præbere eorumque patrocinium suscipere voluissemus, non ea adfecti fuissemus injuria.

"Siquid ad me curatum velis, mittes Antverpiam ad Joannem Morelum typographum in officina Plantiniana vel ad D. Andream Schottum."

94. x Januar. 1612. Canterus queritur res suas eodem esse loco.

Casaubonus respondet Ep. 755. "Et voluptatem magnam ex primo aspectu tuarum, venerande Cantere, accepi, et mox ex earundem lectione dolorem longe maximum. Sciveram aliquid molestiarum tibi esse obortum nescio ex qua caussa: de carcere, exilio, jactura bonorum nihil adhuc audiveram. Itaque perculit me is nuncius.——Quod me rogas ut serenissimum Regem appellem, petamque ab ejus Majestate ut gratia sua apud Ordines te sublevet, id vero ego rei gestæ penitus ignarus qui satis commode possim non video. Accedit illud incommodum quod frigusculum quoddam intercedit inter ipsum Regem et Ordines. Videbo tamen siquid tua caussa potero, et ad omnes occasiones ero intentus, ut quibuscunque modis si non possim commodis tuis consulere, existimationem tamen, quod in me erit, tuear sartam tectam."——

21. *Wintoniensi.* Thoma Bilson 1597, qui fuerat Vigorniensis 1596, obiit 1616.

899, 25. v. *Kal. Dec.*] Ad Lingelshemium scripsit Ep. 756 de mutuo ipsorum amore, de expectatis libris, desiderataque adhuc illorum parte, de edita ad Frontonem epistola, alia ad Perronium scripta.

Ad filium Joannem Casaubonum Ep. 757. "Fili, heri reverso mihi ab aula mater tui amantissima literas a te reddidit, quas illa quidem pro suo jure aperuerat, sed quia Latine erant scriptæ parum intellexerat. Dum has illi κλινήρει οὔσῃ

e morbo pedis assidens lego, et de te sermones cum ea habeo, et communibus votis Deum pro tua felicitate, hoc est, pietate et virtute oramus, ecce a cursoribus traditur fasciculus quem ipsis tradideras mihi afferendum. Etsi immani pretio redimendus fuit mihi ille fasciculus, lætatus sum tamen diligentia tua, cujus adhuc nullum par exemplum edideras: binas enim tuarum satis copiose scriptas eodem die me accepisse gaudeo equidem, teque oro non jam ut alios, sed ut te ipsum imiteris, et hac in parte sis semper diligentissimus. Me ut vincas diligentia tibi contendendum erit strenue: nam ego me vinci in eo genere ne a filio quidem patiar. Faxit ὁ Θεάνθρωπος Christus, ut semper occasionem habeas lætam scribendi ad lætos parentes. Quod quereris non eum honorem esse tibi a me habitum, ut Epistolæ nuper editæ exemplar ad te mitterem, laudo cupiditatem, probo querimoniam: nolo enim aliquid committere, cur possit quisquam existimare quicquam in rebus humanis secundum matrem tuam mihi esse te carius. Sed debes, fili, hanc opinionem de me sic fovere, ut quicquid eveniat benigne interpreteris, et semper in partem meliorem. Noli credere officio meo unquam me σὺν Θεῷ defuturum: tu vide ne desis tuo. Scripsi vero ad te jam ante, propterea me ad nullum amicorum meorum isthuc exemplaria misisse, ne pro vectura cursores duplum aut triplum exigerent ejus quanti liber potest æstimari. Semel tibi exponam quid gestum sit. Tu, ut me apud amicos tuearis, vide. Qua fere die ad serenissimum Regem librum misi post absolutam editionem, eadem quatuor exemplaria cursoribus Regiis tradidi inscripta D. Cancellario, Thuano, Villaregio, et Frontoni. Putavi officii mei esse ut et magnatibus illis facti rationem redderem, et Frontoni hunc honorem haberem ut primo illi e privatis omnibus amicis meis mitterem. Postridie quum esset data occasio duorum cursorum, misi unum exemplar ad illustrissimum D. Cardinalem Perronium, alterum ad Legatum serenissimi Regis Magnæ Britanniæ. Postremo quia Dovardus significaverat velle se ejus libri exemplum habere, quod amicis ostenderet, unum illi misi per alium cursorem, parum sollicitus, quantum esset pro vectura exacturus. Habes, fili, historiam omnium librorum, quos ad hanc diem in Galliam misi. Volui

ad te et amicos mittere; sed putavi exspectandam facultatem mittendi sine ulla cujusquam graviore impensa. Hanc excusationem volo te probare, et aliis quæ dixi narrare. Venio ad colloquium illud, cui te ais interfuisse. Narras clarissimum Frontonem et Peleterium cum nobili Anglo, te præsente de illo scripto sententiam tulisse; et quidem Peleterium plenis velis in me esse invectum, Grammaticum vocasse, stylum damnasse, virum nullius judicii appellasse. Primum tibi de Frontone respondebo: si ita ille animatus est, ut doctrinam parricidalem aut palam aut clam probare queat, non mirari debere me, si ei parum probatur ea scriptio, quæ tota adversus Satanicam et novam doctrinam est suscepta. Ego de illo sensi melius. Si non respondet et veritati assentitur, faciet quod verum theologum decet. Si tacet ipse, et alios submittit, e re nata consilium sumemus; neque caussam Dei aut Principum unquam prodemus. Scribant quicquid voluerint Bonarscii, Gretzeri, Andreæ Græculi, et quicquid est crabronum; non magis movebor quam si musca in me involaret. Deus Opt. Max. a me stat: veritas a me stat. Caussa Regum agitur, et quidem contra parricidas inauditos. Et ego timebo? Aut deerit mihi animus? Deus meliora. Peleterii vero judicium non magis reformido quam par est. Illene me Grammaticum vocat? Ille meum stylum damnat? Asinus, stultus, imperitus, nebulo, vappa de eo viro sine honoris præfatione loqui non debet, quem scit orbis terrarum (absit verbo invidia) non sine aliqua utilitate publica literas Græcas et Latinas excoluisse. Abeat Peleterius ad lustra et popinas, ibi judicet de forma scortorum et vini saporibus, de literis abstineat judicare *ὄνος πρὸς λύραν*. Taceo quam tota Lutetia norit in rebus Religionis indifferentiam; quæ ab Atheismo quot gradibus differat ipse viderit. Et his notis insignis nebulo de me graves sententias dicet? Ego vero Deo gratias ago, quod ea scripserim quæ illi displiceant: bonis sine dubio placebunt, quæ pessimo viro non placent. De stylo quidem judicare meo adeo non potest, ut priusquam intelligat mea scripta, multi illi anni in scholis sint ponendi. Si ausus sit in me aliquid, erit unus e meis famulis, qui illum excipiat, ut meretur ipsius detestanda malignitas. A me responsum ne

expectet; tuus fortasse cognatus, aut certe unus famulorum meorum illum depinget suis coloribus. Tu vero, fili, maledictis impurissimi nebulonis ne movearis. Ut nulla sine crista nascitur galerita, sic nemo aliquam ex his studiis gloriam consecutus est quem non comitetur invidia. Scis, fili, meam *ταπεινοφροσύνην*, qui, siquid scio, et non multa sane scio, sed tamen siquid scio, Deo Opt. Max. id totum fero acceptum. Illi honos, illi laus, illi gloria *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.* Moneo te, fili, abstineas a societate id genus hominum. Novi illum, de quo loquor, intus et in cute: acta, verba, ingenium produnt in caussa Religionis profanum, neque hoc te potest fugere. O fuge tales, abhorre, odi, ac detestare: sæpe hoc te præsens monui, nunc absens moneo, quia est data occasio. Oro Deum immortalem, et quotidie orat pia mater tua, ut tibi adsit, te servet, tibi benedicat. Vale.

900, 8. *Kal. Dec.*] Ad Hugonem Grotium cum Ep. 758 libellum mittit, Epistolam nempe ad Frontonem, ut se illius memorem sciat.

901, 4. *Non. Dec.*] Ad Heinsium scripsit Ep. 754, acceptas se ab illo literas legisse coram Rege et Episcopo Eliensi qui adamarint prudentiam illius et sinceritatem.——" Ago tibi gratias—quod adversus meos calumniatores semper firmus steteris.—Quicquid hostes professi antiquæ Ecclesiæ dicant, *ὁ φόβος τοῦ Κυρίου τῇ ἐμῇ καρδίᾳ ἐνιζάνει*—Plane scire te volo et quod Jesuitæ me oderint, et quod isti *καινόδοξοι*, ab eodem fonte utrorumque odium proficisci, amore nempe veritatis quem et hi et illi in me deprehendunt.—Illud gratia Dei vere possum dicere, quum nullam habeam mihi propriam opinionem, id agere me quotidie, ut in sacræ scripturæ lectione et monumentis primævæ ecclesiæ magis magisque proficiam.—At reditum in patriam cogito: sic enim ais istos garrire. Magnum vero crimen, si patriam civis amat. Tamen quod isti aiunt de reditu, vellem scire a quo mea consilia acceperint. Quis hoc illis arcanum indicavit? de quo ne mihi quidem aut uxori meæ aliquid hactenus inauditum. Ego, mi Heinsi, a teneris annis ita me divinæ providentiæ regendum permisi, ut totus ab illa pendeam. Deus est qui me huc adduxit, qui si plane solutus essem a vinculis, quæ me Reginæ Galliarum tenent

astrictum, non dubitarem affirmare ossa mea in Anglia post obitum meum quietura Deo cœptis meis aspirante——." Aristotelis in Poetica mentem illum unum assecutum esse: mirari se elegantiam tragœdiæ quam Honerdus edidit; missurum descriptam ad Perronium epistolam; jussum a Rege Vorstii epistolæ accuratius respondere.

901, 23. v. *Eid. Dec.*] Heinsium Ep. 759 rogat utrum acceperit Ep. 754.

Ad Thuanum scribit Ep. 760, accepisse se literas ejus varia de libello judicia significantes: se non posse diutius carere libris, planeque aut sibi ad Bibliothecam suam accedendum, aut curandum quo ne diutius illis careat: consilium se ab eo petiturum: scriptam ad Perronium Epistolam Regem apud se habere: jussum sibi Vorstio *καινοφώνῳ* Theologo Leidensi respondere.

Ad Lydium Ep. 762, ad ecclesiasticas dignitates nullos in Anglia admitti nisi Anglos *αὐτόχθονας*: ingentem esse theologorum copiam.

Ad Savilium Ep. 1049. De bibliis agit gratias: Gregorium commendat edendum post Chrysostomum: Scaligerum in Mathematicis non excelluisse: de characteribus Stephanicis.

903, 20. xiv. *Kal. Jan.*] Heinsio Ep. 764 commendavit amicum isthuc profecturum.

— 24. *opellæ*] Ad Episcopum Eliensem scripsit Ep. 767. "Non displicuisse Regiæ Majestati appendiculam ad epistolam Cardinalis, vehementer gaudeo. Oro Deum immortalem, ut velit faxitque ejus opellæ, quæ mea non est, sed Regis *εὐσεβεστάτου*, aliquem fructum existere. Sed de illius editione in hac urbe differenda cur priorem sententiam Dominus Rex mutaverit, non video. Ego postquam editionem vidi, quam per te Regia Majestas ad me misit, modis omnibus accelerandam hic editionem judicavi. Quod quidem proxima hebdomade fiet, nisi Rex impedierit. Non debent, quæ alibi parantur, editiones hanc impedire: quæ sine dubio futura est omnium optima. Tum erit locus inserendi, quæ placet Domino Regi adjici. Si ante non constiterit mihi de voluntate serenissimi Regis, die certe Dominico id me precibus ab ejusdem Majestate impetraturum spero."——

904, 12. *novas*] Ad Gillottum scripsit Ep. 765. "Æger eram et *κλινήρης*, quum tuas accepi——sed quum eas legissem, statim exilui *ἐκ τῶν στρωμάτων*, ut hæc ad te exararem. Pupugit enim me acerrime quod scribis de Epistola (746) privatim ad Frontonem scripta, quam ipse in aliam partem rapit, quam fuit a me scripta.——Ille interpretatur me invitum ad ea scribenda esse compulsum, et de tyrannide optimi Principum queri. *Ὦ γεννήματα τῶν ἐχιδνῶν* ! O gentem viperinam ! Eo tempore fuit uxor mea cum liberis et libris Lutetiæ. Constitueram igitur, ne pestes illas irritarem, scriptam epistolam mea manu ad Frontonem mittere. Maximo Regi aliter visum est. Jussit edi.——Quid peccavi nisi hoc unum, quod fidem habui ei viro, quem putavi non malum et mihi amicum?——Vale——et me ama meamque innocentiam adversus calumniatores importunos protege."

— 27. *Perronium*] Ep. 838 prolixa de rebus ecclesiæ. Simul et Ep. 839 "Monseigneur, Enfin je vous envoye la Reponse qu'il a plu au Roy de la Grande Bretagne de faire a votre Epitre. Le Roy s'est servy de moi pour Secretaire, mais la piece est de Sa Majesté. Et ceux qui pensent qu'il emprunte l'industrie d'autruy pour traiter les choses de Theologie, ne connoissent pas combien Sa Majesté est versée es ecrits des Theologiens. En quoy je puis dire sans flatterie que ce Roy est admirable. Il a exactement medité cette sienne reponse: et j'ay fait maints voyages en cour pour cette cause, ayant eu cet honneur d'y aller toujours en la compagnie de Mr. l'Evéque d'Ely, personnage tres docte, tres moderé, et d'une singuliere humanité. Je pense qu'en ecrivant Sa Majesté a garde toute douceur, au moins c'a eté son désir. Je prie Dieu, Monseigneur, qu'il vous conserve longuement."

905, 1. *scripsi*] Ad Joannem Casaubonum Ep. 761. "Heri accepi a Rege epistolam ad illustrissimum D. Cardinalem, cum expressa jussione, ut statim mitterem. Missuro ut Regis voluntati etiam æger satisfacerem, in ipso articulo afferuntur tuæ literæ longe mihi gratissimæ: quanquam ex iis quas ad piam matrem scripsisti, didici te parum valere. Doleo, fili, et Deum supplex veneror ut tibi adsit, te servet et *ψυχὴν καὶ σῶμα* præstet valentem. Volo cures valetudinem: nolo ulli

pecuniæ parcas, quoties postulabit ratio valetudinis. Imprimis Deo Opt. Max. te supplex quotidie commenda, neque obliviscaris disciplinæ domus, in qua es educatus. Per mihi fuit molestum quod scribis de editione epistolæ nuperæ isthic curata. O tetrum genus hominum, unius sui lucri studiosum! Quid faciam? Ita vita est hominum. Multa ferenda sunt dura et molesta. Sed, obsecro, nostin' D. Blakvodum Advocatum Medici filium? Alter jam fere mensis est, ex quo ille a nobis discedens crassum fasciculum a me accepit cui multæ inerant literæ ad te et amicos alios. Inerant et piæ matris epistolæ ad te: inerant et novem aut decem exemplaria ejus epistolæ. Illa omnia te non accepisse demiror et stupeo. Quæso te, scribe quid sit factum; nam ego summopere confido benevolentiæ Blackvodi. Scribis Dominum Cancellarium velle me revocare; et hortaris ut mihi constem simque in potestate Regis et Reginæ. Agnosco, fili, tuam στοργὴν φυσικήν· sed vide ne reversum pœniteat. Scis irritatos adversus me omnes Jesuitas et eorum fautores, ut multi judicent ab illis mihi esse metuendum. Scis honesto me loco hic esse. Lutetiæ quo loco sim futurus, nescis. Tum autem stipendia hic honestissima, ne dicam amplissima, possum consequi. Lutetiæ quis status rerum me maneat, quæ fortuna, neque ulla possum conjectura assequi. Hæc tibi familiariter scribo, fili, ut prudenter apud eos te geras, penes quos est mei revocandi potestas. Equidem in potestate Regis et Reginæ sum futurus, si ea fuerit Majestatis ipsorum voluntas. Sed cogita tot filias, tot naufragia rei familiaris et senectutem meam. Ante omnia Deum ora, ut præsit huic negotio. Inquire quæ sit Procerum voluntas, et statim significa. Narro tibi, misi tandem ad illustrissimum virum Dominum Cardinalem Perronium responsionem Regis ad ipsius epistolam. Ego Regiæ Majestati fui Secretarius. Observa, quæso te, an scriptionis modus summi illius Præsulis animum a me alienarit. Certe id cavi ne ipsum offenderem, et Rex ipse cum ipsius honore totum hoc negotium curavit transigi. Ego nullum in Gallias, aut usquam terrarum misi exemplar nisi ad ipsum Dominum Cardinalem: sed Rex sua interesse putavit, ut unum ad suum Legatum mitteret. Aliud nullum est in Gallia neque futurum

est, nisi Rex jusserit. Si essem ausus, tibi unum exemplar misissem, et alterum viro illustrissimo Domino Thuano. Nuper scripsi ad te, iratus contra Peleterium vappam hominem, qui si mihi bilem moverit, faxo pœniteat impudentiæ suæ. Illæ sunt literæ quas Blackvodo dedi. Fac quam primum sciam quid illis literis et libris sit factum. Scripsi hæc languente manu e morbo: sed cum ad te scribo finem facere non possum. Scribo autem meæ et matris tuæ vicem, quæ sine lacrymis de te nec loqui potest nec cogitare. Tanta est vis *φυσικῆς στοργῆς*. Illa scribit otium nacta *σὺν Θεῷ·* qui te, fili, servet, ac spiritu suo regat et dirigat in viam operum sibi gratorum. Vale. Raptim 28 *Dec. styl. Gregoriano*."

905, 2. *Thuanum*] Ep. 702. "Illustrissime Domine, novissimæ tuarum necessitatem mihi imponunt meis de rebus agendi tecum pluribus verbis. Jubes enim ut semel tibi significem de reditu in patriam quid constitutum habeam. Utinam, Præses amplissime, ea esset temporum conditio, ut a voluntate mea deliberatio illa penderet. Non hærerem animi dubius *οὐδ' ἀκαρῆ τινα χρόνον*, qui nunc in quo acquiescam vix certi aliquid invenio, ne tum quidem cum diu multumque apud me ea de re cogitavi. Hoc primum scire te et firmiter credere cupio, *τὴν φυσικὴν στοργὴν τῆς πατρίδος ἐν τῇ ἐμῇ ψυχῇ ἐνιζάνειν ὡς σφοδροτάτην*. Nam quod dici solet, sapienti omnem terram esse patriam, id nihil utique ad me pertinet, qui a sapientia absum quam longissime, neque tanto animi robore sum præditus, ut exilii quamvis *ἑκουσίου* mala sine aliquo doloris sensu possim perferre. Fateor serenissimi Regis singularem benignitatem, quam hactenus mihi constanter præstitit, patriæ desiderium non parum mihi lenire. Verum ego non adeo mei in hac deliberatione rationem habendam puto ac conjugis, liberorum, studiorum denique meorum. Uxori aër inclementior, linguæ imperitia et non parum diversa ratio administrandæ familiæ, stimulorum instar sunt, qui oblivisci patriæ ei non permittunt. Filii ætate maximi respectus parentem utrumque impellit persæpe ut isthic mallemus esse, quo illum consiliis rectis in hoc flexu ætatis juvaremus. Duo alii, qui hic sunt, institui in literis *σὺν Θεῷ* facile hic possunt: sed cui bono? Medicina hic non sane viget: Jurisprudentia

illa vetus et vera plane jacet, vix de nomine paucis nota: denique literis hic solis theologicis præmia sunt posita, ad quæ peregrini, et ii quidem Galli vix possunt aspirare, ac ne vix quidem. De studiis vero meis quid opus est verba faciam? Neque enim ipse ignoras, id omne, quod hactenus elaboratum nobis fuit ad publicam utilitatem studiosorum, ἀπαξαπλῶς periisse: de iis loquor vigiliis nostris, quæ ad literas illas pertinent, in quibus aliquid nos posse multi existimant, tuque in his, amplissime et doctissime Præses. Hic omnis mea industria, omnes vigiliæ in eo solo occupantur, ut Regis voluntati satisfaciamus. Quum igitur maximi hujus Regis mens tota in hodiernis de religione controversiis occupetur, nos quoque τοὺς ἀμφ' αὐτὸν in iisdem studiis esse oportet, easdem curas suscipere. Quod etsi eo libentius facio, quia ingravescens hæc ætas et parum firma valetudo dies noctesque me admonent, ut de vera pietate ac futura vita serio cogitem, non possum tamen sine cruciatu animi tot inchoatos labores sinere ἡμιτελέστους nunquam perficiendos. Accedit illud quod tibi uni dictum cupio; τοῖς ἄλλοις ἅπασιν εὔφημα κείσθω· in tanta animorum distractione et opinionum super religionis rebus varietate tam multiplici ægre facere me ut me istis controversiis immisceam, idque multis de caussis minime nunc commemorandis. Habes, vir illustrissime, rationes breviter expositas, quæ mihi reditum in patriam præcipue suadent: sed me ab hac voluntate longe aliquando rationes aliæ revocant, quas, ut nunc enumerare longum esset σὺν Θεῷ pluribus tecum acturo, ut paucis absolvam, summa consiliorum meorum est quietem et necessaria ad vitam præsidia optare me, ut, quod supererit vitæ, studiis possim impendere, et de eorum studiosis pro virili bene mereri. Hoc posse me isthic melius rebus pacatis et tranquillis certum est. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ. Quod superest, te, Præses amplissime, consilium peto atque opem; quid mihi studiisque meis sit optabilius non erit tibi difficile hoc usu rerum viro et πρόσω καὶ ὀπίσω ὁρῶντι. Da igitur hoc mihi veteri tuo clienti ut expendere rationes dubitandi meas digneris, et ad extremum pronuntiare τὴν ἀρέσκουσαν. Mihi id videbitur optimum et tutissimum quod tibi fuerit probatum. Quare in hoc negotio a tuo judicio posthac

pendebo. Epistolam ad *τὸν πάνυ* Cardinalem nuper jussu Regis misi ipsi: illud unum exemplar adhuc e manibus meis exiit, nisi quod Rex alterum describi curavit et ad Legatum suum mitti. Optavi unum ad te; sed non ausus sum, ne animum *τοῦ πάνυ Καρδίναλος* offenderem, qui fortasse copiam sui tibi faciet, si putas esse tanti. Mihi ejus scripti caussa sexies minimum fuit petenda aula, unde nuper sum reversus *οὐ καλῶς ἔχων*. Primo simplicior erat manus; sed postea multa sunt adjecta. Utinam non plane sit inutilis ecclesiæ Dei hic serenissimi Regis labor. Plura de id genus rebus olim, si Deus voluerit, coram. Duo tantum breviter dicam. Siquis putat Magnæ Britanniæ Regem in ejus generis scriptis aliena industria opus habere, fallitur: ipse harum controversiarum peritissimus est, et in sacris literis versatissimus. Etiam illi falluntur, qui scissuræ hujus caussas aliunde repetunt quam ex horribili depravatione omnium fere rerum ante reformationem institutam. Quæ si non probatur, age melior instituatur. De opinionibus recentiorum *οἱ εἰρηνικοὶ* non contendent. Concedatur modo reformatione esse opus, atque illa præstetur. Qui hac via omissa eo vires ingenii conferunt, ut quicquid fit hodie defendant, et cavillis tanquam præstigiis oculorum usum hominibus eripiant, ii frustra laborant, et tandem experientur, quod Polybius ait, *μεγίστην Θεὸν εἶναι τὴν ἀλήθειαν*. Equidem dum attentius lego id genus scripta, hoc assequor, non ut doctior ab eorum lectione discedam, sed ut peritior fraudum stupendarum quibus illi utuntur, ut simplicium animos a veritatis notitia quam longissime arceant. Vale, vir illustrissime, et me ama. *Londini prid. Kal. Jan.* 1611."

905, 5. *Pr. Kal. Jan.*] Rittershusio Ep. 766 pro Salviano quem dono misit, et epistola, grates: de Epistola ad Frontonem: acerrime adversus Jesuitas: in Anglia solam florere Theologiam; jus civile Romanorum ignorari.

908, 6. *novæ opiniones*] Vorstium perstringit.

909, 25. *Kal. Jan.*] Ad S. Collinum scripsit Ep. 763, de Jesuitis, Andrea Eudæmone-Johanne, et decreto adversus Tanquarellum.

911, 6. III. *Eid. Jan.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 768, magna se aviditate exspectare responsum illius ad literas pridem scriptas: alterum tomum Historiæ Cottonianæ missum.

913, 7. *Prid. Eid. Jan.*] Ad Mortonum scripsit Ep. 1050. "Gaudeo non improbari exactissimo judicio tuo, vir præstantissime, Epistolam ad Frontonem, de qua si tibi narravero quæ scribuntur ad me Lutetia, ridebis, spero, et lætaberis. Nam simul ac ea Epistola fuit Parisios delata, boni inter Pontificios ita eam probarunt, ut statim vir amplissimus Jacobus Gillottus Senator inter primos, et Decanus cujusdam ecclesiæ eam curaret imprimendam. Ea editio statim defecit, et iterum liber prælis subjectus est et Latine et Gallice. Ita spatio unius fere mensis ter id scriptum est Lutetiæ editum. Scribit etiam Puteanus vir eximius, multos e probis Pontificiis lecto eo libello cœpisse detestari nomen Jesuiticum. Sed audi rem longe majorem. Extincto Henrico Magno Jesuitæ impetrarunt ab augustissima Regina facultatem docendi publice. Sed quum Schola Parisiensis se opposuisset, vocati in jus ad curiam tergiversati sunt, et amplissimi ordinis potestatem eluserunt. Interim nullæ prætermissæ sunt artes conciliandi judices societati Jesuiticæ. Simul splendidissimum collegium extructum est: quod ut factum, cepit Jesuitas desiderium docendi et tentandæ aleæ publici judicii. Contra omnium opinionem in illo patrum amplissimorum consessu actio instituitur. Dicere incipit Martillerius, amicus meus, vir doctissimus, advocatus scholæ Parisiensis, qui nactus caussam magno ingenio, quod in ipso est, dignissimam, plenis velis in factionem Jesuiticam invehitur, scelera aperit, et quo illis noceat, nihil reliquit intactum. Per viginti dies acta caussa a Martillerio tanta facundia, ut omnibus esset admirationi. At Jesuitæ, homines acuti, jam tum, qualis futurus esset exitus, prospicientes, ad Dominum Cancellarium confugiunt, unde repulsi ad Reginam accedunt, quæ sapientia usa singulari rem ad senatum suum rejecit. Volebant autem Jesuitæ impetrare a Regina, ut absoluta auctoritate utens, quod per nostras leges licet, caussam ad suum consistorium revocaret, et senatui adimeret. Qua re frustra tentata excepit tertio die Martillerium Rector Scholæ Parisiensis, qui eloquentissime et admodum confidenter in illas pestes peroravit. Secuta est oratio Advocati Jesuitarum, qui etsi doctissimus pessime tamen se gessit, neque aliud ex ea caussa tulit nisi cachinnos. Quinto die Advocatus Regis Servinus dixit de Jesuitis, quæ-

cunque poterant a viro bono dici. Nihil potuit addi. Quum viderent qui aderant Jesuitæ, Fronto, Cotton, alii sex, malo res suas loco esse, voce lamentabili Patres appellarunt, seque paratos esse dixerunt jurare quicquid Sorbona præscriberet. Responsum est non esse rem illis integram: quia per æquivocandi artem id adepti sunt, ne fides ipsis haberi posset. Multa omitto, ut veniam ad judicium, quod statim redditum est in hanc sententiam. Jussi sunt Jesuitæ afferre ad Senatum subscriptionem a Generali suo factam super his quatuor capitibus: I. Concilium esse supra Papam: II. Papam in temporalibus nullum jus habere in Reges, neque posse Regem Galliæ excommunicare: III. Regem in suo Regno summum jus obtinere etiam in Ecclesiasticos: IV. Confessionem in periculo publico aut alias magno esse detegendam. Interim douec decreto paruerint, vetantur docere sive privatim, sive publice. Hæc summa rei, sed, mi Mortone, crede mihi *παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὔτη*. Nam tale quid fieri posse ne illi quidem putabant qui fecerunt. Interfuit judicio Princeps Condæus, duo Episcopi et plures viri magni. Exeuntibus e curia senatoribus acclamatum est a populo factum bene, sed non ibi sistendum esse, pestem illam e Gallia pellendam. Omen accipio, et ut ita sit Deum oro. Audi et novum ab urbe Roma nuncium. Meministin' ejus libelli quem legebat Regis Majestas, quum vos me ad ipsum adduxistis? Liber erat furiosus furiosi hominis, vel potius dæmonis, quo Genevæ sum familiariter usus. Ille Alastor se venturum in Angliam minabatur, populos in Regem concitaturum, ipsum serenissimum Regem (horresco referens) suffocaturum. Credo metuere te ab isto novo Goliatho et Pyrgopolynica. Desine timere. Suspensus est ante aliquot septimanas. Ubinam? inquies. Romæ. Cujus jussu, et qua de caussa? Papæ jussu, propter violatam Regum Majestatem. Neque potest dubitari appellatione Regum intellectum esse Regem serenissimum Jacobum. Nam quem alium Regem læserat? Profecto nullum. Hoc quo animo fecerit Romanus Pontifex, non quæro; Dei providentiam *γονυπετήσας* adoro. Romani vero, ne propter hoc factum laudari possent, abunde caverunt, quum Abbatem du Bois Gallum Jesuitarum hostem fraude acciverunt Lutetia

Romam, et statim Inquisitioni tradiderunt. Miser per duos dies *μαστιγωθεὶς* tertio ante diluculum suspensus est. Venio *ὕστερον πρότερον* ad tua xenia pro quibus eo impensius gratias tibi ago, quo minus suppetit nunc *ἀντίδωρον* quod remittam. Quanquam si delectaris scriptiunculis nostris brevi novum *σὺν Θεῷ* librum videbis contra emissarios quosdam Jesuitas, qui Epistolam ad Frontonem indignis modis acceperunt. Est quidam Peleterius, homo imperitissimus, atheus, vappa, nebulo, qui aliquid publicavit. Rex ostendit mihi, et jussit respondere. Spero eam opellam tibi fore non ingratam. Id erit levidense *ἀντίδωρον* pro tuis muneribus pro quibus ut serio tibi gratias agam uxor rogavit. Illa si satis valuisset epistolæ tuæ respondisset pari fortasse dicendi copia. Habe, quæso, illam excusatam, et nos ama, qui te ex animo et amamus, et colimus. Vale Londini altero die novi anni 1612 quem ego atque uxor tibi optamus felicissimum, et post hunc multos alios.

"Richardum Baddeleium tuum ut hic salutem, et valere jubeam permittes, credo, mihi. Iterum vale, vir præstantissime. Festinationi, quæso te, ignosce."

914, 9. xv. *Kal. Feb.*] Ad Grotium scripsit Ep. 769 beatum se literis ejus pacis et concordiæ studiosi: rixas inter fratres facile excitari, ægre sedari. "Puta ubique Bataviam esse, tanta omnibus in locis *φιλερίδων* copia, qui pacem in Ecclesia fovere inter *ἀδιάφορα* habent aut ne id quidem."

— 29. *rumores*] De tumultu ingente Lutetiæ excitato; fugisse Reginam ex Arce Luparæ et in Bastiliam se cum paucis conjecisse; Regem illi esse ademptum; D. Cancellario mortis periculum imminere.

915, 6. *accepi*] Ad Montacutum scripsit Ep. 1051. "Scripserunt ad me Parisienses amici, Jesuitas pusillum libellum adversus epistolam ad Frontonem typis vulgasse; verum publica auctoritate statim damnatum et repressum fuisse illorum conatum, adeo ut extinctus ille liber fuerit antequam plane natus. Ego per amicos exemplar aliquod laboro consequi: ignarus enim quid illi blateraverint, quid ipse respondeam ignoro. Calumnia e privata ad Frontonem epistola, qua editionem excusabam, ita putida est, ut optem id potissimum

mihi objici. Parata responsio est, quæ imperitiam, malignitatem, et scelestum animum auctorum luculente demonstrat. Sed fortasse nihil ea de re liber Jesuitarum habet. Jam quod ad atheum Peleterium attinet, qui falsa de Loiolitis dicit me scripsisse, oro Reverentiam tuam, ut significet serenissimo Regi, brevi me, favente Deo, Majestati ipsius scriptum aliquod esse ostensurum quod spero ipsi fore non ingratum. Ego enim spreto illo nebulone, terræ filio, et atheo, selegi e meis adversus Cardinalem Baronium animadversionibus, quæ faciunt ad propositam quæstionem de Papæ temporali potestate, et pestilentis doctrinæ immanitatem perspicue ostendi; atque Hildebrandum perniciosi dogmatis auctorem primum novo penicillo et coloribus vere suis definivi. Nam quia hunc nobis hodie Pontificem præcipue commendant parricidialis doctrinæ magistri, volui excutere hominem, et sine verborum asperitate ingenium Satanicum illius oculis lectorum exhibere spectandum. Spero omnes Pontificios, qui factionis Jesuiticæ non fuerint, avide eum librum lecturos. Accedet præfatio ad serenissimum Regem qua felicitas Majestatis illius et Ecclesiæ Anglicanæ fuse explicabitur. Ostendemus frustra libertatem Ecclesiæ somniare, qui de veritate cœlestis doctrinæ nolunt cogitare. In his nunc sumus, et dies noctesque exercet nos hæc cura. Spero id fore specimen Animadversionum nostrarum in Baronium maximo Regi non ingratum; neque longo tempore opus est, ut aliquid descriptum Majestati ipsius mittatur. Interim quæ accepi nova de sole, tibi mitto, ut, si videbitur, Domino illa ostendas. Vides astrologiæ fundamenta convelli, et ad novam doctrinam de corporibus cœlestibus novum iter muniri. Nescio etiam intellexerit necne ipsius Majestas metamorphosin nuper factam in Marta Doctore Canonico. Hic enim parum benigne acceptus a Papa Romam reliquit, Patavium se contulit, et Juris Canonici professionem ibi suscepit, habens in animo recantare multa eorum quæ Papomania illi expresserat. Scripsit hoc ad me Senator Venetus, qui etiam de suppliciis Rebulii apostatæ et male consulti Abbatis du Bois totam tragœdiam narrat, quam puto ipsius Majestati esse pridem compertam.——"

Accepit a Rodolpho Winwood 367, 49 (*Burn. MSS.*) "Mon-

sieur, jay tarde trop de fayre responce a la vostre, dont je vous rendray compte a nostre entrevue, laquelle sera quand il plaira a Dieu et au Roi nostre Maystre. Cependant je vous supplie croire, qu'il ny a personne que vous respecte plus que moy, ny qui souhaite plus de bien a toute vostre famille. A present tout est uny icy : les disputes des Arministes sont du tout assoupies : et Vorstius demeure a Goude ensevely en oubly. Et jespere que Messieurs les Etats d'Hollande le renvoyeront au printemps hors de leur province. En quoy je vous peux servir, vous aurez toujours pouvoir de me commander. Vous baisant les mains et celles de Madamoiselle vostre compagne,

"Monsieur, je suis vostre plus humble serviteur

"Rodolphe Winwood."

*De la Haye, ce* 17 *de* 10br *stilo vetere.*

915, 10. Ad Heinsium scripsit Ep. 771, Theophrastum suum hærere Parisiis cum maxima Bibliothecæ parte.

Grotii pietatem pari prudentia junctam laudat Ep. 772 : consilium de procuranda concordia Regem probare.

— 21. *Kal. Feb.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 773, rumusculis de tumultu Lutetiæ excitato se nunquam habuisse fidem : de Epistolis ad Frontonem, Pelleterio, in Baronium animadversionibus.

— 29. *Bertium*] Ep. 1052, ipsius se atque Vorstii sententias improbare : idem facere Archiepiscopum : epistolam ab ipso ad Regem scriptum non tradi ab Archiepiscopo : benevolentiam Regis aliis consiliis conciliandam.

— — *Vorstium*] Ep. 770. Acceptas agnoscit binas Epistolas : non responsum quia ille quæ de natura Dei docuerat volebat defendere : scandalum hinc Ecclesiæ oriri, et verendum ne posterior error sit priore deterior.

920, 21. x. *Kal. Mart.*] Ad Schottum scripsit Ep. 777, Epistolæ ad Frontonem caussam præbuisse mortem duorum Galliæ Regum, fructum scilicet doctrinæ ejus quæ statuit Reges ac Principes, si Romano Pontifici cœperint displicere, occidi posse impune : acceptum librum Caroli Scribanii cum his verbis, Dono Auctoris ; quærere se utrius missu, Bonarscii, an ipsius : lecturum se accurate, caussas cur assentiri in omnibus nequeat, exponere paratum.

Ad Canterum Ep. 778, molestum sibi illum ærumnis nondum liberari: commodis ejus velle se inservire.

Ad Grotium Ep. 779, Baronii primum tomum probationes continere omnium eorum quæ tum in controversiam vocabantur: nullam se novam hæresin allaturum, illustraturum veterem doctrinam.

921, 15. *literas*] Ad Andream Dunæum Ep. 1054. Gr. *Ἴσθι δὴ ὦ λῷστε, γνῶθι σεαυτόν· καὶ δυνάμενος μέγα ὄφελος εἶναι τοῖς παιδείας ὀρεγομένοις, μεταδιδοὺς αὐτοῖς τὰ σοὶ ἐκπονηθέντα, τῶν σῶν μὴ φθόνει.*

Ad Bertium Ep. 1053, ejus se ad Regem epistolam, suadente archiepiscopo, remisisse; quæ Vorstius scripsit ea sine impietate non posse defendi, eadem eum sentire scripta ejus non ostendere; a deplorata caussa ejus esse sejungendam. "Alta prorsus et ardua quæstio est quæ isthic tanta contentione agitur de Prædestinatione. Num tu putas debere te ad arcana illa cum periculo tuo et proximi scandalo penetrare? ——Quod si ostenderis rationem te publicæ concordiæ majorem habere quam privatæ existimationis tuæ, atque in eam sententiam ad serenissimum Regem literas dederis, spondeo tibi me illas Majestati ipsius oblaturum et ipsius gratiam tibi pro mea virili conciliaturum."——

Ad Grotium Ep. 775, literis se ejus jam respondisse 772, scripsisse ad Bertium et Vorstium. "Faxit Deus ut pio fine tota illa controversia terminetur." Mirari unde Heinsii silentium.

Ad Lydium Ep. 776, tarde se respondere: vitandum Manichæismum, dum fugitur Pelagianismus: multos qui Nestorium persequebantur, Nestorio evasisse nihilo meliores: suspenso pede ambulandum, ubi de prædestinatione agitur: zelo incomparabili pro religione fervere Regis præcordia: ipsorum, non suum, esse de Arminio et Bertio pronuntiare: Bertium se et Vorstium ad concordiam esse hortatum: displicere sibi illam quam tuentur libertatem prophetandi, certissimam perniciem Religionis, nisi certis finibus acriter contineatur.

Ad Grotium Ep. 780, Ecclesiarum reformatarum synodum cogi in voto esse Regi, sed obstare difficultates: quod si illustrissimi Ordines consilium tentandi omnia in illum finem pro-

baverint, de Rege omnia se polliceri, quæ a tanto principe vero fidei vere catholicæ defensore possunt sperari.

Ad Thuanum Ep. 781. "De meis rebus quas tibi, Præses amplissime, gratias agam, nescio; ago certe quantas possum et animo concipere et verbis exprimere maximas. Quanquam equidem sic sum a multis annis persuasus, nihil esse tantum quod mea caussa non facile præstares. Quod igitur in reculas isthic nostras et Reginæ beneficia nondum sit involatum, tibi uni et illustrissimo Cardinali Perronio fero acceptum. Testis mihi conscientia mea apud Deum eo animo me isthinc profectum, ut qui intra mensem alterum essem rediturus. Avebam enim mirifice Ecclesiæ hujus formam cognoscere ἐξ αὐτοψίας, et cum doctissimis viris, qui sacra hic administrant, conferre. Me vero nunquam pœnitebit hujus consilii. Inveni viros maximos doctrina, pietate et amore concordiæ: cum his plurimum vivo, et piis cogitationibus animum multis nominibus languentem reficio. Hic mihi licet studium priscæ veritatis profiteri: hic mihi licet eorum amentiam detestari, qui in caussa religionis id solum probant quod a sanctorum Patrum institutis abhorreat: hic mihi licet eorum furorem impium abominari, qui tyrannidem in Ecclesia Dei exercent dirissimam. Isti sunt qui me nuper scriptis suis inseruerunt, et subtili vaframento ψευδομαρτυρίας maculam nomini meo inusserunt, quam ego brevi, Deo volente, sic delebo, ut non verear tibi et bonis omnibus probatum iri libellum quem ea occasione sum editurus. Confido nihil in ea scriptione dicturum esse me, quod Reginæ animum possit a me abalienare. Egi cum viro prudentissimo et longe optimo, Domino de la Bauderie, ut omnibus isthic confirmaret esse me, et semper futurum, in Regis et Reginæ potestate. Atque hoc tibi quoque, Præses amplissime, cupio esse quam persuasissimum. Quando tamen ita placet Reginæ, ut unum hic alterumve annum maneam, vehementer optarem libros hic habere meos, quo ne tempus mihi periret, quod, dum libris et adversariis meis careo, prorsus pereat est necesse. Jussi Chabanæum meum super hac deliberatione tuum exquirere consilium, atque eo uti. Erit fortasse consultius uxoris reditum isthic exspectare, quæ nostra isthic negotia de sententia amicorum

maxime autem tua, Præses illustrissime, semel gestit componere. Deus Opt. Max. te servet. Vale. *Londini 6 Kal. Mart.* 1612.

"Puteanos fratres, Fabrum virum clarissimum, et doctissimum Rigaltium tuum ut in hac parte salutare mihi liceat te vehementer oro."

Ad Lingelshemium Ep. 782, gaudere se probatam illi Epistolam ad Frontonem; animadversiones in Baronii annales brevi prodituras: nihil se ficturum in odium Pontificiorum, Gregorium VII ut Stygium *τέρας* propriis coloribus depicturum: Gueretino repetente librum Arabicum restitutum iri: De Frontone et Scioppio.

Ad Rittershusium Ep. 783, Britanniam experiri quantum sit bonum Regem habere Philosophum: Germanos morte Rudolphi Imperatoris in *ἀκμὴν* negotiorum incidisse: Scioppium se jam debellatum habere.

Ad Heinsium Ep. 784, de nova editione Theophrasti Characterum.

Ad Thuanum Ep. 785. "Ego, vir illustrissime, cum apud me reputo, quod sæpe facio, quantum tibi propter vetera officia debeam, quantum propter recentia, et ea quæ mihi quotidie præstas, infantiam meam statim sentio, qui nullam inire possum rationem declarandi tibi, sicuti optarem, quantis me tibi agnoscam esse devinctum beneficiis. Nam a quo primum nomen meum tibi innotuit, nullus, credo, dies abiit, qui me tibi aliquo pacto non devinciret. Genevæ eram obscurus in obscuro loco, certe ad nominis commendationem mei parum idoneo. Primo tibi, credo, venit in mentem traducendum me esse in Galliam, ut existimatio nostra, vixdum radices agere incipiens, *μεταφυτευθεῖσα*, et solum nacta felicius et cœlum clementius, humo se attollere et paullatim *ἀναδραμεῖν* posset. Hoc tuum consilium *τῷ μακαρίτῃ* optimeque de me merito viro Philippo Canaio quum aperuisses, effecit ille, qua erat industria, ut pedem in Gallia primum *αἰνοβαρεῖς* Musæ nostræ ponerent. Et ego quidem agi mecum optime credebam, quod in patriæ parte aliqua, et ea quidem non pessima, fortunas meas haberem collocatas. Tibi vero, amplissime vir, hoc parum est visum nisi me e luce sublustri protraheres *εἰς αὐτὴν τὴν ἀκμὴν τοῦ*

*φῶτος καὶ τὸν ἐπιφανέστατον τῆς Κελτικῆς μοναρχίας μᾶλλον δὲ ὅλης τῆς οἰκουμένης τόπον.* Quid multa? Non prius cessasti, quam ope magni viri Domini de Vic Monspelio eductum Lutetiam traduxisti, et quod ne dormiens quidem unquam cogitaveram, effecisti ut maximus Rex suo favore me non judicaret indignum. Veni igitur Lutetiam Regis auspiciis, meque ac meos in tuam clientelam dedi: ex illo non arca tua mihi defuit, non opera, non patrocinium. Magnum hoc est moribus istis, sed istud majus, quod videris absentem majori etiam charitate esse prosecutus quam præsentem. Omitto alia merita ingentia, quæ post discessum meum in me et meos diebus pene singulis contulisti. At quæ nuper mea gratia fecisti, ut illustrissimo viro Domino Cancellario mei refricares memoriam et meis utilitatibus consuleres, qui possum absque rubore commemorare? Tene, virum hac dignitate et amplitudine, tanto studio mea negotia gerere, et ut mihi bene sit tantum operæ sumere? Mearum erat partium ad Dominum Cancellarium scribere, et submissis precibus, ut mei haberetur ratio, eum orare. Neutrum est a me factum, quæ mea est insignita rusticitas, ac ne cogitavi quidem. Tu mihi, tu, vir præstantissime, vicariam operam præbuisti; tu effecisti in mea caussa, quod vix facturus eras in tua, ut de pensione annua alteri supplicares. Fruimur igitur, Præses amplissime, etiam hoc anno, regia liberalitate, et ruinas eversæ domus nostræ aliqua saltem ex parte sarciemus. Quin hoc quoque agi video, te utique auctore et impulsore, ut me *τὸ ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης* Regina cupiat domum revocari non sine spe honesti otii. Pro tantis beneficiis quas ego tibi, *ὦ σεβάσμιον ἐμοὶ κάρα*, gratias agam? qui ne habendis quidem prout tua meretur præcellens humanitas par esse posse mihi videor. Quoniam vero spem facis uberiorum super ea re literarum tuarum, illas exspectabo, neque jam te pluribus morabor. Quantis enim in negotiis soleas esse occupatus, probe mihi est compertum. Accedit quod hasce traditurus eram Chabanæo meo profectionem ad vos instituenti, qui de meis rebus, siquid est quod scire cupias, verbis suis omnia exponet. Quod superest, Filium Dei supplex veneror, ut consueto favore te semper prosequatur, et cum tibi, tum tuis omnibus magis magisque in dies pergat benedicere.

Vale, Præses illustrissime, et me ama." *Londini Kal. Mart. Stylo vestro* 1612.

P. S. De studiis suis: Baronii singulis tomis libros singulos se oppositurum.

922, 22. VI. *Eid. Mar.*] Ad Heinsium scripsit Ep. 774, amicum se suum ab illo benigne acceptum lætari: Scioppium et *παπολάτρας* secum certare jucundum: illorum se morsus ægre ferre, qui odium veteris Ecclesiæ nomine pietatis velant, et solos sapere se putant.

924, 26. Ad Bongarsium scripsit Ep. 786, fluctuationi se suæ finem imponi velle: Jesuitarum furorem exercitationes suas Baronianas non sanaturas. "Ac quoniam vir eruditissimus Erycius Puteanus parat mihi epitaphium tanquam Musis mortuo, faxo, volentibus Superis, ut vivere adhuc me et non delirare omnes cogantur fateri."

Th. Mortonum Ep. 787. Mittit libellum; Epistolam ad Perronium jam impressam, cum præfatione, in qua Pellioni iterum in se insurgenti, obsecutus Regi, respondit.

— 29. *amici literis*] 363, 83 (*Burn. MSS.*) "Isaaco Casaubono V. C. Joannes Camero S. D. Uvas quas a me joco petisti ego quidem certe serio misissem, nisi literæ tuæ, quod molestissime tuli, mihi serius quam ut id potuerimus præstare redditæ fuissent. Non fuit tamen id ipsum in caussa cur hactenus nihil responderim, sed cupido quædam et spes non incerta proficiscendi ad te. Ardeo enim incredibili cupiditate tui videndi coramque quando per literas minus id licet aperiendi animum meum. Quod cum mihi necessarium, tum etiam tibi non erit ut spero, infructuosum. Habeo enim nonnulla quæ te scire tua plurimum interest. Quin et regi meo regum optimo avet animus, quis sit hic ecclesiæ status et quæ nuper invecta rerum omnium perturbatio, significare. Sed ea sunt nunc tempora, ut vix ausim hoc iter ad vos suscipere, nisi affulserit certa spes futurum (quod votorum meorum summa est) ut Rex opera mea, in ea ecclesia in qua natus sum, cuique ille secundum Deum præest, uti velit. Itaque majorem in modum a te peto ut, qui apud Regem meum gratia plurimum vales, velis hominem tui studiosissimum gratiæ illius tuæ fructum aliquem percipere. Nihil enim dubito quin si vel

paululum annitaris, rem totam possis quam facillime perficere. Nam et Regi in prima pueritia innotui, et abhinc tribus annis cum iter per Angliam in Galliam facerem ab eo fui clementissime exceptus, et ut audio nomen meum non est Elizabethæ principi ingratum. Tibi vero homini extraneo erit honestissimum civem principi suo commendare. Quinetiam mente jam percipio, quo animo, qua frontis serenitate, quæ illius bonitas est, te hanc causam agentem excepturus sit. Talem in te animum amplectetur, crede mihi, atque exosculabitur. Si tibi persuasi, ut negotium hoc velis suscipere, nihil opus est ut moneam, ne de ingenio, de eruditione nostra multa spondeas. Nosti enim quam sint illa in nobis mediocria et pene nulla. Cæterum de animo erga Regem volo te loqui meis verbis magnifice: neminem esse mortalium, qui vel vehementius illum amet, vel se ab illo amari pluris faciat, quod si tua commendatio fecerit, *ἐσταὶ μὲν εὖ*: sed tamen si tua commendatio non satis ponderis habitura est, ea est vehementia, is ardor animi mei, non potero mihi temperare quin ipse me illi vel fastidienti ultro obtrudam. Vale, vir clarissime. Dominus Jesus tibi, lectissimæ uxori, liberis vestris totique adeo familiæ tuæ quam cumulatissime benedicat. Ego *ἀλύων καὶ ἀδημονῶν* literas tuas expectabo. Tu, quæ tua est humanitas, quamprimum rescribes. Iterum vale. Collega meus te quam officiosissime salutat. *Burdegalæ prid. Non. Mart.* 1612. J. Camero."

925, 21. *Epistolam*] 788. Ad Edmundum Legatum, de responsione quam scripsit ad Perronium; de pacis studio; perveniendi ad tantum bonum regiam patere viam unicam, universalis Concilii, atque ejus liberi celebrationem; sed quoniam propter omnium peccata Synodi universalis spes nulla ostenditur, mali levamen aliquod foret si licentia de rebus theologicis scribendi legibus coerceretur: tollendam esse prophetandi libertatem: nihil boni ab iis sperandum quibus divina scientia est subsidium et *χρημάτων πορισμός*, quibus scribendi caussa est merces duntaxat et auctoramentum *ἀδόκιμον* aut inanis gloriæ titillatio. "Juvat hoc loco unius e multis ejus farinæ scriptorculis audaciam *στηλιτεύειν*, de quo scire te volo serenissimi Regis judicium. Is,

quem dico, quemque nominare mihi religio, (*N. Peleterius Gallus Jesuita*) tanta vilitas novi doctoris, de trivio et compitis circumforaneus, Pellio quidam est, homo idiota, nullarum literarum, non Græce, non Latine doctus, sine scientia, sine conscientia, bonis obstrepere, et fruges natus consumere, aliud nihil. Hic, quod inter mulierculas sciolus et in vernaculo sermone disertulus habetur, in omnes diversarum partium scriptores censoriam nuper accepit virgulam, eo quidem libentius qui ante biennium ære alieno oppressus, septingentorum aureorum mercedem pactus, ad expungenda vetera nomina et stipendium annuum, narro quæ vera sunt, quæque ipse mihi dixit, mutatis partibus transfugium fecit, quique inter eos quos deseruit, a suspicione atheismi infamis, et bonis omnibus, qui propius norant, exosus vixerit, novi zeli fervorem iis, ad quos transiit, hoc est quos decepit, necesse nunc habet approbare. Igitur Doctor a se creatus Pellio, novos quotidie libellos scribit, vel potius vomit. Primum novæ professionis tyrocinium posuit ante biennium, quum adversus monitoriam serenissimi Regis, principis longe doctissimi, ipse vitiligatorum postremus, *συγγραφεὺς ἀγράμματος*, inscitiæ retrimentum, librum emisit; in quo si paucula excipias, nihil non protritum, nihil non millies dictum, non haustum e fæce: paucula vero illa, cui suppilaverit, neque ignorat quisquam eruditorum Lutetiæ, et nobis compertissimum est. Non enim nescimus, sub cujus mensa colligere micas sit solitus, ex quibus sua fercula instruit. Idem Pellio, quum ante paucos menses virum nobilissimum et celeberrimæ famæ esset aggressus, eum et nobis honorem habuit, ut sua censura, novus Aristarchus, columen sapientiæ, dignos judicaret, sed obiter et velut in transcursu. Credo ne si aliter fecisset dignitate tanti antagonistæ nomini nostro aliquid splendoris accederet. Edideramus paullo ante epistolam ad Frontonem Ducæum, societatis Jesu theologum: in qua res in hoc regno a nonnullis ejusdem societatis gestas fide historica ipsi exposuimus. Hanc epistolam Pellio in fine ejus, quem dixi, libri, non refutat ille quidem, neque enim poterat; sed uno vehemente confodit obelo: deinde ad maximum Regem sermone converso multis ab eo petit, ne quicquam eorum

credat esse verum, quæ universum hoc regnum vidit, quæ in acta publica sunt relata, quæ orbis jam terrarum scit esse verissima. Hæc omnia falsa et adulandi studio ficta audet dicere, et quidem Regi dicere, meus Pellio, quasi is esset mitissimus hic et innocentissimus princeps, cujus aures in perniciem sontium patere soleant. Quis laqueus, quæ crux tantum scelus expiabit? Vidi ego serenissimum Regem, quum illa legeret, et mihi ostenderet, qui prius non videram, inauditam Pellionis audaciam atque impudentiam severe detestantem. Me quoque adulandi artificem quod vult videri, sapientissimo Principi insignitam facit injuriam potius quam mihi. *Πρόσθε γὰρ κάτω γῆς εἶσιν ἄστρα, γῆ τ' ἄνεισ' εἰς αἰθέρα, πρὶν ἐξ ἐμοῦ τινι θῶπ' ἀπαντῆσαι λόγον.* Ait vero Pellio, me, quum illam epistolam scriberem, spiritu vertiginis esse actum. Mirabar quid appellaret spiritum vertiginis.——Ecce vero ante triduum incidit in manus meas alius liber ejusdem Pellionis adversus virum eruditissimum scriptus, in cujus item fine ego repetor, et spiritu reformationis agi dicor. Huic nempe Alastori spiritus reformationis et spiritus vertiginis idem sunt.——An et patres Concilii Tridentini vertigine agebantur, quum tot locis reformationis mentionem fecerunt? In eodem libro monet me Pellio, caveam aliquid scribere quod sibi displiceat: alioquin daturum pœnas propriis ipsius telis conficiendum. Beatum vero, si possum Æneæ magni dextra cadere. Unus tamen restat scrupulus, qui me sollicitum habet, nam quomodo mea scripta confutabit, qui illa ne intelligere quidem potest? Non enim mulierculis Galliæ scribimus.——Vides, vir amplissime, quale sit hoc nuper exortum theologorum genus, qui fungis similes una nocte crescunt, quos propterea Græcorum theologus *σπαρτοὺς θεολόγους* eleganter appellat, et meritissime a sacrorum arcet tractatione."

— 23. Ad Vander Myle cum Ep. 789 mittit libellum "qui n'avoit este fait pour imprimer; mais j'ay este forcé, apres que l'Epistre, a laquelle je respons, a este quatre fois imprimée.——Je vois avec regret qu'on va a travers champs a des estranges nouveautez. Libere dico, odi profanam novitatem in rebus sacris; et tyrannidem Pontificiam laudaverim

potius, quam licentiam adeo temere nova dogmata publicandi: unde horrenda confusio sequatur necesse est. Sed Deus medebitur et illustrissimorum Ordinum alta prudentia."

— 27. *Eid. Apr.*] Ad Heinsium cum Ep. 790, mittit responsionem suam, de qua judicium ejus scire cupit.

Ad Lydium Ep. 791, Baronii se fraudes detecturum: postremum Vorstii opus Regi displicuisse.

Ad Meursium Ep. 792, provocatum se a Perronio: nundinas non carituras libris adversus Epistolam ad Frontonem scriptis: Baronii se fraudes palam facturum.

Ad Grotium Ep. 793. Mittit Epistolam ad Perronium: "Placuit Regi, ut in præfatione nebulonem quendam Parisiensem perstringerem, qui postquam pretio conscientiam vendidit sine caussa me est aggressus, ipse vix satis scribere Gallice doctus. Peleterium vulgo vocant, si forte de illa peste aliquid inaudisti."

926, 17. XIII. *Kal. Mai.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 794, de Savilio iniquo in manes Scaligeri: Regem commotum lectione novorum librorum a Vorstio editorum: epistolam ad Cardinalem Perronium Londini editam, postquam ille suam edere sit coactus: Regis jussu Peleterium in præfatione perstrictum.

927, 28. *literas*] Scriptas a Benj. Carier, cujus extant hæ sex epistolæ. 363, 126 (*Burn. MSS.*) "Quod ad superiores tuas literas toto hoc tempore nihil respondi (præstantissime amice) inde imprimis accidit, quod pararem iter, si qua forte in re opera mea tibi usui aut profectui esse posset: sed * * * * * et optimorum amicorum frequentia abundare te non dubito, quo minus mihi festinandum censeo tua caussa, quamvis eam sane ex suavissimis tuis sermonibus voluptatem capere soleo, ut mea ipsius caussa cupiam quam primum te et quam sæpe videre. Nihil hic novi habeo quod scribam. Omnes, Deo gratias, mediocriter valemus. Decanus nempe et Archidiaconus jam diu sunt valetudinarii, magis quam ipse, qui tamen sentio me magis fractum, quam quis crederet. Dr. Saravia jamdudum incipit conqueri de absentia uxoris suæ, quæ privatis suis negotiis in Gallia Belgica diutius detinetur, quam statuerat. De rebus tuis sic habe. Dr. Colfe thesaurarius noster tradidit

mihi in usum tuum pro trimestri finito ad festum Annunciat. 1611 quatuor libras et octo solidos super computatione hac:

| | l. | s. | d. |
|---|---|---|---|
| Debentur Dño Casaubono pro *corpore* et pro quotidianis distributionibus | 9. | 19. | 0. |
| Inde solutum Dño Regi .......... | 5. | | |
| Item pauperibus. Item pro reparatione. ........ | | 11. | |
| Sic remanet ei pro *recipiendo* .... | 4. | 08. | 0. |

Ego recepi quatuor libras et octo solidos. Recepi etiam a Dño Simsono pro firma domus tuæ pro dimidio anni quatuor libras, et pro lignis tuis quatuor libras. Ita habeo præ manibus meis de tuo 12*l.* 08*s.* 0*d.*, et pro hoc trimestri expecto quotidie ut thesaurarius mihi numeret 9*l.* aut aliquanto amplius. Dividendum frumentum debebitur in fine anni, hoc est ad festum Nativitatis, et credo valebit ad 20*l.* Compositiones pro terris et tenementis firmariorum paucas admodum adhuc facere potuimus hoc anno. Spero fore plures qui componant circa finem anni. Quicquid conventum fuerit, de eo justa portio ad te perveniet tardius fortasse quam expectaras, sed æque cito ac ad me aut quemvis alium. De pecuniis quas præ manibus jam habeo, aut brevi habere possum, quæso mihi significes, quid fieri velis, num retineri apud me, an ad te transmitti, an vero tradi transferendas alio. Dr. Langnorth te salutat, et de transmittendo filio suo in Galliam petit a te ut eam rationem habeas, quam pro tua humanitate es pollicitus, cum primum id commode præstari poterit. Nihil est aliud nisi ut nomine totius collegii nostri te salutem, et a te petam ut salutes meo nomine præstantissimum virum Paulinum Decanum et uxorem ejus et reliquos nostros amicos qui— *Cantuar. Junii* 27, *Stilo veteri* 1611. Tuus Ben. Carier."

*To the Right worshipfull my very loving friend Mr. Casaubon at Mr. Deane of Paules London.*

130. "Duas a te epistolas accepi (præstantissime vir) quibus nihil respondendum putavi, antequam uxor tua hac transiret, præsertim cum in horas ipsius adventum expectarem. Interim descripsi tibi eam proventuum tuorum rationem ex hac præbenda, quam tradidit mihi thesaurarius

noster, et video me posse tibi polliceri pro primo tuo anno, a festo Nativitatis 1610 ad idem festum 1611 centum libras nostrates, et aliquanto fortasse amplius. Fecimus nuper tres vel quatuor novas compositiones, et expectamus plures. Spero fore hujus anni dividendum ad minus 400 libras, præter frumentum. Tu habiturus es partem undecimam æqualem cæteris. Nihil dividitur adhuc aut cuiquam solvitur, quod sciam, sed totum debetur et uti spero in fine hujus capituli, qui erit ad 25 Novembris totum solvetur præter frumentum, quod firmarii nostri non tenentur tradere nobis ante festum Annunciationis. Sed quicquid humanitus acciderit, hæres cujusque poterit lege agere cum officiariis, et ratio, cum sit communis omnibus, unicuique constabit apertissime. Tradidi uxori tuæ summam 32 librarum nostratium, quæ debentur tibi pro corpore præbendæ tuæ, et quotidianis distributionibus usque ad præsens festum St. Michaelis, hoc est pro tribus quartis. Non deduxi subsidium regium pro hoc semestri, quia penes te esse volui, utrum ipse collectori solves cum ad te accesserit, vel solvi a me jubebis ex aliis pecuniis quas tuo nomine recepturus sum. De vectura uxoris tuæ prospexi, quantum potui, et egi cum equorum dispositorum locatoribus, qui pollicentur mihi operam suam; ego adjiciam de meo duos equos, qui parati erunt, ut illi serviant. Nam de rheda nullam spem video neque precio neque gratia. Erit in illius optione utrum faciet totum iter equestre, an cymba vehetur Gravesenda Londinum. Huc usque scripsi, cum intelligo jam advenisse incolumem charissimam tuam conjugem neque opus habere equis, propterea quod conduxerit vehiculum, et festinare admodum ut te amplectatur quam primum. Ego, dum illa prandet, hæc scribo, et pecuniam numero. Statim ad eam accedam in suo hospitio, et dabo operam, ut se domi meæ hac nocte reponat, vel saltem ut mea opera et autoritate utatur, siquid valeo in quo illi commodare potero in hac urbe. Non scribam plura hoc tempore. Saluta, quæso, omnes nostros, et me, quod facis, ama, quod ego in fortuna mea primarium reputo. Vale. *Cantuar. Octobr.* 3. (1611) *Stilo veteri.* Tuus ex animo Ben. Carier."

*Præstantissimo viro et amico singulari Dno Isaaco Casaubono in Aula Regia.*

127. "Præstantissime vir. Binas a te superiore die per famulum meum epistolas accepi; unam ad me, amoris et officii: alteram ad Frontonem, eruditionis et prudentiæ plenissimam. Utinam hæc illum effectum sortiatur, quem animus tuus expetit, et quem ipse vultus Frontonis mihi cum essem Lutetiæ videbatur polliceri. Illa altera, quamvis mihi satis uberem jam fructum attulit, testificationem amoris erga me tui, tamen pollicetur mihi adhuc nescio quid amplius, quasi non satis tibi fuerit simpliciter amare, nisi tuus amor expromserit se, et aliquid effectum dederit, quo testimonium sui etiam apud rempublicam relinquat. Quamobrem quoniam ita vis, et ita res fert, ecce tibi campum, non illum quidem valde latum, in quo ad gloriam expatiari, sed satis quidem amœnum, in quo excurrere amor tuus cum singulari consolatione poterit. Decanatus Roffensis jam per plures dies vacat, et audio Dñum Regem nihil de eo adhuc statuisse; sed deliberare in reditum suum ad Londinum. Cum itaque famulus meus mihi nunciarit tuum iter ad aulam die Veneris, te interpellandum per literas putavi, et rogandum per mutuum amorem nostrum, ut ansam aliquam alicunde accipias mei ad hunc decanatum commendandi. Rationes multæ sunt communes mihi cum aliis, sed hæc una præ cæteris peculiaris, et mihi propria: quod cum decanatus hic exilis admodum sit, et minime *αὐτάρκης*, et tamen residentia sit eo loci reip. utilis et fere necessaria, mea præbenda non longe abest, et habeo sacerdotium in proximo, unde multo commodius potero hospitalitatem inibi exercere, quam quivis alius. Quod cum semper facio libenter, tum vel eo certe nomine Roffæ faciam cupidius, quod et natus sim in illa vicinia, et sperem me subinde excepturum Dñum Casaubonum, et Dominum de Meiern, et D. Georgium Reeve et alios viros doctos clarosque quibus in itinere Gallicano ex commendatione tua innotui. Quantum effecturus sis nescio, sed abunde mihi satisfeceris, si serenissimus Rex, Dominus meus mihi supra omnes mortales colendus, per te intellexerit, opellam meam, cum alias aliquando, tum præsertim in illa legatione fuisse nec ingratam sibi, nec illi inhonorificam. Etiamsi nihil effeceris, tamen amor tuus me obstrictum tenet, quem ego non in usibus sed in fructibus perpetuo ponam. Vale, vir præstantissime. Servus meus redi-

tum tuum ab Aula diligenter expectabit, nisi eum tibi in itinere inservire jusseris. Ego interim non desinam tibi tuisque omnia fausta precari. *Thornhamiæ Octob.* 16. 1611. *Stilo veteri.* Tuus æternum Ben. Carier."

*Viro præstantissimo et amico plurimum colendo Dno Isaaco Casaubono.*

128. "Mirari te credo (vir amicissime) quod post rescriptum tuum de decanatu Roffensi nihil ad te literarum dederim. Neque ego sane me tamdiu continuissem, nisi in rusticanorum negotiorum distractione, et in assidua cogitatione itineris mei Londinum versus, messis nostræ capitularis incerta admodum, sed, ut fit, non pœnitenda spes me suspensum huc usque detinuisset. Jam tandem conclamatum est. Transegimus cum firmariis nostris pluribus quam putaramus. Conventiones factæ sunt usque ad 800 libras Anglicanas aut non multo minus. Inde tu accepturus es partem tuam. Sumus 9 præbendarii residentes, et unus decanus qui habet duas partes. Frumentum tuum valebit, credo, ad 20 libras et aliquanto amplius. Ego cum nescirem qua ratione pecunias ad te mitterem per μεταβολὴν, transmisi eas per communem tabellarium, non magno pretio, mihi præstandas Londini. Et per tres dies hic moram feci, ut pecunias tuas acciperem a thesaurario. Sed non accepi tertiam partem. Is multa caussatur: tenentes adhuc non numerarunt: futurus thesaurarius (is est archidiaconus) ad se maximam partem dividendorum nostrorum trahit pro tempore, eo quod ecclesia nihil habeat in deposito ad usus præsentes, donec is aliquid de annuis reditibus perceperit, quod tenuiter admodum fiet, usque ad festum Annunciationis. Tunc is mihi numerabit. Verum ego tantum pecuniarum spero me accepturum Londini de meo, quantum, credo, sufficiet ad integram summam præbendæ tuæ pro hoc anno. Ipse futurus sum Londini (Deo volente) ad medium septimanæ sequentis, ibi et in aula mansurus usque ad ingressum Januarii, et postquam rationes contulerimus, solvam tibi totum de meo, si opus fuerit, et hic repetam ab officiariis et firmariis in meo reditu. Londini subsistam aliquandiu in ædibus honesti viri veteris amici mei, Mr. Palmer, ad portam Luddi, ad insigne calcei equini. Est enim is locus negotiis

meis tam aulicis quam domesticis commodissimus. Nihil aliud est. Quo nunc scribo brevius, eo magis festinabo, ut absolvam cætera coram. Vale. Omnes nostri te salutant. Deus nos servet ad suum regnum. *Cantuariæ Decemb.* 5. 1611. Tuus quantulus est Ben. Carier."

*To the Right worshipfull my assured lovinge friend Mr. Casaubon at his house at St. Mary Axe.*

---

*pay the post.*
*enquire at Mr. Deane of Poules.*

129. " Scripsi ad te superiore septimana (præstantissime vir) de ratione silentii mei de rebus tuis Cantuariæ, et de adventu meo ad Londinum. Subsisto adhuc Greenvici, et quotidie sacra facio, qualia præscribunt leges; hoc est, preces communes repeto. Cum Rex Londino absit, nullam caussam magnopere video, quæ me hinc avocet, nisi quod in illis literis pollicitus sim me adfuturum Londini, circa hoc tempus rationem redditurus præbendæ tuæ : sed expectabis me, credo, non invitus in septimanam sequentem. Interim, ecce, tibi mitto per famulum meum crumenam hanc, cum triginta quatuor libris monetæ nostræ : tu illam accipies tanquam partem fructuum hujus capituli, majorem a me percepturus, quamprimum ad manus meas pervenerit : postquam me assiduitate hac liberavero, dabo me tibi quantum voles. Interim quæso de me tibi omnia bona pollicitor. Vale in Dño Jesu. *Greenvici. Decembr.* 11. 1611. *Stilo veteri*, et apud nos usitato. Tuus pauper, sed verus amicus Ben. Carier."

*Clarissimo viro Dno Isaaco Casaubono amico summo.*

131. " (Præstantissime vir) Habeo in manibus de tuo quinquaginta quatuor libras, quas servus meus tradet uxori tuæ in transitu, modo illa attulerit apocham tuam, et cum servo reliquerit. Ipse cum licentia Dni Regis Germaniam cogito per aliquot menses, quod clam esse volo, aut non valde palam, quia cupio rumorem populi prævertere redeundo. Debentur tibi adhuc quædam dividenda, quorum ego supputationibus manum meam non subscripsi in libro thesaurarii. Quibus subscripsi, ea omnia sunt in hac summa. Reliqua satis expedita sunt in ipsius libro. Sed Dñus thesaurarius affirmat

se nihil soluturum dividendorum usque in finem anni, et statum stipendium usque ad festum Michaelis deductis deducendis non excedet sedecim libras. Debebuntur tibi ab hospite tua ad festum Johannis Baptistæ 4 libræ pro reditu hospitii tui, et quatuor libræ pro lignis. Si opus fuerit ad Dñum Johannem Simpsonem scribas. Ipse vices tuas in concionando supplet, et mater ipsius in ædibus tuis habitat. Is fidelem operam tibi præstabit. Ego cogito Angliam iterum post paucos menses. Interim vale, et id age, quod maxime ad æternitatem spectat veri boni. Raptissime *Cantuariæ April.* 17. 1613. Tuus quantulus est Ben. Carier.

"De his 54 libris nolim dubites. Servus meus Guilielmus Hide, quem domui meæ custodem relinquo, habet in numerato; et est homo frugi. Uxor tua poterit has literas secum afferre, et si opus fuerit ostendere Archidiacono aut D^ri^. Fotherbeio: sed uti spero non erit opus."

*To the right worshipfull my very good friend Mr. Casaubon at his house in St. Mary Axe in London.*

928, 3. v. *Kal. Mai.*] Ad Lingelshemium scribit Ep. 795. Libri aurei adversus Bellarminum scripti exemplari accepto auctorem scire cupit: epistolam ad Perronium mittit: de Scioppio, et penso Baroniano: luget obitum Hippolyti, juris olim utriusque professoris Heidelbergensis, tum Cancellarii Anhaltini, Electoris demum Palatini consiliarii ac Legati ad Ordines fœderatos Belgenses.

929, 10. *Kal. Mai.*] Ep. 797 respondet Bertio sententias a Vorstio alienas declaranti Ep. 796; theologorum quid sit judicium se non celaturum.

Ad Grotium scribit Ep. 798, Regem Epistolas ejus non sine voluptate legere, nunc in legendis Vorstii libris totum esse.

— 16. *literæ*] Ad Thuanum Ep. 799, Regi literis ejus nihil potuisse gratius accidere: sibi rem esse cum Baronio, sed magna molienti instrumenta deesse, librorum suorum desiderio enecante.

— 19. *Schoppium*] vel Scioppium. Gaspar Scioppius natus 1576, educatus Heidelbergæ et Altdorfii, ad Pontificios transfugit 1599. Prodiit illo auctore 1611 "Ecclesiasticus aucto-

ritati serenissimi D. Jacobi etc. oppositus,” qui liber, quum Henricum IV Galliarum Regem contumeliose tractaret, Lutetiæ publice combustus est, et “Collyrium Regium Britanniæ Regi graviter ex oculis laboranti muneri missum;” 1612 “Alexipharmacum Regium felli draconum et veneno aspidum sub Philippi Mornæi de Plessis nuper Papatus historia abdito appositum et serenissimo Jacobo Magnæ Britanniæ Regi strenæ Januariæ loco muneri missum.” Vir doctus fuit, summæ memoriæ atque industriæ, malignus, optimo cuique et doctissimo infestus. Scripta centum amplius, fictis multa nominibus, publicavit. Obiit 1649.

930, 9. v. *Eid. Mai.*] Ad Heinsium scripsit Ep. 800, accepta se munera Horatium, et Socratem ejus statim devorasse: Scioppium furere.

— 25. *literæ*] Ad Thuanum Ep. 801, iterum de gratis Regi literis ejus: de sermonibus ejus cum Cancellario: amare se patriam, et in illa diem ultimum claudere a Deo petere: propositum sibi in opere Baroniano τὰ θεολογούμενα non attingere, aut parce, τὰ ἱστορικὰ peccata persequi.

— 28. Ad Mortonum Ep. 802, gaudere se illi non improbari conatus suos: totum se esse in Baronio: petenti corrigit locum Gregorii Thaumaturgi.

P. Junio Ep. 803 Adamum Scotum rogatus commendat.

931, 22. x. *Kal. Jun.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 804, colloquii se facultatem cupere: ita se stylum temperaturum ut unius veritatis studiosus comprobetur: didicisse μακαρίζειν τοὺς ἐν Λουτεκίᾳ ὄντας.

932, 18. *Prid. Kal. Jun.*] Ad Grotium scripsit Ep. 805, e Gallia plures querelas venisse: se nihil scripsisse de quo non sit sæpissime deliberatum cum Rege et Episcopis.

Ad Joan. Lydium, Ep. 806, Ludovicum Capellum Sedanensem Oxonium petentem de Clemengio inquisiturum.

— 27. *Prid. Non. Jun.*] Ad D. Heinsium scripsit Ep. 807, expectare se scripta de Epistola ad Perronium: de Scioppio: de Plessæo certamine. “Certo crede, mi Heinsi, τὸν πάνυ Πλεσσαῖον in eo quidem incepto nihil se dignum fecisse, negotium temere susceptum, temere administratum, pudendo fine conclusum. Utinam aliter accidisset. Cæterum fingere τὰ

*μὴ ὄντα καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὅμοσε χωρεῖν* meum non est. Videbunt posteri quæ solito candore scripsit ea de re præstantissimus Thuanus, cui soli fides habenda. Nemo rei veritatem melius novit quam nos."

— 29. *Non. Jun.*] Ad Thuanum Ep. 808. "——Ego animi suspensus hæreo expectans quid D. Cancellarius super rebus meis dignitati tuæ responsi dederit. Si sedet animis *τῶν παρ' ὑμῖν κρατούντων* me revocare, et id serio agitur, non ut suspicor, *ἀφοσιώσεως χάριν*, sequar omnino consilium tuum. Interim opus susceptum, de quo nuper scripsi, ut possum, urgeo, infeliciter sane et dura prorsus lege; careo enim libris meis, quæ est insignita meorum studiorum calamitas. Hic enim neque omnes possum nancisci quos isthic habeo; neque alienis perinde uti queo ut meis quos longo usu contrivi. Et est tamen inceptum nostrum ejusmodi quod librorum subsidium requirat vel maximum. Amplissimum namque est argumentum et genus omne literarum attingit. Videbis *παντοδαπῶν ξυγγραφέων* loca plurima serie tractata, ritus ecclesiæ multos illustratos, figmenta stultissima *ἐξ ἀπειρίας* vel *φρενοβλαβείας* profecta, modeste quidem, sed solide tamen confutata. Hoc vero opus esse me aggressum necessariis subsidiis destitutum, ita mihi aliquando videtur absurdum ut cerebri satis sanus fuisse mihi sæpe jam ipse non videar. Igitur si, ut puto, veniam Rex Christianissimus est mihi concessurus manendi in hoc regno ad ver proximum, jussi Chabanæum meum paucos libros seligere e meis quos ad me curaret. Qua tamen in re præcepi illi, ut consilio tuo pareret, idque fore mihi gratum crederet quod placuisse tuæ illustri dignitati intelligerem. Potest id negotium *ἀψοφητὶ* et paucis consciis transigi. Velim vero persuasum esse omnibus, si de me revocando isthic serio fuerit cogitatum tam facile id futurum, etiamsi omnes meos hic haberem, quam futurum esset facile, si nullum haberem. Omnino autem serenissimo Regi rem feceritis longe gratissimam, si ad pertexendum opus inchoatum quod superest hujus anni et paucos menses mihi concesseritis. De moderatione quam toto opere servabo nihil addam ad ea quæ nuper scribere memini. Quod siquos isthic veri amor tangit, res ipsa, opinor, facile ab iis confessionem

expresserit, postquam nostra legerint, non fuisse quæ observavimus tenebris damnanda. Te quidem, φιλαληθέστατε Thuane, non sine aliqua voluptate nostram hanc lucubrationem confido esse lecturum. Age igitur, per Deum immortalem, veterem tuum clientem quod dudum facis perge amare, et tuis prudentissimis consiliis regere dignare. Sic te Dominus Jesus ὁ Θεάνθρωπος adjuvet, servet, fortunet. Vale, præses illustrissime." *Londini Non. Jun.* 1612.

"Vellem abesse propius a præstantissimo viro, Domino Fabro, cujus judicio observationes meæ aut starent aut caderent. Sancte affirmo tibi, plus solidæ eruditionis in unica illius epistola, quam recitat primo annali Cardinalis Baronius, invenire me quam in quovis duodecim illorum crassissimorum tomorum. Deus servet venerandum senem, et faxit ut de istis literis cum ipso conferre aliquando possim στόμα πρὸς στόμα. Virum quoque eruditissimum Rigaltium opto valere et me amare."

934, 9. *literæ*] Ad Thuanum Ep. 809, Historias ejus Regem magni facere : cum admiratione se accepisse quod nuper isthic decretum fuit de suo isthuc reditu.

935, 28. *literæ*] Ad Thuanum Ep. 810. "De serenissimi Regis in te animo, Præses amplissime, binas jam ad te jussu ipsius literas dedi. Quæ si ex fide fuerint curatæ omni jam te cura liberatum esse oportet. Optimus namque Rex e tuarum lectione eam voluptatem cepit, iisque lectis adeo ubertim et ἐνδιαθέτως in tuas laudes sese effudit, Dominum Episcopum Eliensem et me compellans, ut videatur infrunitus ille νησιώτης, qui huic gratiæ, ut sic dicam, reconciliationi occasionem præbuit non sine caussa factum illud suum tibi imputare posse, et gratiarum actionem a te exspectare. Ego quoque multum tibi debeo, qui vates non vanus per illam epistolam tuam sum declaratus. Dixeram enim Regi et πάνυ βεβαίως confirmaveram fore omnino ut ad primas quas a te acciperem literas æquissimus Rex te multo etiam magis quam antea amaret. Plane ita evenit; et tu, Præses amplissime, fidei, ingenui candoris et constantiæ laudem retulisti ingentem; ego aliquam οὐκ ἀστόχου μαντοσύνης. Quare gloriari possum κριτικὸν οὐκ ἀφυῆ esse me, in hac re fuisse conjectorem non

malum. Accepi vero ternas a te epistolas, quibus sermones mihi exponis, quos *ὁ σεβασμιώτατος* et illustrissimus Dominus Cancellarius pro sua erga me benevolentia habere apud te est dignatus. Narras enim jussam esse dignitatem tuam mihi significare, placere Majestati Regis Christianissimi in patriam me revocare. Tum autem jubes ipse me ejusdem illustrissimi Domini verbis, ut animi mei exponam tibi mentem. Parebo igitur tibi, amplissime vir, petamque a te etiam atque etiam vehementer, ne clientulo tuo hanc stultitiæ notam inuras, imo vero impietatis, ut me existimes propter locum mutatum animum mutasse, et illius suavissimæ dulcedinis esse oblitum quam patriæ charitas fruentibus patria sua etiam barbaris hominibus solet conciliare. Crede, obsecro te, et illustrissimo Domino confidenter persuade, quidvis potius eventurum, quam ut illa *ἔμφυτος στοργὴ τῆς πατρίδος* animo excidat mihi. Et agrestis aliquis ac ferus homo patriam tamen suam horridam licet ac gelu rigentem amat, et translatus in mitiorem terram lacte et melle manantem, miserum se credit et mala exilii commemorat? Ego non penitus ab humanitatis cultu alienus, patriæ meæ desiderio non afficiar, aut quanto caream bono quanta jucunditate parum intelligam? Non obtusa adeo gestamus pectora Galli. Quod si tam essem Stoicus, hoc est, ut equidem censeo, bardus et communis sensus expers, habeo sedulam monitricem uxorem meam, quæ ejusmodi stuporem facile mihi excuteret. Verum, crede mihi, nihil est opus *σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνειν*. Hæc eo pluribus exposui tibi, vir integerrime, ut de mea cupiditate, ne dicam voluntate, certus illustrissimo Domino Cancellario sine dubitatione spondeas vere et ex animo scribere me, quod jam scribo et sæpius memini scripsisse: non pendere nimirum a voluntate mea reditum meum, sed a jussione Regis Christianissimi et augustissimæ Reginæ; duo tamen petere me quanta maxima humilitate et submissione animi possum, ut et serenissimi Regis habeatur ratio, et familiæ meæ quæ maxima est. Ego quantum debeam optimo huic Principi, ne vos quidem puto ignorare. Opto igitur et supplex e Majestatibus Regis et Reginæ contendo, ut mihi liceat bona cum ipsorum gratia priusquam ex Anglia pedem effero, librum perficere, quem Regi serenis-

simo est animus nuncupare. Id opus cujusmodi sit non semel indicavi tibi proximis literis meis. Nam ut immunitatem aliarum angariarum mihi pararem et maximo tamen Regi satisfacerem, disputationem suscepi adversus illustrissimum Cardinalem Baronium, quam fore illis non ingratam spero qui jura Regum et Principum adversus Romanum Pontificem sine ulla ipsius Pontificis injuria defendi non nolunt. Neque enim potest jure summus Pontifex queri fieri sibi injuriam, si tantum illi tribuitur, quantum vetus ecclesia et concilia Œcumenica tribuerunt: etsi fatemur adulatoribus Papæ parum hoc videri. Scis edi libros quotidie et Romæ, et alibi, quibus Monarchia vere δεσποτικὴ in Imperatores ac Reges et Principes Papæ attribuitur cum potestate capitibus eorum ludendi ex animi lubidine. Nisi ipse libros legerem assidue Romæ et aliis in locis scriptos, quique scribuntur quotidie, calumniari crederem, si quis hoc diceret, quod ego jam dico. Quum igitur observaverim illustrissimum Cardinalem Baronium totos duodecim suos tomos eo præcipue fine scripsisse, ut hanc perniciosissimam doctrinam in animis legentium ingeneraret, disputationem adversus ipsum institui non de aliquo Religionis Christianæ capite, sed de ista Romani Pontificis infinita potestate, sive potius, ut ejus parasiti loquuntur, omnipotentia. Quæ ad dogmata Religionis Christianæ hodie controversa pertinent in Annalibus, ea certo consilio ne attigi quidem. Universam scriptionem ea moderatione temperavi, ut æquis lectoribus satisfacturum me sperem. Hoc unum opere toto egi, ut erranti docto viro comiter monstrarem viam. Utinam viveret illustrissimus ille Cardinalis. Si minus rem, at modestiam certe meam ipsi probarem: multa enim illi exciderunt ne mediocriter quidem docto viro digna. Spero ad finem anni hujus, aut non multo post editurum me quæ in primo Annali observavi. Hunc librum si Magnæ Britanniæ Regi dedicavero, quod vehementer cupio, nihil est quod me in hoc Regno vel horam unam teneat. Si igitur tantum me Superi ament, et Regem Christianissimum aliqua tangat mei cura, qui postremus sum subditorum ejus Majestatis, et plane τὸ μηδὲν, puto equidem, ubi semel hoc quasi æs alienum expunxero, facile hoc a Rege iri impetratum ut patriam repe-

tere mihi liceat. Tum vere illud solum supererit, ut illustrissimi Domini Cancellarii et tua commendatione impulsus Rex Christianissimus aliquam mei rationem habeat et honesti otii spem mihi faciat. O utinam illum ego diem videam, et det mihi clementia divina ea perficere incepta, quæ honori Regis mei in animo meo dudum destinavi. Nam hic quidem vel cogitare de prioribus studiis non possum. Itaque pendent opera interrupta minæque Murorum: quod sequitur verbum de meis lucubratiunculis non ausim usurpare. Deum immortalem supplex veneror, servet Regem, Reginam matrem, regiamque domum totam; servet etiam fideles ejus Majestatis ministros, cum primis illustrissimum virum et singulari observantia mihi colendum Dominum Cancellarium, et te, Præses amplissime, et quicquid tibi charum. Vale. *Londini 7 Kal. Jul. ut tempora isthic numerantur* 1612."

Pauli Veneti Ep. 811 respondet Ep. 812 de Baronii annalibus.

Respondet Heinsio Ep. 815, Epistolam ad Perronium laudari se gaudere: Papismi se patronum accusari literis ad Episcopum Bathoniensem: de Theophrasto.

Hugoni Grotio Ep. 816 in opere suo suscepto profitetur rerum veteris ecclesiæ nudam et simplicem explicationem sine affectu partium: de Theologo quodam damnante quædam in epistola ad Perronium scripta.

Joan. Drusii Observationes in N. Testamentum laudat Ep. 817: refutationi se Baronii otium dare.

936, 6. *Non. Jul.*] Ad Thuanum Ep. 814, de literis antea scriptis: in edendo libro contra Baronium nomen suum taceri vix posse: de Cottono occupato in contexenda historia quam Camdenus Latinam facit: Mareschallum de Retz semel post lanienam Parisiensem in Angliam venisse.

— 8. VIII. *Eid. Jul.*] Thuano Ep. 818 amicum quendam commendat.

— 20. *Milor Sacur*] Sanguer. "1612. The five and twentieth of June 1612 the Lord Sanguer a nobleman of Scotland, having in a private revenge suborned Robert Carlile to murther John Turner a master of fence, thought by his greatness to have born it out; but the King, respecting nothing so much as justice, would not suffer nobility to be a shelter for

villany, but according to the law, on the nine and twentieth of June, the said Lord Sanguer having been arraigned and condemned by the name of Robert Creighton esquire, was before Westminster Hall gate executed, where he dyed very penitent." *Baker Chronicle*, p. 513.

"Whereas on Mondaie laste a notorious Murther hath been committed upon the Person of one Turner by Roberte Carlisle a Scottishe Borderer, and one Erwin an Englishe Borderer being in his companie, which comminge to our Eares Wee have been noe lesse moved therewith then was fit, and in the Examination of the Circumstances thereof there appeare some vehemente Presumptions that the Lorde Sanguir a Nobleman of Scotlande, whose Servante Carlisle is, shoulde bee a Partie to the saide Murther, but none soe greate as that since the Facte hee hath withdrawne himselfe, and notwithstandinge that all due Inquisition hath been made after him is not yet founde, although it cannot bee certainelie pronounced that the saide Lorde Sanguir is guiltie thereof nor is suteable to the course of Justice to condemne a Person of his Qualiteie unhearde; yet for the Presumptions are greate, and for that alsoe if after this publique notice of our Pleasure hee shall continue to absente himselfe, Wee shall have juste cause to conclude him guiltie, and seeinge it befitteth well our Kinglie Office to use our Power and Authority to bringe all Men forth to the Triall of the Lawes of our Realme, having taken order for all other waies of Search and Inquisition for him by Sea and Lande, cannot yet lay houlde on him, Wee have, out of our Care that Justice shoulde be performed in so foule a Case, thoughte fit to have recourse to the Industrie and Love of our People, which never fayled Us yet in any cause that concerned our Safetie or Honor, and namely in the matter of Powder Treason, and soe evidentlie manifest itselfe as that through theire Care the Guiltie Persons remayninge in the Realme were all apprehended, although this Cause bee of an inferior degree, yet, because it is both in his owne Nature and divers Circumstances thereof verie odious, as namelie to bee done upon coulde Bloude, the Offence upon which it is grounded an accidental thinge not

malicious, the tyme of the supposed Wronge soe long since paste, and the Murther done with a Pistoll, a Weapon from which noe Man can bee safe, nor anie Defence protecte, and while the Parties were in tearmes of Friendshipp without anie renewinge of Quarrell; and finallie the whole handlinge of it beinge of suche a manner as in vulgar Peoples Mindes, who doe not see clearelie into thinges, maie work a Scandall and an Offence to the whole Nation, Wee have thoughte it apperteyninge to our Honour and to the Furtherance of Justice, to make use of our Peoples Love and Care for the apprehending of the Persons guiltie;

"Wherefore Wee doe hereby not onelie chardge and comaunde all our Maiors, Sherriffes, Bailiffes, Headboroughes, Constables, and all Officers of our Portes, as Customers, Comptrollers and Searchers, to doe theire beste Indeavors to searche for and apprehend, as well the said Lorde Sanguir as the saide Roberte Carlisle, of whome bothe a Discription is hereunder written, and to require all our lovinge Subjects therein to bee not onelie aydinge and assistinge to our saide Officers, but alsoe to use theire owne Care and Industrie;

"But further for theire better Incouragemente and Assurance to doe theire Dutie, and for the manifestation of our Zeal to Justice, Wee doe hereby declare signifie and promise that, whosoever shall apprehend and bringe into the Handes of anie of our Officers of Justice the Person of the said Lord Sanguhir livinge, shall have for his Rewarde the Somme of Five hundred Poundes currant Money of England; and for the Person of the saide Roberte Carlisle living One hundred Poundes; and in case the said Lorde Sanguhir or Roberte Carlisle shall in theire Apprehension make Resistance, soe as it shall be necessarie to use Violence towards them, by which they or either of them shall happen to be slaine, anie of our Subjectes who shall bringe into the Handes of anie of our Officers of Justice the Bodie of the saide Lorde Sanguhir deade, shall have for his Rewarde Three hundred Poundes Sterling; and for the Bodie deade of the saide Roberte Carlisle, Fiftie Poundes: and if it shall be founde that anie of our Officers whom it doth cheefelie concerne to doe theire

Diligence, or anie other of our Subjectes whome it maye concerne, shall neglecte the performance of theire Dutie uppon this our Commaundemente, or shall voluntarilie receive harboure or conceale the saide Lorde Sanguhir or Robert Carlisle, Wee doe signify to them all, that all against whom anye such Favoure or Receipt shall bee prooved, Wee will accompte as Accessaryes to the Faulte, and all such againste whome Neglecte shall bee proved, will punishe with all Severitie accordinge to our Lawes.

"The Lord Sanguhire of a reasonable tall Stature, pale Faced, of a sallowe Cullor, a small yellowishe Beard, one glass or false Eye, attended commonly with a French Boy.

"Robert Carlisle of an ordinarie Stature, a handsome Fellow, his Heire of his Head of a flaxen redd, his Beard something redder, with a Haireskarr or Cutt on his Lipp upp to his Nose which maketh him snuffle in his Speech.

"In witnes whereof etc.

"Wytnes our self at Westminster the thirteenth Day of Maie.

"Per ipsum Regem."

*Rymer*, *T. XVI.* p. 721.

937, 5. *literas*] Ad C. Vander Myle Ep. 813, in Epistolis ad Frontonem et Perronium ne unum iota se scripsisse contra verbum Dei aut veterem Ecclesiam: de M. de Serres: ecclesiæ nocere pariter Pontificios et homines novitatis amantes.

— 7. *literas*] Erpenium Ep. 820 ad parentes rediisse gaudet: benevolentia summa illum prosequitur: Arabica studia jacent: Bedwellus iter isthuc cogitat.

938, 15. *literæ*] Ad Thuanum Ep. 819, de Epistola sua quam dolet intercidisse. "Quæ refers mihi illustrissimi viri Domini Cancellarii verba incredibili me lætitia affecerunt. Nunc videor mihi cognoscere serio de me revocando esse isthic aliquando actum; nam hactenus quidem mentio ejus consilii fuerat facta; sed hoc ita frigide ut sæpe dubitarem quo fine illa dicerentur. Postrema hæc illustrissimi Cancellarii responsio persuadet mihi illustrem ejus dignitatem de eo negotio serio aliquando cogitasse, non enim putem e re nata dixisse illum, quæ adjicis de duplici incremento commodorum

meorum, si Deus dederit isthuc redire. Si quidem igitur illa vera sunt et satis certa, accipio lubens conditionem, et bene mecum agi tum credam, si dederit aliquando ὁ ἐπὶ πᾶσιν illa Christianissimi Regis liberalitate posse frui. Sed quia id, quicquid est, incrementi petendum videtur ex illa pecunia, quæ in usum Scholæ est assignata, caussam suspicor esse justam, cur ego metuam, ne res exitu careat: neque fortasse æquum fuerit, ut ipse ex alieno incommodo capiam commodum. Nam ut ipse doceam, vix credam posse fieri, ut tempora sunt et hominum ingenia.——"

938, 20. *accepi*] 363, 146 (*Burn. MSS.*) "Venerando avunculo D. Isaaco Casaubono, Is. Chabanæus S. P. D. Quantum video, operam hactenus lusi, nihil profuit mihi diligentia mea in tot literis conscribendis, quum illas non acceperis. Hæc nempe mea est infelicitas, et quæ maxime me angit, ut quum προθυμίαν in te meam, quibuscunque modis fieri posset, tibi esse notam vellem, nondum liceret tamen id re tibi demonstrare. Sed dabit aliquando Numen, quod mihi nunc hac in parte aliquanto infensius esse videtur, ut animi mei candor tibi sit, quam nunc est testatior. Neque persuasus essem unquam te tam leni argumento adduci posse ut meam propterea fidem in dubium vocares. Sed nolo hic innocentiam meam defendere, volo epistolam scribere, non caussam forensem agere; neque enim sumus coram judice: tempora palam facient, quo pede erga te me gessi, tunc ipse primus insontem me pronuntiabis. Χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος, κακὸν δὲ κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ. Quandoquidem autem dicis te adhuc statum rerum tuarum ignorare (quamquam quomodo id fieri possit, dicere haud possum, miror enim, quum posterioribus tuis dicebas ternas a me accepisse literas, nullas illum tibi declarasse: videris tamen mihi accepisse primas post adventum meum scriptas, ubi de literis a D. Arbaldo et D. de Rohan missis agebam; verum quia de eo bis scripsi, quænam sint priores vel posteriores dicere non possum) repetam quæ ante satis fuse explicueram. Et quoniam id erat præcipuum, de quo certior factus esse expetebas, quod fidei D. Arbaldi veneranda amita discedens commiserat, inde sumam exordium. Scito ergo me, quamprimum huc adveni, ipsum D. Ar-

baldum primum invisisse, ut ab ipso discerem, quo essent loco res tuæ, qui dixit, summam illam quam a te habet uno mense in Angliam ivisse et rediisse; ex eoque itinere lucrum viginti librarum fecisse; eamque deinde tuto loco collocasse, et emolumenta legibus concessa te accipere. Et hæc sunt, opinor, quæ de D. Arbaldo scire cupiebas, et præcipuum caput in libello tuo ὑπομνηματικῷ. Secundum erat ut scirem quid factum erat libris D. Blackvodæo traditis, de quo quum sæpius scripserim illum non esse in urbe, tandem postquam rediit, illum conveni, et scribebam tibi nudius tertius mihi respondisse se omnia quæ acceperat exemplaria reddidisse, sex cognato tradidisse, unum D. Tilotio dedisse, et unum sibi servasse, quod ipsi dederas, seque existimare non plura attulisse. Sed certum est te etiam ad D. Heraldum misisse. De D. Fabro non ausim affirmare num ipsi miseris, necne: quod si ita est, duo exemplaria perierunt, sin minus unum tantum. Tertio ut explorarem quænam spes esset tuæ mansiones isthic perpetuæ, aut reditus huc tui: de quo significavi nullum mihi cum D. Thuano habitum esse sermonem; tu ipse ex ejus literis et aliorum procerum melius intelligere potueris. Quarto ut mitterem libros quos in tuis ὑπομνήμασι notaveras, ex illis quæ sunt apud D. Stephanum quod feci et dudum te de his monui. Quod si casum eundem illæ literæ cum reliquis quæ perierunt passæ sint catalogum eorum librorum heic denuo retexam. 1. Philostratus Lemnius Gr. Lat. 2. Corn. Tacitus Lipsii. 3. Dionysius Halicarn. Gr. Lat. 4. Nicephorus Gregorius Gr. Lat. 5. Epigrammata Gr. 6. Stobæus Gr. Lat. 7. Seneca Rhetor. 8. Otto Episc. Frising. 9. Ortelii Thes. Geogr. 10. Nicetas Gr. MS. Hi sunt decem numero, quos omnes misi cum libris Bilii. Denique jubebas ut omnes tui libri essent mihi curæ, caveremque ne ullus ex illis periret, quod in postremis tuis severius etiam quam antea inculcasti, additis simul minis multaque perpetui odii tui mihi secus facienti vindicta, præterea vetas ne quis eos aperiat. Esto hac de re securus, nec ideo minus in utramque aurem dormi. Spero me hac in re officii mei non obliturum, nec quicquam omissurum de quo jure queri possis. Sed interim videndum est ne diutius inclusos caries, ob humiditatem quam hiberno

tempore contraxisse potuerunt, aut tinearum erosiones eos corrumpant. Quod dicis post tertium mensem elapsum te alia ratione rebus tuis prospecturum, etiamsi quo illud spectet certo non video, tamen videor mihi aliquid subolere. Sed dicam tibi libere, nullam te mihi facere injuriam, nec esse cur de te propterea queri possim aut debeam. Tu potes, venerande avuncule, in rebus tuis tuo uti jure, et pro tuo arbitrio de illis statuere, nunquam ægre feram te iis quam optime consuluisse. Piget me sane, et gravius etiam quam dico, tanto tibi esse oneri, sed si jusseris, quacunque tentem lege et conditione, faxo ut illa te exonerem sarcina. Denique jubes ut tecum candide agam, et si alia cogito, te moneam. Heic profecto videris mihi, parum novisse quis sim, qui arbitraris mea consilia velle me tibi esse ignota. Adeone *παραφωνεῖν* me existimas, ut te inconsulto quicquam moliri velim? Id tibi nullo modo persuaderi velim. Nam, quum jam tot annis vos loco filii me habueritis, ego autem tanquam parentes vos coluerim, nunc post tanta beneficia a vobis in me collata, tantopere ne me illorum vestri, mei denique esse oblitum censetis, ut velim omnium rerum mearum rationes vobis penitus non esse perspectas, et quicquam quod me spectat vos latere? Hoc ne credatis vos oro rogoque, atque mihi injuriam tantam fieri non sinatis. Quicquid tandem me fiet nunquam alius ero quam vobis obsequentissimus vestrique studiosissimus. De pecunia quam habet D. Stephanus, vereor ne tam cito possim recipere, arbitror enim eum non in tam lauta esse re, ut præsentem numerare possit. Ego tamen de hac re aurem vellam, et quid responderit monebo. Vale, venerande avuncule, Deus te tuosque omnes servet. *Lutet.* xv *Kal. Jul.* CIↃ IↃ CXII.

"Post has scriptas, quum nulli essent tabellarii per quos mitterem, coactus sum huc usque servare. Interea loci verba feci D. Stephano de reddenda pecunia, cavique te jubere, ut certiorem te faciam, num illam ab ipso receperim: qui respondit se de hoc quam primum cogitaturum, nec diu illam detenturum. Mone, si placet, quid super hac re facere me velis. Cognatus Johannes bene valet . . . quod his diebus obortus ei erat abscessus sub axilla qui multum suppu . . . . . nunc fere

sanatus est. Ad te non ita pridem bis aut ter scripsit. . . . . . has scripseram, fasciculum D. Lorentio tradidi, in quo erant . . . . . . cum epist. permutatoria . . . criminatoria Peleterii . . . . . . . ias CIↃ IↃ CXII."

*A Monsieur mon oncle Monsieur Casaubon a Londres.*

940, 7. VIII. *Eid. Aug.*] Heinsio Ep. 821 commendat Bedwellum literas ferentem, et Professoris Arabici munere perfuncturum Erpenium: amissum luget Bongarsium, beatum tamen, qui non viderit mala patriæ quæ parant duo genera hominum, Jesuitæ *στύγιον γένος*, et *οἱ ἐν τοῖς ἡμετέροις Ἰησουιτίζοντες.*

Grotio Ep. 822 Bedwellum ferentem commendat: Electoris Palatini adventus exspectatur: querelæ jactantur de hæresibus quæ in Epistola ad Perronium continentur: Heinsius rogatus ut in professione literarum Arabicarum occupetur industria Erpenii in Academia Lugduno-Batava educati.

Erpenio Ep. 823 commendat Bedwellum: Heinsio se et Grotio ipsum commendasse qui in Academia Lugdunensi constituatur Arabicarum literarum Professor.

Ad Thuanum scribit Ep. 824 de obitu Bongarsii: de observationibus suis, prophetia de sceptro Judæ auferendo, Scaligero, Serario, Torniello.

Ad Lingelshemium Ep. 825, in Epistola ad Perronium ne literam quidem esse sibi propriam, de singulis enim Regem cum Episcopis deliberasse: luget Bongarsium: mittit epistolæ isthic si placeat edendæ exemplar exhibendum operis.

941, 24. *literæ*] Ad Rittershusium Ep. 826 de suis occupationibus; de Epistola adversus Baronium tribuenda universo clero Anglicano non minus quam sibi; de Bongarsio.

Hœschelium Ep. 827 de loci Homerici depravatione facta a Scioppio, sibi adscripta: caussam cædis Henrici esse librum dictum *Directorium Inquisitionis.*

Lingelshemium Ep. 828, prolixa de Scioppio.

Heinsii curæ Ep. 829. commendat uxoris Bedwelli literas ad maritum: Baudii se epistolam accepisse.

Thuano Ep. 830 placitura quæ de Scaligero in opere Baroniano scripsit.

943, 16. III. *Non. Sept.*] Dunamiam invitatur. 363, 15

(*Burn. MSS.*) " Factum astu famuli mei ut cum alio scilicet iter faceret, Londinum excurrerit (ubi uxor illi et liberi) atque id facturum se me clam haberet. Fecissem alioqui, clarissime vir, quod nunc facio, ac libens. Nam quem ego mortalium saluto libentius? Quod si autem sic apud vos canis sæviit, præterquam quod non simul æstus (cum Dna) cætera multo hic te mitius habuisses. Nam Dunamiæ mira caloris *ἀδυναμία*, nec æstus quod sciam ullus æstate hac tota. Sed tot in urbe parietum reflexio in aerem ex fumo carbonum fossilium et reliqua illuvie spissiorem facit ut qui nobis vix canicula vobis molossus fuerit. Ex me argumentum sumito, quem non ex æstu sed vespertino frigore, cui diutius quam par inhæsi, occupavit febris cujus adhuc exitum expecto, quem voluerit bonus quem habemus Dnus. Tu, quæso, sic urge opus, ut tu illud ad finem; non illud tuæ ad detrimentum aliquod sanitatis. Magno stabit Christianæ reipublicæ vel levissima ejus in te jactura. Sed valetudinem et vires sufficiet tibi Deus votis multorum meisque inter multos affectu certe non ultimis. Etsi autem cum Patre Paulo non sentio esse opus illud Annalium non magni momenti; at id tamen omnes scimus, parem te oneri, satis jam tibi superque virium esse atque verborum ad hoc duellum. Tantum (amabo) in minutiis illis Chronologicis ne nimium diu hæreas: ad illa majora cito te confer, Ecclesiastica te digna, ad quæ te vocat expectatio literatorum omnium. De Puteano memini me in aliquo non ita pridem catalogo legere nomen illud in fronte libri cum literis S. J. nec librum inspexi, nec opus. Oportet infœlici sydere natum esse hominem, si te lacessat. Verum annon percommode accidit? Tu Puteanum expectas, ego Flaminum. Committamus, si placet, Puteum cum Flammis, nisi Puteus illi inanis sit, huic Flamma stuppea, frigeat vero ille, hic abeat in fumos. Sed extra jocum, agnosce, quæso te, in hoc facto astu Jesuiticum. Multorum (sat scio) jam in te stylos excitabant, non alio id autem animo, quam ut abducant a præclaro instituto, ne Baronium egregie vexes, ne veram lucem afferas historiæ sacræ. At tu ne te sinas avocari, quæso obtestorque, vel ad momentum: quasi catulos allatrantes proculca atque præteri: urge iter, quod ingressus es cœlo hominibusque faventibus.

Molinæus me non fallit, si bene novi illius ingenium, vult ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχος ἔμμεναι ἄλλων, et (est ut dicis) Sirenem habet, qua mirifice delenivit Regem, ut omnia de illo bona sæpe dici, nihil unquam sinistri audiri sustineat. Litem ipsam quod attinet, desipiam, siquid in ea videam nisi καινοφωνίας. At ego ex antiquitate mallem vel tres lineas quam tot istorum chartas quæ nihil redolent nisi τὸ φιλόκαινον. Servet autem Regi nostro optimo mentem Deus quam jam ante dedit, ne se velit et nos his litibus immiscere. Sat enim nobis litium, nec opus sic indies serere novas. Quod si autem Numen non intercedat, res mihi eruptura videtur in morbum. Tu vero qui superiori anno discessisti hinc D. Augustino (si meministi) infenso (dies enim discessus tui dies in Fastis notatus illius nomine) qui pluviis testatus abitum sibi hinc tuum minus placuisse, redi hoc anno si placet propitio eodem Scto Patre. Redi et vide nundinas tota Anglia celeberrimas: vel si minus nundinæ te capiunt, vide Manuscriptum illud S. Matthæi exemplar Hebraicum quod hic asservatur in Bibliotheca Corp. Christi. Sine te exorem ut redeas. Viso te convalescam illico. Pauculos tantum hic dies laxabis animum nobiscum. Figes damam, et trimestres tuos labores paulisper intermittes. Reverteris ubi voles. Hæc memento a febricitante esse. At te Deus nobis valentem diu atque incolumem servet magnum rei literariæ ornamentum. Vigilia D. Bartholomæi Dunamiæ. Omni studio atque officio semper tuus Eliensis."

*Clarissimo Viro Dno ac Amico mihi plurimum servando.*

*Dno Isaaco Casaubono Londinum.*

— 28. *Puteani*] 363, 16 (*Burn. MSS.*) "Vix tandem eluctatus sum, nec plane tamen. Sed signa sunt salutaria, Dei autem unius beneficio, nam medicorum opera usus non sum. Quis est ille igitur Puteanus? Non Prior aliquis Societatis, sed hic a Lovanio orator novus; quare tanto magis præteribis. Exsiccabis, ubi voles, uno radio tuo totum hunc puteum vocularum et facularum plane inanem. Item autem sentio unica tibi præfatione et hunc et reliquos qui prorepserint obterendos semel. Ab instituto autem quæso ne te dimoveant, quod qui dedit ut primam manum dabit et ut ultimam imponas α et ω. Ego vero de ἀπροσδιονύσοις nec cogitavi. Absit

id tantum quia video Chronologorum nodos illos vix explicabiles, nolim te in illos induas valde. In illis materia litis satis ampla si libeat post campum illum ingredi. Te premere scio quæ rei Ecclesiasticæ ingenti usui atque emolumento futura sunt. Ad illa ergo accinge te, illa excute, illic effunde quicquid habes ex multa lectione et diligenti observatione reconditi. Liceat vero, libere liceat semper, adeoque liberrime, quæ meditata habes de doctrinæ capitibus, in medium proferre. Ego incredibilem (scio) voluptatem ex eorum lectione capiam; discam multa senex, debebo tibi multorum vel memoriam quæ exciderunt, vel notitiam quæ non advertentem præterierunt. Quod jam ut te hic videam, rebus tuis minus commodum sit, vicem meam doleo; tanto magis approximabo ut tu me illic. Debebo Londino, quod nequeo Dunamiæ. Thomsonus valet et novum magistratum meditatur in eoque totus est. Ego Deum veneror ut Dñæ facilem et fælicem partum concedat, et Anglo Casaubono augeat familiam tuam. Deus te servet Cl. Vir. *Dunamiæ. Nativitate B. Virginis* 1612. (*Sept.* 8.) Omni studio omnique officio tuus semper Eliensis.

*Clarisso Viro Dno ac amico mihi plurimum observando*
*Dno Isaaco Casaubono Londinum.*

944, 12. *Kal. Oct.*] Ad Steph. Hubertum scribit Ep. 831, de colendis Arabicis studiis. "Hic sunt nonnulli qui non negligunt. Sed unus est mihi notus Bedwellus in iis literis longe ὑπείροχος ἄλλων. Quo nomine cum sit mihi charissimus, tamen propter mores longe est mihi charior. Est insitum huic nationi ut sua amet, aliena ne admittat quidem ad aliquam comparationem. Florentissima enim et ditissima sua collegia ipsis animos faciunt, ut omnes non vereantur præ se contemnere. Hoc vitio qui non laborant inter Anglos sunt viri admirandi, ut noster Bedwellus, homo simplicissimus omnium quos memini vidisse, alienus ab invidia, ab opinione sui, et a studio obtrectandi, quod hodie est ἐπιδήμιον morbi genus. Vidi ejus Thesaurum Arabicum, sic namque jure appellavero: est enim magna libri moles. Is nunc Lugduni Batavorum alterum mensem agit, eo profectus auspiciis et sumtu viri maximi Domini Episcopi Eliensis. Hic dignissimus Præsul non solum est doctissimus, sed etiam

egregie favet literis; itaque Bedwello pecuniam pollicitus est necessariam ad Thesauri Arabici editionem, et faciet; nam et potentissimus est, et ut dixi literarum amantissimus. Ille unicus est Angliæ Phœnix in omni re moderatissimus, cujus vota, cogitationes et sermones ad literas sacras et studium concordiæ semper referuntur."——Veretur ne Erpenius Bedwelli conatus retardet: Characterum Arabicorum inopiam eum queri miratur: Lebbæi characteres Episcopum Eliensem lubenter emturum: mallet manere in Gallia decus illud: nihil illos posse, idque Lutetiæ? "Ma femme vous baise les mains estant sur le point d'accoucher avec l'aide du bon Dieu."

*Londres de ce 22 Sept.* 1612.

*A Monsieur Monsieur Etienne Hubert, Medecin du Roi et sou Professeur és Langues Arabiques.*

944, 16. xv. *Kal. Oct.*] Ad Drusium scripsit Ep. 832 de notis ejus in N. Testamentum; de τῷ μακαρίτῃ filio ejus; Commentario Hebraico in Pirke Avor; suis in Baronium animadversionibus.

— 29. *Fenestræ*] Ad Archiepiscopum scripsit Ep. 1056. "Dabit mihi, spero, hanc veniam tua Reverentia, ut in sinum tuum meam querelam effundere liceat. Eleganter olim Gregorius Nazianzenus dixit, φάρμακον ἄλγεός ἐστι καὶ ἠέρι μῦθον ἐνισπεῖν. Ego vero non aeri dolorem meum narrabo; sed ei viro quem scio et re et consilio posse me adjuvare. Novit igitur tua illustris dignitas vexari hic me a nonnullis indignis modis. Non die, non nocte domi meæ tutus sum: lapidibus enim subinde fenestræ impetuntur; et magno cum periculo meo et meorum vitra fere quotidie franguntur. Nondum beneficio Dei vulnus ullum memorabile quisquam meorum accepit; sæpe tamen et uxor et liberi in periculo sunt versati. Heri adeo multa vitra sunt effracta, et dum cœnaretur, magni lapides in fenestras conjecti sunt. Equidem injuriæ auctores plane ignoro; odium tamen et malum animum certorum hominum cum in me, tum in liberis meis non semel sum expertus. Miror sane ea me pati inter ejusdem religionis homines, quæ a Pontificiis nunquam sum passus. Vixi Lutetiæ annos duodecim, modo Franciscanis vicinus, modo aliis infensissimis Reformationis hostibus, quum

ego et mei quotidie conciones nostras adiremus, domi alta voce Psalmos cantaremus; quædam etiam conciones palam in mea domo sunt habitæ; quia tamen erat multis notum Regem mihi favere, nemo unquam repertus est, qui vel verbo vel facto aut me aut meorum quemquam læderet. Londini ego vulnus grave semel accepi, cum in Aulam irem; mei liberi sæpe pulsati; probra sæpe in nos conjecta; postremo lapidibus quotidie fere incessimur. Quid hoc rei sit, nescio. Si meum nomen Anglis invisum est, securitati meæ et meorum ut consulam æquum fuerit. Nolui hanc meam ad serenissimum Regem prius deferre, quam illam tecum, illustrissime Domine, communicassem. Siquid igitur remedii potest afferri, peto obnixe ab illustri Reverentia tua, ut aliqua mei ratio habeatur. Non possum dissimulare nonnihil ista alacritatem illam imminuere, quam ad urgendum pensum et dies et noctes adhibeo. Deus Opt. Max. te servet, illustrissime Domine, et mihi amorem tuum. *Londini* 18 *Kal. Oct.* 1612."

945, I. VIII. *Kal. Oct.*] Erpenio Ep. 833 dolet aditum ad professionem quam petebat non dari, et characterum inopia conatibus ejus obsisti.

Ad Heinsium scribit Ep. 834, Epistolas ejus sibi gratas: in studiis se suis simplicem veritatem tueri: "De filio τί δάκρυον εὗδον ἐγείρεις; Non possum infelicis juvenis sine fletu et suspiriis meminisse. Non illi deerat ingenium; indoles quoque non pessima. Sed dum ego illum urgeo eat per mea vestigia et superet, quod fuit illi facile si fata sivissent, reperti sunt viri graves qui illum a me abducerent, et a professione purioris religionis. Ita ille ταλάντατος τοῖς ταλαιπώροις γονεῦσι τέθνηκε. Longa historia est, longæ ambages; sed ego immorari huic sermoni præ luctu nequeo. Nunc quid ille agat juxta scio cum ignarissimo. Deus ὁ πολυέλεος in viam rectam illum sistat. Hoc vere possum affirmare, avertendo illi cum primis occasionem præbuisse diversitatem inter nostras hodie opiniones et ecclesiæ veteris: quam differentiam certi homines magni quum illi summo studio ostendissent, me inscio est effectum quod fieri posse non putabam."—Erycii se Puteani librum adversus se vidisse; post perfectum opus unica præfatione omnes adversarios aggressurum.

P. Bertium Ep. 835: serium se certamen cum Baronio suscepisse: disputationem ejus alteram qui viderunt non reprehendere: esse qui nimis vetustati tribuant, plures qui nihil illi deferant: prodire oratores novos, imperitos, ad seditiones excitandas contra Regem suum aptos, præterea nihil.

949, 19. *literæ*] Ad Regem Jacobum Ep. 1057. "Cogitaveram preces humillimas tuæ Majestati offerre, petieramque ea super re consilium a Domino Bathoniensi, ut si ille mihi fundus et auctor esset, peterem supplex a Majestate tua, ut filiolum, quo nuper sum auctus, gloriosissimi sui nominis honore, pro sua inexhausta benignitate decorare dignaretur. Didici vero hodie ex epistola reverendissimi Episcopi tuam Majestatem, ubi primum de meo consilio nimis fortasse temerario ipsi fuit cognitum, non expectata petitione et precibus ultro statim vota mea antevertisse, et immensa quadam bonitate, quod petiturus fui, priusquam peterem, mihi esse largitum. Mutasti igitur, clementissime Domine, epistolæ hujus argumentum: preces cogitaveram, gratiarum actione est opus. Eram anxius ne tuam Majestatem ausu non excusabili offenderem; nunc anxius sum, quia verba non reperio, quibus grates tibi, Rex Regum clementissime, agam quas debeo, et quantas debeo. Nunc sentio infantiam meam. *Londini* xv *Octobris* 1612."

950, 7. *Pr. Kal. Nov.*] Thuano Ep. 836 Regem gaudio triumphare qui fuerit utilis; de conferendo in Regia bibliotheca loco Josephi lib. XIV. cap. 17. utrum scribatur ιὲ an κὲ: de Bavari (Joan. Georgii Herwarti) Chronologia.

952, 19. *Princeps Henricus*] "The illustrious Prince Frederick, Count Palatine of the Rhyne, with whom a treaty of marriage had been before with the Lady Elizabeth, on the sixteenth of October arrived at Gravesend; to whom the Duke of Lennox and divers other Lords were sent by the King who conducted him to White-hall, and from thence into the great banquetting-house, where the King, the Queen, Prince Henry, and the Lady Elizabeth entertained him in all kind manner, and after by barge conducted him to Essex house appointed for his lodging. It was many years since any King's daughter had been married in England; which

now happening, and to so illustrious a Prince, was just cause of triumph and rejoycing; but see the misery of humane affairs; joy can no sooner be setting forth, but sorrow will be sure to follow her at the heels, as now indeed it happened: for on the nine and twentieth of October the Prince Palatine, with all the great Lords in the kingdom in most jovial manner dining at Guildhall, Prince Henry, who was also invited and expected, could not come, being newly fallen sick of a popular malignant feaver, which reigned that year in most parts of this land: whereof on the sixth of November——he dyed.

"The corps of Prince Henry, who dyed at the age of eighteen years, eight months and seventeen days, was drawn in a chariot to the Abbey Church at Westminster, and there interred in the Chappel Royal on the seventh of December following." *Baker's Chronicle*, p. 513.

953, 25. *literæ*] Ad Claudium Salmasium scripsit Ep. 837, totius reformationis partem integerrimam esse in Anglia: de se et Baronio, et luctu tum privato tum publico ob mortem Henrici Walliæ Principis.

Janum Rutgersium Ep. 840, dolore se totum occupari propter obitum Henrici Walliæ principis.

Jac. Aug. Thuanum Ep. 841, acceptis se ejus literis egisse cum Cottonio ad quem ipse scribat: ivisse ad Camdenum, qui ad tertium miliare habitat domi non inventus. "Quas misisti ut traderem Henrico Wottono ipse attuli non multo propius habitanti quam facit Camdenus. Frustra fui: domi non est inventus semel atque iterum. Scripsi igitur illi et rogavi ut horam mihi condiceret; me velle ipsum convenire. Dies jam multos frustra exspecto: ne quid dissimulem, nihil inde exspecto. Ego mores Anglorum non capio. Quoscunque ipse habui notos priusquam huc venirem, jam ego illis sum ignotus, vere peregrinus, barbarus; nemo illorum me vel verbulo appellat: appellatus silet. Hoc quid rei sit non scio. Hic Wotto vir doctissimus ante annos viginti mecum Genevæ vixit, et ex eo tempore literis amicitiam coluimus. Postquam ego e Galliis ille Venetiis huc convenimus desii esse illi notus: meæ quoque epistolæ responsum dedit nullum, an sit daturus nescio."——De diligentia sua in opere exequendo, Scioppii ecclesiastico, obitu Principis Walliæ. "Clausam hanc episto-

lam recludi oportuit, ut hæc adjicerem. Scripsit tandem ad me D. Wotton in cujus epistola hæc verba habentur: 'Legi quæ ad me scripserat ornatissimus præses, cujus voluntati ne obtemperem hoc unum obstat, quod ipsi idem meditamur.' Conveniam illum et videbo, si est ὁρατός, et plura scribam."

955, 1. *literas*] 363, 143 (*Burn. MSS.*) "Venerando avunculo D. Isaaco Casaubono Is. Chabanæus S. D. Diu est quum primum mihi nuntiatum est filiam amitam peperisse, postea vero filium, eique a serenissimo Rege in baptismo suscepto nomen Benjamino fuisse impositum. Quare quum nihil certi haberem, quid potissimum crederem plane nesciebam. Itaque dubitanti mihi tandem tuas D. Rosa mihi attulit, quæ omnem dubitationem excusserunt, quanquam de nomine non plane constat; nondum enim sigillum τῆς παλιγγενεσίας ei fuerat impressum. Sed hæc non tam me sollicitum habebant quam reliqua. Gratulor autem tibi, venerande avuncule, et amitæ filium illum, Deumque oro, ut qualem tu ipse fore cupis, talem præstet. Non dubito illum maximi gaudii materiam tibi præbuisse. Sed, proh dolor! quantus luctus gaudium illud excepit, ob Principis Walliæ obitum, de quo tamen nulla in tuis literis mentio, nondum enim fato functus erat, cum illas scribebas. Graviter sane molesteque omnes, sed præsertim nostrarum partium homines mœstissimum illum casum tulerunt. Non mediocriter sum recreatus ex tuis intelligere versiculos meos cognato Merico placuisse, eique igniculos quosdam et incitamenta ad literas excitasse. Efficiam ut posthac quandoquidem mones, interdum ejusmodi stimulos ei addam, et quanquam versus mei sint frigidiores vel etiam hebetiores quam ut illum ad studia aut incendere aut incitare possint, tamen id conabor, ne hac in parte meo officio vel ipsius progressibus, quos omni studio et opera promovere velim, defuisse videar. Exspecto a te aliud responsum ad meas et Dni des Bordes literas, quas de ducentis aureis quos D. Vergerius et ejus uxor pro reditu Genevam mutuo a te accipere postulant, scripsimus. Scribam per D. Rosam fusius. Nunc enim tantum raptim scribo, quum de discessu isthuc cujusdam ante aliquot horas valde sero a D. Gentili certior factus essem. Vale, venerande avuncule, Deus Opt. Max. te et venerandam amitam et totam familiam salvos et incolumes

tueatur. *Lutetiæ Paris.* III *Kal. Nov.* (1612.) Heri tuas tantum accepi quæ XV die Oct. datæ sunt."

*A Monsieur Monsieur Casaubon chez Madame Killegrew. A Londres.*

956, 1. *amicos*] Lingelshemium Ep. 842, de scriptiuncula adversus Scioppium; operis inchoati partem visam a Sculteto, Archiepiscopi et aliorum Episcoporum censuræ subjiciendam.

Grotium Ep. 843; epistolam ejus Bedwellum attulisse: opus suum crescere.

Jacobum Capellum Ep. 844, monitum se funeribus Henrici Walliæ Principis, Nicolai Fabri, D. Karew olim in Gallia Legati, atque Bongarsii: paginas se descripsisse 324 ad an. Christi 33: quærere ut vincat veritas.

Erpenium Ep. 845, evangeliorum se Arabicorum usum sibi petere.

Heinsium Ep. 846, acceptas plures ejus μεμψιμοίρους. "Audivisti obiisse in Galliis Principem regii sanguinis Comitem Suessionensem pacis et publicæ tranquillitatis studiosissimum et a factione Hispanica alienissimum. Quo tempore allatus est in hanc aulam ille nuntius, incipiebat ægrotare Princeps Wallensis Regis filius, quem etiam mors immatura et vere acerba omnibus bonis abripuit. Non potest verbis dici quantam in illo uno capite universa Dei Ecclesia jacturam fecerit, quantam hoc regnum. Amisimus enim Principem in quo jure dubitares animine an corporis dotes præstarent. Scires natum ad magna, cum vultum intuereris et illud vere ἄξιον εἶδος τυραννίδος. Corpus ita firmum ut longævitatem merito illi sponderes. Pietas erga Deum notissima; στοργὴ erga parentes et inaffectata reverentia plane insignis. Prudentia in prima adolescentia senilis. Quid alias virtutes commemorem? Hic tantus Princeps paucorum dierum morbo terris ereptus est. Secuta est statim mors pene repentina nobilis senatoris Angli Domini Karew qui ante paucos annos Legatus Regis egerat in Gallia. Dum hic moritur, afferuntur illi literæ a maximo viro Domino Thuano, quibus erat adjuncta epistola ad me, quæ certiorem me facit de obitu Nicolai Fabri, viri, mi Heinsi, doctrinæ magnæ, sed probitatis et pietatis longe maximæ. Amabat ille me, ego ipsum venera-

bar vere ut λείψανον τοῦ χρυσοῦ γένους. Omitto obscuriores amicos: nam etiam hæc scribenti nuntiatur diem obiisse Northonus Bibliopola Londinensium ordinis sui hominum longe ditissimus et bonarum partium homo." Terras se lætum relicturum: Papistas contemnere verbum Dei: Epistolam ad Scioppium Lutetiæ editam missurum.

— 22. XVII. *Kal. Jan.*] Ad Thuanum scribens Ep. 847 Fabri jacturam luget.

957, 13. *Anglum*] Montacutum Episcopum Bathoniensem Ep. 1059. "Non patiar ut querelam meam ex aliis potius quam ex me cognoscas. Bonorum virorum est candide inter se agere, maxime autem illorum qui veritatis cælestis patrocinium adversus seculi hujus imposturas susceperunt. Ego, vir doctissime, quum relicta patria in qua regnat superstitio, huc veni, commentarium Polybianum habui præ manibus accuratissima diligentia, et novo exemplo, (absit verbo invidia) a me congestum, sed nondum digestum. Speravi bene me de literis severioribus meriturum editione observationum mearum, quas indefesso studio confeceram. Sed quum animadvertissem ea studia minus hic florere, et cognovissem serenissimum sapientissimumque Regem, Regum εὐσεβέστατον, studiis illis totum se dedere quæ ad pietatem conducunt, mutata velificatione morem gerere Domini et heri mei voluntati decrevi. Placuit maximo Regi, ut ego in confutandis Baronii Annalibus operam ponerem, quam operam exegerunt a me jam a multis annis utriusque partis viri boni in patria. Quia sic placebat magno Mæcenati meo, ad opus me accinxi ante aliquot menses. Jam beneficio Dei immortalis pars refutationis primi tomi non pœnitenda est confecta et descripta. Jam paginæ 390 sunt paratæ quarum partem maximam illustrissimus Præsul Dominus Cantuariensis legit. Propositum meum est, quod nemo amicorum ignorat, primum tomum ita accurate refellere, ut ex ea scriptione possit conjectura fieri de cæteris. Nihil igitur prætermissum est a me, quod jure possit reprehendi, quantum quidem in hac tenuitate ingenii possum deprehendere. Multi jam sunt menses, ex quo absolvi in Prolegomena Baroniana, vanissimam operis totius partem, ἔλεγχον capitum 31 quæ et plura multo, ut jam dixi,

legit illustrissimus Dominus Archiepiscopus. Dum ego in eo sum, ut pergam in suscepto opere, ecce adfertur mihi indiculus capita continens libri a te huc missi ut typis exprimatur. Eum indicem dum legere incipio, venio in eam sententiam, ut existimem aliquem studiosum confecisse argumenta mearum disputationum: atque ita statim dixi illi qui attulerat, serio confirmans eum esse indicem capitum libro meo comprehensorum, donec ab eo admonitus ut pergerem, porro vidi esse quidem idem argumentum, sed ab alio tractatum, qui antevertere editionem meam et plagii notam mihi voluit inurere. Erat in ima cera nomen tuum appositum, quod ut legi, miratus sum potuisse tibi hujus consilii in mentem venire. Non enim ignotum est tibi, id me nunc magni Regis jussu agere. Cur igitur in alienam messem immittis falcem? An existimasti me illa non esse animadversurum? Si ita credidisti, frustra fuisti. Quantum ex indiculo tuo potui cognoscere, nihil quicquam habes, quod me fugerit. Ego, nisi fallor, non pauca, quorum in tuo breviario nulla habetur mentio. Quod nolim in eam partem accipias, quasi ego plus mihi tribuam quam tibi. Absit, *οὐχ οὕτω τετύφωμαι.* Sed nolo te fugiat, diu esse quum hoc opus cœpi meditari. Itaque priora mea studia illi proposito mirifice nunc inserviunt. Scio quanta præstes eruditione, quo ingenii acumine excellas. Sed vix concedam tibi plura tibi errata Baronii esse animadversa quam mihi. Stupenda autem hæc *συγκυρία* meæ scriptionis et tuæ, nam argumenta a te conscripta, paucis immutatis, meis disputationibus optime conveniunt. Series capitum eadem fere; loca auctorum eadem; enumeratio Præsidum Syriæ an sit eadem nescio, certe propositum est idem. Disputationes pro Josepho eædem. Quid plura commemorem? Hoc fortasse intererit, quod tractatio erit diversa, et nos alia non pauca inserimus. Hoc quo acciderit casu nescio. Nunc ipse judica, quantam ego de te querendi occasionem habeam, qui tanto studio videris id unum quæsiisse, ut vel tua descripsisse judicer, vel actum agere. Certe imposuisti mihi necessitatem querendi de hac injuria, et apud Regem et publice, quum mea edentur, si illum diem videre Deus dederit. Pontificii vero quam suaviter ridebunt, quum hanc *οὐκ ἀγαθὴν ἔριν*

inter nos animadvertent? Si, quia peregrinus sum, propterea contemptu me habuisti, at Regem cogitares, cujus expresso jussu hæc opera mihi suscepta. Ego, Dei gratia, possum redire in patriam, et injuriam mihi factam serio tecum expostulare publicis scriptis. Fecisti enim erga me quod erga te facturus non fui, qui nunc etiam paratus sum, si ita Regi placuerit, imposita provincia cedere, et aliud curare. Hoc volui nescius ne esses. Vale. *Londini* 14 *Dec.* 1612."

Ad Thuanum scripsit Ep. 848, incertum se quid faciat: responsionem adversus primum Baronii tomum in duas partes divisam: priorem statim publicare meditari: operam se dedisse ne aut discederet a veteris ecclesiæ doctrina, aut asperitate bonos offenderet. "——Accipe nunc aliam, quam, nisi fallor, miraberis. Anglus quidam homo doctus et acris ingenii, Montacutus, qui nuper Gregorii Nazianzeni quædam edidit, postquam animadvertit in magna exspectatione esse hic opus meum, ut mearum scriptiuncularum suis popularibus desiderium leniret, ad propositum idem se accinxit, et confectam responsionem ad prolegomena statim Etona, ubi est apud Savilium, Londinum edendam misit. Etsi autem serio mandatum erat ut clam negotium haberetur, ne isti peregrini ex Anglorum scriptis proficiant (hæc enim fuere verba magni cujusdam viri) tota res tamen mihi patuit, et traditus est index capitum libro Montacuti tractatorum. Quum primum cœpi eam chartam legere, paratus fui jurare illum indicem confectum fuisse in capita operis mei. Idem ordo, eadem series, eadem reprehensa, iidem auctores allati, ut postquam rei veritatem novi, vel fraudem vel *συγκυρίαν* satis mirari nequirem. Quanquam nolim existimes in ista tractatione eandem congruentiam esse repertam ut dixerunt qui viderunt. Est ille quidem vir doctus; sed nos annis graves fortius pedem figimus. Itaque in summa propositi similitudine scopus tamen et ipsa tractatio plurimum differunt. Atque ego meæ existimationis interesse puto ut alienum opus edatur. Illud me male habet non esse habitam ab homine juvene (certe inferioris mihi ætatis) tot vigiliarum mearum rationem, non Domini Archiepiscopi, qui partem maximam operis mei legit et quanti faceret sæpe ostendit, non Regis ipsius, Principis

optimi, et maximo in his rebus judicio præditi. Quod si in Gallia degenti mihi hæc injuria esset facta, non ferret impune: detestor enim hanc *οὐκ ἀγαθὴν ἔριν*. Et illustrissimus Archiepiscopus, cui liber erat dicatus, consilium detestatus est, et vetuit edi. Erat præterea epistola furoris plena in Morellium nostrum. Opinio multorum est alieno instinctu auctorem id egisse nempe ejus (*Savilii*) qui tertio quoque verbo jactare soleat 'Scaliger præceps Grammaticus, stultus Philosophus, furiosus Mathematicus, præterea nihil.' En ingenium, en probitatem, en pietatem. Cum ejusmodi hominibus vel sermonem serere *οὐκ ἀκίνδυνον*."——

962, 30. *literas*] Ad Heinsium Ep. 849 de Montacuto qualia ad Thuanum in Ep. 848. " Hanc historiam noli communicare nisi cum amicissimis: *οὐ γὰρ ἀκίνδυνον τοῦτό γε.*

Ad Dominicum Baudium Ep. 850, Regem in se benevolentiæ testimonia dare, sed aulica negotia non ab unius voluntate pendere: se peregrinum esse in Anglia ubi peregrinis non semper bene est: Montacuti historiam ex Heinsio sciendam: uxorem illi contigisse ex animi sententia gratulatur.

966, 1. x. *Kal. Feb.*] Hadrianum Saraviam Ep. 851 doloribus acerrimis exercitum solatur.

967, 12. *literæ*] Ad Heinsium Ep. 852, scire se cupere verane fama sit de proditura Genevæ Scaligeri operum editione: de truncata annotatiuncula in nupera editione commentariorum in Suetonium.

Joan. a Witten Ep. 854, doluisse se intellecto Joannem a Wouveren fato functum: aggressum se primum Baronii tomum sperare partem operis sui ad vernales nundinas Francofurtenses futuram publici juris; gementem a Polybiano Commentario decessisse Regi obsecutum.

Janum Drusium Ep. 855, occasione data, mittit Epistolam ad Perronium et Characterum Theophrasti postremam editionem.

Fridericum Taubmannum Ep. 856, munus se ab illo missum accepisse: optimum Poetam et Latinæ linguæ parentem multum illi debuisse: veritati inimicam *τὴν τῶν γραμμάτων καὶ τῆς φιλολογίας ἀπειρίαν.*

Baudio Ep. 853 uxorem nacto gratulatur: morem non esse Anglorum ut viros eruditione claros aliunde accersant.

972, 5. *literas*] Ad Lingelshemium Ep. 866, de libro Ledresserio inscripto a Desiderio Heraldo super controversiis inter Academiam Parisiensem et Jesuitas.

Heinsium Ep. 867. Literas ante annos duos scriptas accepit, cum alteris ante tres menses, adjuncto munere Peplo et Orationibus ejus: partem aliquam sui operis expectandam ad nundinas Francofurdienses.

Joannem Sæckma Ep. 868, de Baronio.

Janum Drusium Ep. 869, pergere se in responsione ad primum Baronii tomum.

— 9. VII. *Kal. Mar.*] Lingelshemio Ep. 857, grates agit pro navata opera in conquirendis foliis Græculi Antagonistæ Joannis Eudæmonis: Regem nolle se unam horulam in confutandis næniis ponere: Electoris Palatini reditum jam futurum: solennitatem nuptiarum illius cum Elizabetha Principissa ipso die inchoari.

Ad Thuanum scripsit Ep. 858, Regem urgere opus suum: Perronium editurum responsionem adversus epistolam suam: si pacis et concordiæ certa spes est, abesse se a patria sine crimine vix sibi videri posse.

Ad Janum Gruterum Ep. 859, cupide se exspectare quid spei sit reliquum de editione Inscriptionum ejus.

Conrad. Rittershusium Ep. 860, de valetudine ejus: Scultetum hic esse: partem operis brevi apud typographum futurum.

D. Hœschelium Ep. 861, audire se Velserum abalienatum propter Epistolam ad Frontonem: partem operis sui non pœnitendam editioni paratam: Londini vix ullam esse bibliothecam in qua extet aliquid manu exaratum Græce, Oxonii quædam, fortasse etiam Cantabrigiæ.

Riccarti Ep. 862 orationem et versus laudat: de virtutibus Henrici Principis Walliæ non dissimilibus Henrici Regis sui: in Baronio occupatum se Polybium non posse curare.

Ad Remum scripsit Ep. 863, mirari se quod scripsit in diversis Germaniæ locis edi Epistolas ad Frontonem, Scioppium, Perronium: veritatem se sequi.

Phil. Jac. Maussacum Ep. 864 in patriam rediisse gaudet: se Gallum esse, et intimis fibris cordis sui reverentiam liliorum

esse impressam: Regem de libris ut virum doctissimum judicare: tot naufragia a mense Septembri facta, quot ab annis viginti non erant audita.

Rutgersium Ep. 865. "Sic est ut scribis——in obitu divini Principis non sola Anglia ingens detrimentum fecit, sed omnes vicinæ terræ et remotiores etiam. Ut rationes politicas sileam, amissum est certe et ex oculis ereptum rarum pulcherrimarum virtutum exemplum.——Nunc rerum facies mutata est, omnia enim gaudio et lætitia perstrepunt propter nuptias illustrissimæ principis Dominæ Elizabethæ de cujus excellentissima indole et summa pietate quicquid dixero minus erit.——De meo isthuc reditu certi nihil possum scribere: pendet ea res secundum Deum, a voluntate augustissimæ Reginæ, cujus permissu me Rex optimus in sua potestate habet."

— 14. *celebratis*] "On the fourteenth of February being Shrove Sunday and St. Valentine's day this happy marriage of the Palsgrave with the Lady Elizabeth was solemnized in the Chappel at Whitehall." *Baker's Chronicle*, p. 513.

973, 27. *Prid. Eid. Mar.*] Ad Joan. Prideaux scripsit Ep. 870, Archiepiscopum cum illo egisse ut responsionem susciperet ad librum Cretensis fraterculi Eudæmono-Johannis.

— 30. XIV. *Kal. Ap.*] Ep. 871 de Græculo: se brevi visurum Oxonium.

Ad Hectorem Bouricium Ep. 872, de Baronio et Polybio.

N. N. Ep. 873, de Fraterculo Cretensi, inimicorum clamoribus, Baronio meliore Bellarmino.

Thuanum Ep. 874, de loco Polybii ubi pilum Romanum describitur.

Swertium Antwerpiensem Ep. 875, se Græculo non responsurum; non teneri in Anglia lucri cupidine; Jesuitarum se scelera novisse.

Andream Schottum Ep. 876, de Jesuitis scriptoribus.

974, 15. VI. *Kal. Ap.*] Ad Joannem Prideaux scripsit Ep. 877, de responsione quam ille paraturus erat adversus Andream Eudæmona Joannem. "——Quæ ad doctrinam spectant, non movent me. Scio quam exiguum illud sit, quod hactenus didici; itaque nihil mihi tribuo, nihil unquam tribui

præter infinitam discendi cupiditatem. Possum et illud vere dicere, quantum per civilia bella licuit et alias occupationes nullum me diem otiosum egisse. In literis humanioribus ornandis multa sum molitus. Pars adhuc parva exiit eorum quæ meditati sumus. Characteres Theophrasti cum Latine vertissemus, et libro commentario illustrassemus paulo post Furlanus Græcorum doctissimus idem tentavit. Utri plus debeat Theophrastus propter operam illi pulcherrimo libro impensam tui facio judicii, vir doctissime. Ego videor posse vere dicere ipsos Græcos in notitia Ἑλληνικῆς παιδείας ab Europæis longe esse superatos. Ego præceptore usus sum Genevæ viro maximo, et quidem Cretensi sed φιλαλήθει, et vere pio, Francisco Porto; cui in ea professione successi natus annos viginti et tres. Qui putant me in solis Poetis aut Historiis ætatem trivisse, mirabuntur cum legent quæ scripsimus adversus Baronium. Cogentur enim fateri longis et assiduis vigiliis confectum esse id opus, siquidem dabit Deus Opt. Max. quod cupio perficere. Spero sane post mensem alterum, Deo propitio, me partem alteram typographo traditurum. Sed de eruditione statuat quisque ut volet: nam qui abjectissime de studiis nostris sentiunt mecum sentiunt. Οἶδα γὰρ ἐμὰ τὰ μέτρα, et præter amorem ἄφατον literarum nihil quicquam mihi arrogo. Restabat tertium caput criminationis de moribus. Atque in eo spero me facile consecuturum, ut ne tenuissima quidem suspicio eorum vitiorum in me residat, quæ mihi ὁ Κρῆς attribuit. Sed hoc erit vel proximæ epistolæ, vel sermonum nostrorum argumentum, et quidem, ut spero, brevi. Hoc interim scito, si φιλαργυρίας in meis moribus mica hæreret, potuisse me fortunas meas in Gallia constituere, et opes congerere, quas non temere aliquis meæ conditionis antea congessit. Regi maximo vixi charissimus. Ille stimulatus a Papæ mancipiis nihil reliquit intactum quo me ad se traheret. Stupebis ad ea, quæ in eo genere tibi sum narraturus cum bono Deo. Quot dies fui Lutetiæ, tot fere pugnæ mihi fuerunt pugnandæ adversus Fortunam auream irrumpere in meas ædes conantem. Maximi in Gallia proceres sciunt a Clemente VIII vocatum me esse Romam proposito aureorum octingentorum stipendio, ita ut

nihilominus fruerer Regis mei liberalitate et stipendio. Habeo aliquot Baronii epistolas incredibilis humanitatis plenas, habeo Cardinalium et aliorum Principum etiam Italorum. Si venalem conscientiam habuissem, emtores dudum multi fuerunt parati."

974, 23. III. *Kal. Ap.*] Alexandro Humio Ep. 878 judicium suum de grammatica ejus et Rami inventis declarat.

975, 13. 7 *Sabmedi*] Ad Joannem Prideaux Ep. 879 scripsit plura de se: totum se fere pueritiæ tempus amisisse et magnam adolescentiæ partem. "Anno ætatis nono poteram Latine loqui, a patre optimo et doctissimo institutus. Anno duodecimo ætatis ne declinare quidem nomen meum poteram. Caussa tantæ mutationis fuit, quod parens piæ memoriæ Verbi divini minister domo abfuit integrum fere triennium, coactus castra sequi, quoniam non sola ecclesia cujus ipse pastor erat, sed omnes universæ Galliæ πανσυδεὶ in corpus unum convenerant. Integrum fere triennium illa expeditio patrem tenuit, quum interim mater et nos liberi latitaremus inter summa pericula versantes. Ubi rediit pater, novus illi labor fuit suscipiendus, non peræque ut ante gratus: accedebat enim morbus fere continuus, et occupationes plurimæ gravissimæ. Nam quod vere affirmare possum, totius provinciæ negotia ecclesiastica ille maxime sustinebat vir pietatis admirandæ et profundæ prudentiæ. Perduxerat me labor patris ad elementa linguæ Græcæ, cum ecce infamem illam lanienam Parisiensem, quæ æternam nostræ Galliæ ignominiam inussit. Hic ego possem de beneficiis Dei erga meos parentes, de admiranda patris mei constantia in rebus trepidis multa narrare; sed illa melius coram, σὺν Θεῷ, brevi. Unam in Isocratis Parænesi ad Demonicum lectionem me pater docuerat, cum fugiendum fuit. Latitarunt aliquandiu pii in ea provincia, in quam pater se receperat: sed mox rediit virtus in præcordia, et veritatis defensio armis tentata est Deo sic propitio, ut paucis diebus ecclesiæ multæ resurgerent, quæ videbantur tanto casu æternum extinctæ. Factum hoc quarto mense post lanienam in ea parte Galliæ Narbonensis quæ Vivaretum hodie vocatur ab urbe Episcopali *Viviers*, olim civitas Albensium. Tum vero ita publicis nego-

tiis pater est occupatus, ut studia filii cogeretur omittere. Ea fuit altera clades meorum studiorum. Anno ætatis decimo nono Genevam sum missus studiorum caussa. Eram ibi natus, quum pater et mater ex Aquitania eo confugissent metu vivicomburii propter religionem, sed inde bimulus puer fueram in Galliam relatus. Hic ego quantum poteram dies noctesque vires contendens sitim meam conatus sum explere. Itaque Dei bonitas vigiliis nostris benedixit, ut anno ætatis vigesimo quarto Francisco Porto Cretensi Græcorum omnium nostri sæculi longe doctissimo, viro admirandæ probitatis, et pietatis singularis in professione literarum Græcarum successerim. Vixi annos quatuordecim Genevæ professor primo Græcarum literarum, deinde etiam Latinarum, aliquando etiam Hebraicarum, magno Bezæ longe charissimus; quum ego illum observarem ut parentem, ille me amplecteretur ut filium. Itaque si vellem gloriari, gloriarer tot annos fuisse me tam admirandi viri collegam, a quo didici *ταπεινὰ φρονεῖν καὶ τὸ πᾶν τῷ Θεῷ ἀνατιθέναι* si quid est quod præstitimus in literis. Cœtus universus pastorum et professorum Genevensium me semper, Deo sit laus, habuit charissimum et nunc etiam habet. Ego interim juri civili et philosophiæ operam dabam cupidus redeundi in Galliam. Tres annos impendi iis studiis publice et privatim usus doctore Pacio, cujus Organon et alia scripta philosophica, opinor, vidisti. Scito illum ingentem Commentarium in Organon mihi et duobus amicis scriptum esse, cum ille nos domi suæ doceret mercede ingenti: sed parens meus nulli pecuniæ parcebat ut meis studiis consuleretur. Sub illa tempora ortum est bellum Ligæ uti vocant. Ego parente orbatus, dejectus spe redeundi in Galliam, in languorem incidi, quo ut me liberarem, juris studia penitus reliqui, et repentino quodam impetu omnes libros barbarorum jurisconsultorum, quibus multum insudaveram, mutavi libris theologicis. Factum hoc ante annos viginti et octo, quo ex tempore nulla mihi sincera voluptas nisi in lectione Scripturarum aut piorum patrum, quos venerari didici usu ipso et assidua tractatione quantum quidem alia studia mihi permittebant. Ita factum ut ad certamen cum Baronio, novus, ut putant Græculus *θεοστογής*, Puteanus *ὁ τῶν θείων*

*γραμμάτων ἀμύητος*, et cæteri inimici mei, vel imparatus non accederem. Sunt anni decem, cum ego veniam petii ab Henrico magno, meo indulgentissimo Mæcenate, ut liceret mihi modeste Baronii mendacia refellere. Responsum tuli ab ore sacro illo, nondum tempus advenisse. O utinam Princeps admirabilis aliam consiliorum viam iniisset. Viveret hodie terror ille Hispanici nominis et ipsius *τοῦ τρικαρήνου*. Advenit certe tempus, cum ego umbra tectus maximi, sapientissimi, *καὶ εὐσεβεστάτου* nostri Regis meas cogitationes possum in publicum promere, et pro mea virili gigantem illum debellare. Jam paginas habeo conscriptas amplius quingentas. Et Rex moræ impatiens vult illas edi. Quod eo libentius facturus sum quia illustrissimus vir Dominus Archiepiscopus magnam partem legit, et ecclesiæ Dei opus fore non inutile mihi affirmavit. Mirabuntur qui Baronium pene pro Deo colunt, tantum fœdissimorum errorum in ejus scriptis potuisse deprehendi. Quotquot sunt inter Pontificios boni (sunt autem in nostra Gallia plurimi) ii mei operis editionem impatientissime exspectant."——De Jesuitis: quærit de morbo *ἐπιδημίῳ* grassante Oxonii.

975, 19. *Mar.*] Ad Lingelshemium scripsit Ep. 880, de Græculo Joanne et Baronio.

Heinsium Ep. 881, felicem se Hugonis Grotii consuetudine, cujus "divini ingenii præstantiam nemo satis capiet, nisi qui vultum præsentis viderit et sermones loquentis audierit: in vultu probitas habitat, sermones doctrinæ exquisitissimæ et pietatis sincerissimæ sunt indices:" si ipse invisat Angliam, evitet Julium, Augustum et Septembrem per quos menses Episcopus Eliensis Londino abest.

— 24. 13 *Vend.*] Ad Joan. Prideaux Ep. 882, Regem de itinere suo Oxonium solicitum: Græculum avaritiam sibi objicere. "Certe stultitiam hominis Rex nuper eo nomine detestabatur. 'Tu,' aiebat ille, 'neque in Gallia cum eras, neque postquam venisti, a me nummum ullum unquam petiisti: qui si petiisses, ablaturus fuisti.' Sic autem habe. Avita bona vexationes propter religionem partim patri ademerunt, partim matri piæ, quæ patri multos annos superstes fuit. Siquid e tot cladibus rei familiaris fuit reliqui ad sublevandam meorum

egestatem, quos iniquissimæ lites attriverant, concordi animo ego et uxor erogavimus. Itaque liberorum et nominum divites sumus; alias opes non habemus. Accidit enim, ita Deo permittente, ut et soror quam unicam habeo Genevæ omnibus suis fortunis privaretur; et uxoris meæ frater in similem calamitatem incideret. Omitto alia conjunctarum personarum ἀτυχήματα· quibus omnibus dum cupimus prodesse, ego et uxor pene liberorum nostrorum sumus obliti. Hæc mea avaritia est. Ante annos minimum duodecim serenissimus et εὐσεβέστατος Rex e Scotia humanissimas ad me dedit literas, et postea literis non unis suam benevolentiam significavit. Non sum abusus benignitate maximi Regis neque vel nummum unum ad hanc diem ab ea petii. Ultro dedit mihi ejus majestas stipendium quod in patria habui, ubi sunt omnia duplo εὐωνέστερα. Sic egi et cum Rege Galliarum a quo sciebam me amari. Sed abhorret natura mea a sordido verbo, Peto."——Respondetur objectis sibi ab eodem Græculo, perfidiæ, adulationi, versiculorum Græcorum licentiæ. "Negat me aliquid Græce scire. Fortasse non multum scio: scio tamen, nullum hoc sæculo Græcum extitisse, cui literæ Græcæ plus debeant quam mihi. Sed ille asinus nihil unquam meorum vidit præter Suetonium et pauca alia. Scio etiam me in Baronio et Bellarmino infinitos errores asininos deprehendisse e Græcæ linguæ pudenda ignorantia ortos. Nam Hebraicam aut alias Orientales Baronius ne attigit quidem: alter vix levissime attigit; idque non ut fieret doctior, sed ut cum ratione insaniret, præsertim in illo putido commentario in ψάλμους. Scito me ante annos decem in Notis ad Spartianum et alios auctores Historiæ Augustæ multas ineptias Baronii in Annalibus modeste reprehendisse. Quod ille adeo non neglexit, ut statim notas extra ordinem ediderit, quibus erant insertæ emendationes omnium fere errorum quos notaveram. Cum agitabatur caussa Veneta, rogatu ejus reipublicæ orsus sum scribere de libertate ecclesiastica; cujus libri edita sunt folia quindecim; atque horum nonnulla quum essent Romam allata, Papa per Legatum Regis Franciæ cum ipso egit, ut ego ab incepto desisterem. Ita coactus sum opus institutum relinquere ἀτελές."——"Liber ἀτελὴς in Germania est

iterum editus." Uxorem profectionem in Galliam parare: mittit Theophrasti sui exemplar.

976, 11. 20 *Vend.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 883, uxoris se discessum ægre ferre: mandatum illi ex sermonibus Thuani pendere: absente Bilio dilatam operis sui editionem: edita parte quid se futurum sit nescire: inter malevolos vitam vix vitalem: Hugonem Grotium se vidisse, qui Historiarum libros duodecim de rebus gestis in patria scripsit, et in negotio religionis docte et pie judicat.

— 15. 22 *Dim.*] Petrum Pithœum Ep. 884 adolescentem hortatur ut quam ingressus est viam constanter insistat, Fabro altero parente orbatus, patruos ob oculos ponens.

978, 3. 6 *Dim.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 885, literas illi ab uxore sua traditas: fine imposito parti operis Oxonium se cogitare. "Scio cogitare illos titulis magnificis me ornare; sed mihi, dum vivam, nullus unquam præter proprium nomen titulus erit. Jam olim κέκρικα. Hoc iter editionem cogit me differre. Verum erit aliquod moræ pretium, spero; mira enim prædicantur de Bibliotheca Oxoniensi quam homo privatus (*Thomas Bodlæus*) extruxit, qui in ipsum adificium, aut libros, vel alia academiæ ornamenta impendit vivus centum millia librarum Gallicarum, nuper autem rebus humanis renuntians legavit Academiæ septuaginta millia librarum."

Ad Hugonem Grotium scripsit Ep. 886—890 *Londini* atque *Oxoniæ*, de occasionibus cum illo colloquendi.

981, 1. *Abotius*] Collegii Balliolensis magister, S. Theol. R. Prof. 1612, qui Episcopus Sarisburiensis 1615, obiit 1617, anno ætatis 58.

— 6. *Decanum*] Ædis Christi, Gulielmum Goodwin 1611, qui obiit 1620.

— 22. *Bibliotheca*] The most learned Mr. Isaac Casaubon was entered a student of Bodlie's library as a member of Ch. Ch. in the month of May this year, but died soon after to the great loss of learning. He was a great linguist, a singular Grecian, and an exact philologer." *Wood's Fast. Oxon.*

— 29. *Judæo*] Jacobo vid. 1020, 29, Ep. 924.

982, 27. 26 *Sabm.*] Ad Heinsium scripsit Ep. 891, Grotium citius exspectatione sua rediisse: laudat illius opuscula nuper

accepta: "Opus, quod, volente Deo, jamjam sum editurus, inimicos meos adiget ad laqueum. Certe hoc spero me assecuturum, ut ipsi, siquid est in eis candoris, laqueis dignissimos se esse pronuntient. Impii homines, quos non pudet, quum adversus me scribant, suspicionem injicere, quasi parens meus suspendio vitam finierit. Equidem nesciebam quo spectaret in illorum scriptis illa crebra laquei aut restis mentio; sed docuit me Swertius vir optimus τὸν θεοστυγῆ Bonarscium hanc fabulam cogitasse, et sic multis persuadere. Deum immortalem! quæ est hæc plus quam diabolica rabies? Parens meus Diæ Vocontiorum fato functus est. Kalendis Januariis ante annos viginti et septem in morbum incidit. Kalendis Februariis beatam animam Deo reddidit. Elatus est humeris honestissimorum ejus urbis civium. Deduxerunt funus omnes fere nobiles religionis nostræ qui tunc ad comitia in eam urbem convenerant. Decem millia hominum ἀξιοπίστων in testimonium possum advocare."

Joannem Meursium Ep. 892, se Baronium solum curare.

983, 16. *Londino*] 366, 284 (*Burn. MSS.*) "Præstantissime vir, Domine mihi plurimum observande. Quod discedens mihi mandasti, ut per me de rebus tuis certior fieres, id ad primam hanc occasionem acceptis jam tuis literis prætermittere nolim. Haud ignoro quam tu libenter, dum abes, quæ tua pia est sollicitudo, περὶ τῶν ἰδίων quam sæpissime audias, nec me latet quantopere tuorum ἁμαρτήματα metuas, quantæque tibi curæ sit ut in timore Dei et honestis moribus inoffenso cursu ad bonam frugem pergant. In rebus tuis post discessum tuum nulla mutatio insignis accidit: hoc tantum: ancilla altera, die quo has scripsi, a D^na^ Killagrew, cui tua omnia non minori ac tibi curæ sunt, diu multumque examinata (namque malum ipsum ut detegeret sibi conspiciendum nullis precibus extorquere potuit fœmina modestissima) vix tandem se scabie contagiosa ac periculosissima laborare confessa est. Quo per certa indicia cognito, primum miseram ancillam cum verbis tum re consolata est; deinde illi hanc familiam relinquendam esse, demonstrato prius periculo quod ei ab ejusmodi morbo impenderet, non tam denuntiavit, quam leniter et blande significavit. Illa haud ægre assensa est; adeoque me has exa-

rante, navem quam conscenderet Caletum profectura quærebat. Interea sedulo id agit pia illa fœmina, ut famulam aliquam fidelem familiæ tuæ inveniat. Id ipsum quoque curat uxor D[ni] Aurelii. Liberi tui omnes, qui hic sunt, vivunt et valent Dei beneficio, et quod te maxime scire velle facile cognovi, nihil quod sciam, quod tuum animum offendat, postquam hinc profectus es, commisit eorum ullus. Filia natu maxima omnia recte administrat, omnesque non aliter mihi parent præcipue in quotidianis exercitiis et moribus componendis, quam si auctoritas mihi aliqua in eas data esset. Filiolum Jacobum *καλῶς ἔχειν* nuper ex ejus nutritio intelleximus. De literis tuis ad dominum decanum tibi gratias ago. Postulati mei rationem nescio an tibi exposuerim: exponam igitur, et rem totam paullo altius repetam. Ego, vir clarissime, postquam me luce ea donavit *ὁ πατὴρ τῶν φώτων*, ut nullam in rebus hisce caducis felicitatem veram positam esse facile possem perspicere, omnes cogitationes meas eo contuli ut in hac brevi et instabili vita, Creatoris mei Opt. Max. et Redemtoris clementissimi gloriæ omni mea opera et studio inservirem. Hanc cogitationem, quod scit ipse *ὁ καρδιογνώστης*, in rebus majoris momenti ad incepta mea omnia attuli. Idcirco cum patriam relinquere animum induxissem, diu multumque hoc mecum versavi, an ex illo consilio fructus aliquis ad ecclesiam Dei redire posset. Tandem vero non solum mea ipsius conscientia fretus, sed et virorum doctrina et pietate præstantium suffragiis adjutus, egressus sum patria, non inani impetu aut juvenili exteras videndi regiones ardore impulsus, sed solo doctrinæ et pietatis studio inductus: atque ita egressus sum, ut tenui viatico instructus mihi Deum de conditione aliqua honesta, præcipue autem de ratione commoda studia mea promovendi provisurum penitus confiderem: id quod, postquam in tuam familiam, vir summe, receptus sum, factum esse sensi. At enim cum hunc convictum haud ita diuturnum fore viderem, sive ad tuos filios curæ meæ commissos respicerem, quorum saltem alterum in Academiam mitti e re tua fore, et prævidi, et tibi sæpiuscule dixi: sive meas ipsius res considerarem, salarium enim mihi a te constitutum est, majus quidem illud, quam ut ei fortunæ tuæ vel merita mea respondeant,

minus tamen quam ut meæ tenuitati sufficiat. Hoc cum animo providerem, cœpi venire in hanc cogitationem, me iis rebus destitutum, quibus tanquam præsidiis fulciuntur præclara ingenia, divinitus huc vocari, ut tenui quam consecutus eram doctrina contentus, me totum sacro ministerio consecrarem, qua in vocatione tametsi literarum cognitione minus valerem, zelo tamen quo, cum sæculi mores video, totus ardeo, aliquid posse me non diffidebam. Sed cum ex altera parte in patriam, cui me meosque labores dicavi, oculos conjicerem, magnaque eam veræ eruditionis penuria laborare, deinceps etiam plus laboraturum non obscure perspicerem: statui in utraque re, si vires mihi et gratiam suppeditabit הַשַּׁדַּי *συμπατριώταις* meis suppetias ferre. Hoc ut effectum dem, mature mihi providendum est, ut vel hic vel in patria eo loco constituar, quo mihi præter victum et vestitum libri subministrentur. Quod si in hac regione ad paucos annos pedem fixero, tua me gratia, qua apud viros magnos polles, consequi posse nullus dubito, ut ea conditione fruar, in qua et ingenii cultum ex studiis privatis capiam et operam non inutilem ecclesiæ Dei præstem. Quæ me spes si frustra habebit, mihi danda opera erit, ut priusquam te relinquam, per amicos mihi in patria prospiciatur. Rogo igitur te, vir præstantissime atque humanissime, ut cum ad reverendissimum Episcopum Eliensem literas dabis, mihi ad eum perferendas tradi cures, et, nisi grave sit, illi me tanquam tuum diligenter commendes, ut me in clientelam suam admittere, et, si operam meam ecclesiæ utilem fore existimabit, rationem mei aliquam habere velit. Persuasum enim habeo, si modo te *γνησίως τὰ περὶ ἐμοῦ μεριμνᾷν* intelligat, facturum ut tuam mihi commendationem non parum profuisse intelligam. Interea omnem meum laborem et industriam in eo ponam, ut filii tui in pietate et bonis literis proficiant, speroque fore ut non pœnitendum progressum vel te judice ante exactum annum faciant. Sed te nimis obtundo. Hactenus igitur. Sunt hic quidam qui serio videntur domum velle conducere: me rogarunt, ut ex te sciscitarer, quantum ex quadraginta illis libris detracturus sis; præterea conventionem, quæ tibi cum possessore domus facta est, videre expetunt. Si clavem musæi tui mittas, quod vix

tamen fieri velim, semel tantum aperietur, ut charta illa promatur. Sed quod tibi videbitur, id fac. Vale, vir maxime, et, quod facis, me amore tuo decorare perge. *Londini v. Eid. Mai.* 1613. Tibi devotissimus et ad omne obsequium paratissimus

" Jacobus Wedderburnus."

984, 15. 1 *Jun. Vend.*] Ad Lingelshemium scripsit Ep. 893, Oxonium se venisse, ut in bibliotheca libros quosdam percurrat qui Londini non sunt inventi. " Hic inter alios pietate doctrinaque insignes viros amicum (*Joannem Prideaux*) reperi ante mihi ignotum, qui magna alacritate respondere τῷ καταράτῳ Græculo instituit. Ille me admonuit ter in illo brevi libello objici mihi patris mei suspendium. Obstupui ad hanc inauditam malignitatem. Nam vel ex hoc uno certo mihi constat Diabolum esse, τὸν πατέρα τοῦ ψεύδους, qui eas nænias Græculo dictitavit. Pater meus ante annos viginti et septem et quod excurrit, Diæ Vocontiorum in Delphinatu ipsis kalendis Januariis in morbum incidit. Habuerat ea die concionem ad nobilitatem in ea urbe comitia agentem, in qua vir pius et sanctus αὐτὸς αὐτοῦ κρείττων γενόμενος zeli incomparabilis specimen ediderat. Itaque totus sudore madens e suggestu descendit: mox illum febris occupat, quæ lenta erat, nec vehemens, sed continua. Mensem integrum ægrotavit. Kalendis Februariis animam Deo Creatori placide reddidit. Elatus est humeris honestissimorum civium. Deduxerunt funus cives omnes et Gallicæ nobilitatis ejus provinciæ pars maxima. Ingemuit morti illius tota provincia, neque hoc nesciunt Jesuitæ qui Turnoni habitant, aut in aliis vicinis oppidis."——

986, 12. *scripsi*] Ad Geverhartum Elmenhorstium Ep. 894, se occupatissimum esse, mittere epistolas ad Frontonem et Perronium, respondere Eudæmoni, scripsisse contra Scioppium.

— 25. IV. *Non. Jun.*] Ad Meursium Ep. 895, Bedwellum attulisse literas, illum de republica literaria quotidie bene mereri.

Joannem Prideaux Ep. 896, de Græculi immanitate, Regi atque Archiepiscopo communicatam esse comitatem illius et fratris.

987, 29. *E. L. S. R.*] Edmundum Legatum serenissimi Regis.

988, 19. *Eid. Jun.*] Ad Grotium scripsit Ep. 897, nihil se ab illo accepisse, de illo cum Rege locutum, obstupuisse calumnias de patris sui laqueo audientem.

Ad Erpenium Ep. 898, vidisse se Oxonii Lexicon Raphelengii cum ejus notis.

989, 4. XVI. *Kal. Jul.*] Ad Thuanum? Ep. 899. "Scripsi ante mensem ad te, Oxonium proficiscens ut nobilem illam academiam inviserem et bibliothecam de qua multa audiveram. Inveni omnia exspectatione mea majora: collegia et plurima, et pleraque eorum longe ditissima: studiosorum qui publico sumptu aluntur, hoc est, e reditibus ipsorum collegiorum, magnam copiam, nam superant duo millia, plerique omnes honesto loco nati, quidam e nobilitate etiam primaria; abest enim e collegiis Anglorum illa quam vocant nostri pædagogicam vitæ rationem. Hic literæ coluntur nobiliter, capita collegiorum instar nobilium virorum splendide vivunt, imo magnifice. Sunt inter illos qui decem millia librarum Gallicarum in annum expendant. Res studiosorum et rationes separatæ sunt, quod valde probavi. Reperiuntur quotidie, qui priorum magnificentiam imitentur. Itaque nova opera quotidie surgunt: quædam collegia a fundamentis nova exstruuntur; quædam augentur novis ædificiis, ut Mertonense cui præest Savilius, et alia plura. Unum ibi est a Cardinale Volsæo institutum, quod si ad finem perductum esset, prorsus erat futurum admiratione summa dignum. Sed ille vir morte sua multa a se inchoata ædificia destituit imperfecta, nunquam, ut omnes putant, perficienda. Sed me non adeo collegia capiebant, ut Bodlæana Bibliotheca, opus vel Rege dignum, nedum privato. Constat Bodlæum ducenta millia librarum Gallicarum aut vivum aut morientem contulisse ad ornatum illius bibliothecæ. Locus est elegantissimus, quod figuram literæ T exprimit. Partem quæ stipitem erectum exprimit, olim Princeps aliquis e saxo ædificaverat, opere satis magnifico; alteram partem Bodlæus adjecit magnificentia parem priori. Inferior pars auditorium est theologicum, cui haud scio an sit aliquod comparandum in Europa. Opus est fornicatum, sed singulari artificio confectum. Superior pars est ipsa bibliotheca valde affabre facta, et ingenti libro-

rum copia referta. Noli cogitare similem hic reperiri librorum Mss. copiam, atque est in Regia: sunt sane et in Anglia Mss. non pauci, sed nihil ad Regias opes. At librorum editorum admirandus est numerus, et qui incrementum quotannis est accepturus: reliquit enim Bodlæus annuos reditus sane luculentos in eam rem. Quamdiu Oxonii fui, totos dies in bibliotheca posui, nam libri efferri non possunt, patet vero bibliotheca omnibus studiosis per horas septem aut octo quotidie. Videres igitur multos semper studiosos paratis illis dapibus cupide fruentes, quod me non parum delectabat. Expertus sum doctorum omnium summum erga me studium. Omnes *πειθάναγκαι* sunt ab iis adhibitæ, ut me summis honoribus insignirent. Ego constanter titulos omnes repudiavi. Est Oxonii quidam vir eruditissimus (*J. Prideaux*) qui jussu Regis et Domini Archiepiscopi parat responsum ad librum Græculi Cretensis adversus me. Ille me statim adiit, ut sciret ex me, an pater meus fuerit suspensus; hoc enim Jesuitam impudentissimum ter affirmare. Obstupui ad novitatem hujus calumniæ, nam quæ hæc est plus quam Turcica rabies viri probi manes sollicitare annis ipsis viginti et octo post ipsius obitum? Cogito hanc calumniam brevissimo scripto refutare, in quo si justæ iræ habenas laxavero, spero omnes bonos veniam mihi daturos. Mihi pater tot exquisitæ virtutis exempla reliquit, ut tantam scelestissimorum hominum audaciam coercere omnino debeam. Heri ostendit mihi Rex Indicem Expurgatorium Hispaniæ ipsi missum, in quo furorem suum impudenter exercuerunt patres in Scaligeri scripta et mea. Jam intelligo meram esse insaniam sperare, posse aliquid profici moderatione. Hæc gens impia bellum *ἄσπονδον* juravit adversus veritatem. Itaque jam me fere pœnitet quod Baronium clementius tractaverim; *ἥλῳ τὸν ἧλον, παττάλῳ τὸν πάτταλον.*"

990, 25. *amicis*] Joan. Prideaux Ep. 900 Judæum commendat: mendacium de patre suo refutatum in pagina 35 operis sui facta digressione. "Redeo ad nostrum Rabbinum, quem serio fieri Christianum, serenissimus Rex, et illustrissimus Archiepiscopus vehementer optant. Ego illi auctor fui ut curaret se in negotio religionis ante baptismum diligenter instituendum. Præstat paulo serius, modo firmius. Video ipsum in Thal-

mudica doctrina mire versatum, multis tentari dubitationibus quas evelli ex ipsius animo pretium fuerit operæ. Accedit quod memoria parentum quos habet sui amantissimos, et divites, reflectere oculos ipsum aliquando cogat. Hoc ego non semel animadverti, qui tamen videor posse affirmare ipsum voluntate jam Christianum esse. Opto ipsum Oxonii manere, persuasus posse olim ejus operam illustrissimæ Academiæ vestræ decus aliquod afferre. Iterum igitur atque iterum te oro, ut pro tua pietate negotium hoc tua cura indignum ne existimes."——Vide 1020, 29. Ep. 924.

Abotio, qui respondet 363, 13 (*Burn. MSS.*) "Itane vero est ut tu mihi binas, et ego interim tibi nullas? Certe otium mihi, non voluntas defuit, et tamen malo item iniquus esse negotio, quam officio deesse. Scito vero factum a me quod pollicitus sum, et jam propediem in lucem venturum esse, quod tamen a te quoque vehementer curari ut per te fiat, non inconvenit, ita tamen ne tibi de impudentissimo nebulone nimiam molestiam facias. Quod humanitates nostras tam bonam in partem interpretaris, quod tam amice prædicas, debitorem facis, dignus qui magna officia percipias cui tam parva tanti sunt. Animus erat salutare te, ne incivilis sim, sed comitialium jam negotiorum æstu laborans, ut vix respirandi tempus habeam, cogor esse brevior quam par sit. Quare uno verbo valere te jubeo, et oro, te ut Deus quam diutissime incolumem servet. *Oxonii*, *Junii nostri* 30, 1613. Tui amantissimus R. Abbott."

994, 19. III. *Non. Jul.*] Ad Joan. Prideaux scripsit Ep. 901, pergere se in editione operis sui: missurum digressionem de Græculo separatim editam.

996, 6. IV. *Eid. Jul.*] Heinsio Ep. 902 commendat veterem amicum Græcarum literarum apud Rupellenses professorem, atque Isaacum Chabanæum.

998, 15. XIV. *Kal. Aug.*] Ad Prideaux scripsit Ep. 903, propter diuturniorem uxoris in Galliis moram nondum se ausum oculis hominum exponere aculeatam illam scriptiunculam. Commendat Judæum Jacobum.

1002, 17. *Tostate*] *vel Tostato* Hispano, Avilæ Episcopo, qui obiit 1454. ætat. 40.

1005, 6. VI. *Eid. Aug.*] Ad Laurentium Bochellum scripsit Ep. 904. "Est vetus institutum hujus Regni, ut quotannis Rex, æstate exeunte, aliquam partem e remotioribus regni sui locis invisat, qui mos religiosissime ab hoc Principe servatur. Hæc caussa est, cur ego neque Regiam Majestatem convenerim, neque tuis respondere hactenus potuerim." Malo esse loco patriæ suæ res et fortunas per τοὺς θεοστυγεῖς πατραλοίας· adventum ejus sibi gratissimum futurum. "Unum non debeo prætermittere, si mores gentis et quomodo hic vivatur uberius scire cupias, esse isthic uxorem meam quam potes consulere."

— 11. v. *Eid. Aug.*] Ad Lingelshemium scripsit Ep. 905, uxori se mandasse ut librum Arabicum qui ad illius bibliothecam pertineret inter libros suos quærendum curaret.

Thuanum Ep. 906, operis sui quotidie folium unum edi: ita duraturam editionem 150 dies ἐργασίμους.

Hœschelium Ep. 907, de nondum publicata responsione sua. "Ἡ γὰρ φιλτάτη σύζυγος in Galliis nunc est, ut non sit consultum pestes illas irritare."

Dionysium Guerinum Ep. 908, patriam se amare; sed esse quæ desiderium ejus levent. "Quoties venit in mentem concionum Gonterianarum quas per illam quadragesimam habuit quæ Henrici Magni cædem præcessit, toties contremiscunt mihi artus metu futuri." De mendacii refutatione majori inserta operi. (Ad annales Baronii Exercitat. 1. sect. 4. p. 37.)

1006, 21. XVI. *Kal. Sept.*] Ad Joannem Spotisvodum Archiepiscopum Glascoensem nactus scribendi occasionem, meminit Ep. 909, se ab illo compulsum ut ad Regem Jacobum scriberet.

Petro Junio Ep. 910 salutem plurimam nunciari, uxorem se adhuc expectare.

1009, 12. X. *Kal. Sept.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 911, uxorem suam, quæ dudum exacti semestris stipendium recipere non possit, ad illius præsidium confugere.

Ad Benjaminum Carrierum Ep. 912, nolle se in manus aut Regis aut Archiepiscopi venire scriptionem ejus qui Papæ tyrannidem in regnum revocet.

— 21. VIII. *Kal. Sept.*] Ad Heinsium Ep. 913, duabus se

caussis non scribere, quia ipse occupatus est, et quia ille non scribit. Amicum reddentem literas commendat.

1011, 26. *Pr. K. Sept.*] 367, 6 (*Burn. MSS.*) "Monsieur et treshonoré oncle. Il y a deux ou trois jours que je receus deux de vostres tout a un coup que vous auriez escrites par Mr. Rou. Elles etoyent assez vieilles, et ont passe par Paris, d'ou on me les a envoyees icy. Je ne me suys point haste a faire responce, d'autant que les precedentes que j'ay receu de vous estoyent plus recentes. Et puis aussi que vous pensiez lors que j'estois encore a Paris ne pouvant icy faire rien pour votre service qui fut contenu en icelles. Je suys fort marry de voir que l'absence de ma tante vous est si ennuyeuse voire tellement quelle vous cause une indisposition grande en votre sante. Si jeusse este a Paris jeusse fait tout mon possible pour luy persuader de s'en retourner vistement, en quoy je n'eusse pas eu beaucoup de peyne, veu que d'elle mesme elle y estoit assez disposee. Je n'ay point eu de ses nouvelles depuis que je suys icy. Je croy bien qu'elle n'est plus a ceste heure a Paris. Je vous ay escrit une fois depuis que je suys icy: depuis nous avons este aux champs quelques 12 ou 13 jours. Je n'ay encore sceu voir Monsr. Grotius, combien que il y a quelques jours en revenant des champs que nous passames a Roterdam. Mais nous ne nous y arrestasmes qu'envyron une heure, et ne peus l'aller cercher. J'attens de voir Monsr. Heinsius et Erpennius a Leyden, ou j'espere d'aller devant que retourner en France, Dieu aidant. J'extime qu'aurez entendu la mort de Mr. Baudius, qui deceda il y a quelques six ou sept jours. Il y a icy Mr. Utemboger ministre de ce lieu qui estoit a Paris avec les ambassadeurs extraord. de Messrs. les Estats il y a quelques quatres ans, lequel scachant que vous estiez de ses amis, (car il me souvient qu'estant a Paris il vous visitoit souvent) J'ay este voir. Il m'a donne charge de vous faire ses recommandations. S'il y avoit icy quelques autres de vos amis que desirassiez que je visse je le ferois. Il y a Mr. de Vandermille, que je scay bien estre de vos amis icy, mais je ne l'ay point este voir, n'ayant rien a luy dire. Je croy que nous serons encore icy bien un mois ou cinq sepmaines pour le moins, si durant ce temps je

vous y puis servir en quelque chose je ne seray moins affectione a vous obeir que j'ay este cydevant. Je prie Dieu qu'il vous ait en sa sainte garde. Je me recommande tres humblement a vos bonnes graces et de Madame ma tante, cousins et cousines, et me tenez, sil vous plaist, votre plus humble et plus obeisst. neveu et serviteur, Is. Chabanes."

*De la Haye ce* 30 *Aoust* 1613.

1012, 18. IV. *Non. Sept.*] Ad Hectora Bouricium Ep. 914, occupatum se in operis sui editione; folia fere centum edita.

1013, 8. *literas*] 363, 14 (*Burn. MSS.*) "Ornatissime Domine. Est quidam Doctor Carrierus, unus ex Canonicis Ecclesiæ Metropoliticæ Cantuariensis, qui ante quatuor aut quinque menses in partes transmarinas profectus est. De hoc homine rumores non boni semel atque iterum ad me afferuntur, de quibus adhuc plene judicare non possum. Inter cætera significatum est, eum utpote tibi satis cognitum, ad tuam Dominationem literas animi sui interpretes nuper dedisse. Peto ut mihi significes num ita se res habeat necne: et si tales literas acceperis ut per hunc meum famulum velis ad me hodie mittere. Ita ulteriorem tibi non facturus molestiam fausta tibi tuisque precatur omnia, qui est Dominationis tuæ fidelis amicus. G. Cant." *Croydoniæ Septemb.* 7, 1613.

— 14. *quæ nollem*] Ad Pontificios illum transfugisse.

1015, 20. *Pr. Kal. Oct.*] Ad Joannem Prideaux scripsit Ep. 915, Regem petiisse quando librum ejus visurus sit.

Heinsium Ep. 916, ad paginam 305 perventum esse; Baudii se mortem iniquissimo animo ferre.

Grotio Ep. 917 adolescentem literas reddentem commendat.

Erpenium Ep. 918 rogat, quomodo in Paraphrasibus ejus Arabicis aut Scaligeri, verba Matthæi xvi. 18, Σὺ εἶ Πέτρος, versa sint.

1016, 7. IV. *Non. Oct.*] Ad Prideaux scripsit Ep. 919. "Audio miserum Judæum ivisse se perditum, stultitia sua, nescio dicam, an perfidia. De re nihil possum dicere, quæ mihi est ignota. Perfricabo tantum frontem, et pro meo erga literas amore te rogabo ut mentem ne impellas; neve sententiæ ad-

versus illum asperioris auctor esse velis. Agnoscat Judæus obstinatus Christi mansuetudinem ex illorum clementia qui nomen Christi profitentur."

1017, 8. *Eid. Oct.*] Ad Thuanum scribit Ep. 920, quæ de suo opere edita sunt se non misisse, quia Bilius folia non sinit domo efferri: vergere autem opus ad finem.

1018, 29. v. *Kal. Nov.*] Thuanum Ep. 921 orat ut apud Proceres caussam suam agere pergat: uxorem ægrotare: in novas ædes immigratum: gratias agit de tomo Historiæ ejus quem misit.

Ad Joan. Prideaux scribit Ep. 922, gratum fore si folia quæ scripserit Regi communicanda miserit. De versibus contra se factis opponendis Francisci Porti versibus: Judæum se humanitati ejus cum gemitu commendare.

1020, 5. VII. *Eid. Nov.*] Ad Hadrianum scribit Ep. 823, de laboriosissima sua vita: paginis fere 500 jam editis: silentio Grotii: libro MS. a Rege ostenso qui dicebatur esse ab eo scriptus.

— 17. *Moschovia*] "The nowe High and Mighty Prince Michaell Feoderwick Lord King and Great Duke of all Russia and many other great Kingdomes, and by his Ambassadors lately sent unto Us hath expressed his earnest Desire for the continuance of the same (*peace between the duke of Russia and the King of Sweden*).

"We have been further requested by the saide Ambassadors of the said Great Duke to be a Mediator between him and the K. of Sweden for the composition of such differences as are sprung up betwixt them to the Dammage of both Nations.

"De pace cum Rege Russiæ continuanda et de pace inter dictum Regem Russiæ et Regem Sueciæ medianda." *Rymer, XVI. p. 768.*

"About this time an Embassador came from the young Emperor of Russia to King James, desiring his continual love and amity, and to be a means of making atonement between him and the King of Swedeland, and withall presented him with a rich present of furs: which was no small honour to the King of Great Britain to have so great a Potentate as

the Emperor of Russia solicite him to be his mediator." *Baker's Chronicle*, p. 514. Vide 1052, 17.

— 29. *literæ*] Ad Episcopum Bathoniensem? Ep. 924. "Accidit mihi ante aliquot menses, cum essem Oxonii, ut Judæum quendam ibi offenderem, adolescentem in literis Judaicis et Thalmudicis supra fidem doctum. Vastam enim illam molem totius doctrinæ Thalmudicæ ita habet in numerato, ut longo intervallo superet omnes quos unquam vidi Judæos. Accedit cognitio plurimarum linguarum, et in his Latinæ, quod in Judæo rarum est. Hic cum velle se fieri Christianum diceret, de sententiis virorum clarissimorum qui illustrem academiam regunt, venit Londinum una mecum, et apud me mensem et amplius mansit. Cum videretur serio velle nomen Christo dare, ausus sum de illo sermonem habere apud serenissimi Regis Majestatem: commendavi etiam illum illustrissimo præsuli, Domino Archiepiscopo, et reverendissimo Domino Eliensi; quorum uterque liberaliter admodum cum Judæo egit: atque ille sic postea discessit a me, Oxonium repetens, ut magno baptismi desiderio videretur affici. Quod quum ego mirifice optarem, vereri tamen subiit non semel ne infelici Judæo sua doctrina cederet in perniciem: enutritus enim iis scriptis, quæ blasphemias contra Salvatorem horrendas continent, ita animi mentem dissimulare non poterat ut non aliquam interdum metuendi occasionem mihi præberet. Ne multis reverentiam tuam morer, eventus docuit non fuisse metum meum inanem. Oxonium reversus, et longa simulatione usus, ubi ad rem ventum est, et dies instabat, quo erat baptizandus, repente Judæus urbe aufugit, et itineri se accinxit, ut huc veniret. Retractus a fuga rejectus est in carcerem, ubi etiam nunc hæret, justas suæ perfidiæ pœnas pendens. Nam quod nolit fieri Christianus crimen legibus puniendum, opinor, hoc non est; sed tantum quod simulaverit. Audio tamen esse quosdam, qui justo odio accensi dirum aliquod in miserum hominem supplicium cupiunt statui. Hæc caussa est cur alterum jam mensem in carcere hæreat sine spe dimissionis. Egi de illo cum illustrissimo et reverendissimo Archiepiscopo, qui confirmavit mihi se daturum operam, ut ei negotio finis semel imponeretur. Sed audio

esse aliquem qui impediat quo minus hoc fiat. Et scribitur ad me Oxonio, periculum esse ne homo infelix fame et pædore pereat in illo duro carcere. Ego, etsi detestor ex animo illius perfidiam, non possum tamen non aliqua ejus tangi commiseratione propter excellentem ipsius doctrinam; quam et Dominus Kilbius Regius Professor linguæ sanctæ Oxonii vir præstantissimus non minus admiratur quam ipse faciam. Habes, reverendissime Domine, caussam hujus meæ scriptionis; nam quia nulla spes meliorum affulget nisi a clementia optimi Regis, peto a te obnixe, ut meo nomine, si placet, ipsius Majestatem convenias, et significes hoc unum cupere me ab illo impetrare, ut semel tandem statuatur de captivo, et quoquomodo finis imponatur ejus duræ sane captivitati. Oro, obsecro, obtestor tuam reverentiam, Præsul *εὐσεβέστατε*, ut tuo patrocinio miserum ne judices indignum. Spero illam immensam Domini Regis bonitatem quam in ejus Majestate etiam hostes admirantur, mihi veniam daturam hujus audaciæ, et humillimas preces meas non aspernaturam. Ego Deum immortalem per Jesum Christum toto affectu veneror, ut et Regem optimum, et Regiam domum servet incolumes, ac modis omnibus beet. Vale et felix vive, reverendissime Domine. *Londini.* 3 *Id. Nov.* 1613."

Heinsium Ep. 925, de progressu operis sui: Grotii se cum voluptate legisse librum inscriptum 'Pietas Ordinum Hollandiæ' contra Sibbrandum Lubbertum Theologum Franekerum.

Thuanum Ep. 926, in proposito se noctes diesque pergere.

Meursium Ep. 927, Thuanum animo candido excipere illos qui certiora eum velint docere.

1021, 17. XIV. *Kal. Dec.*] Ad Heinsium scribit Ep. 928, a latere suo ægre se Mericum discedere pati: ut aurem Erpenii vellat de loco, *Tu es Petrus.*

Joannem Prideaux Ep. 929, tria se opusculi ejus folia legisse: habere Francisci Porti Cretensis epigramma ante annos triginta et tres scriptum de studiis suis.

Casaubonus scilicet Portum Græco carmine laudarat, *δεῦρ' ἴτε πρὸς Πόρτον, πρὸς σοφίας Λιμένα· Πόρτος πάντα μάθεν κ.τ.λ.* cui Portus respondit:

Εἰς Ἰσαάκιον Κασαύβωνα ὑπερεπαινέσαντα Φράγκισκον τὸν Πόρτον.

Καί κε τὸ βουλοίμην, Ἴσαακ φίλε, καί κε τὸ κέρδος
 Ἦν ἂν τοῖς μούσεων ἔργα μετερχομένοις.
Ὅρμον ἐμόν γ' ἀνέμων σκέπας ἴσχειν ἐσθλὸν ὄνειαρ
 Εὐρυχανεῖ σοφίης πλαζομένοις πελάγει.
Ἀλλὰ σὺ Πηγασίδος κρήνης πλέος, ἔνθεος ἤδη,
 Χοιράδας ἐξαίρεις ἄντυγ' ἐς οὐρανίην.
Χαῖρ' οὖν, ὅττι τόσον τοὺς μηδένας οἶδας ἀέξειν
 Θελξινόοισι τεῶν ἀγλαΐαις ἐπέων.

1022, 21. *Prid. Kal. Dec.*] Ad Joannem Prideaux Ep. 930, Regem post dies quindecim venturum: gratum Regi et Archiepiscopo ipsum fore.

1023, 12. *Non. Dec.*] Ad Thuanum Ep. 931, VI. *Kal. Jan.* 932, de argumentis operis sui.

1028, 23. *medici*] Majernius aquas Spadanas utilissimas fore judicabat.

1034, 8. XIII. *Kal. Feb.*] Ad Grotium scribit Ep. 933, Regi placuisse Ordinum consilium: multa se hortari ut recreandi animi caussa aliquo proficiscatur.

1036, 9. *literas*] Ad Thuanum Ep. 934, videre se nondum excidisse memoriam sui ex animo Cancellarii, ad quem dubitavit an scriberet spe facta continuandæ in hunc annum pensionis.

— 14. *literis*] Ad Lingelshemium Ep. 935, editionem primæ partis responsionis suæ jam absolutam, exceptis indicibus et præfationibus.

Heinsium Ep. 936, de epigrammate misso ab Heinsio, a Prideaux edito: adjectam versionem Merici, quem ne a se dimittat triste fratris exemplum deterret.

Joan. Meursium Ep. 937, Thuanum pro notis ejus agere gratias: opus suum ad umbilicum perductum.

Thomam Erpenium Ep. 938, gratias se agere pro versione: orare illum ut det publico Historiam Arabicam Patriarchæ Alexandriæ: exemplar operis sui illi destinatum.

Grotium Ep. 939, munus Savilianum probe curatum esse: operis sui primam partem editam.

1042, 3. XIV. *Kal. Mar.*] Thuanum? Ep. 940 de Coifetelli vasto opere et Matthæo Parisiensi.

1044, 18. III. *Non. Mar.*] Ad Thuanum? Ep. 941, bilium ire Lutetiam, neque tamen deferre operis exemplar, uno folio nondum edito: exemplaria Francofurtum missa vænire sine prolegomenis: epistolam se ad Regem scripsisse tractantem quæstionem an fuerit opus reformatione: postquam ejus judicium cognoverit, itineri se accincturum.

— 25. *Non. Mart.*] Ad Lingelshemium cum Ep. 942 mittit duo exemplaria, ipsi unum, alterum Domino Buwinchhausen.

Hœschelium cum Ep. 943 exemplar, cui desunt prolegomena.

1046, 22. *literas*] Ad Heinsium Ep. 944. "Nuper scripsi opus meum esse Dei gratia ad umbilicum perductum. Sola tum erant prolegomena, quæ publicationem illius impediebant. Ea vero scito tandem esse absoluta, meque post diem tertium mercatori isthic noto, Domino Bursamach, tria exemplaria traditurum isthuc curanda, unum tibi, alterum Grotio, tertium Erpenio. Non potui citius hoc præstare; vix enim dies sunt elapsi quatuor aut quinque ex quo ultimum folium est impressum. Itaque ne ὁ πάνυ quidem Eliensis habet a me exemplar. Scito esse allatum ad Regem serenissimum scriptum Scioppii adversus ejus Majestatem et adversus me plane furiosum. Mihi objicit lenocinium, stuprum, adulterium, furtum, uxori longe castissimæ adulterium, patri optimo similia scelera. Fingit quæ nunquam sunt facta: adjicit personarum et locorum circumstantias, ne quid desit ad probabilitatem. Ego, volente Deo, simul ac liber erit Francofurto allatus, respondebo serio et accurate. Hoc volui nescius ne esses. Vale et si me amas, μέμνησο ἀπιστεῖν τῷ καταράτῳ ἀλάστορι."

— 29. *literæ*] Ad Joannem Prideaux Ep. 945. "Tantum dicam absolutam esse per hos dies editionem libri mei, cujus mitto ad te unum exemplar.——Nihil gratius facere amici mihi possunt, quam si in mea scripta severam exerceant censuram.——Sed scito surgere jam mihi majus opus. Nam pater meus, qui dicebatur laqueo vitam finiisse, nunc a Scioppio dicitur non periisse quidem δι' ἀγχόνης, sed in adulterio deprehensus Lausannæ, quo pater nunquam pedem intulit, pecunia supplicium redemisse. Ego, uxor, et omnes mei postulamur lenocinii, adulterii et cujus non criminis? Quin adduntur nomina locorum et personarum, ne quid ad probabili-

tatem desit. Miraris hoc? imo illud potius mirare, quod cum Rege serenissimo non multo melius agitur. Liber manu exaratus ad Regem est missus. Ubi prodierit, videbis accuratissimam responsionem, Θεοῦ διδόντος, qui te servet. *Lond.* 15 *Kal. Apr.* 1614."

1047, 30. *febris*] Erpenio Ep. 947 febricitans gratias agit, qui hortatu suo excusum proverbiorum Arabicorum libellum miserit cum Ep. 946.

1048, 10. *Gordoniam*] Scribit Ep. 948 exemplaria operis sui uxorem Gordonii deferre Lutetiam: Bilium brevi missurum sperari.

Ad Andr. Dunæum scribit Ep. 949, Græce; de Platonico verbo multa quum possit scribere, mala se valetudine impediri; neque sanabiles morbos medicis videri.

1049, 26. *Eboracensi*] Tobia Matthew 1606, qui fuerat Decanus Ædis Christi apud Oxonienses 1576, Dunelmensis 1583, Episcopus Dunelmensis 1595, obiit 1628, anno ætatis 82.

1050, 16. *literæ*] Ad Lingelshemium Ep. 950. "Novissimas tuas, quibus erant adjunctæ veteris amici mei Samuelis Bernardi literæ, nuper accepi. Petieram ab ipso consilium, deberemne principi, cui inservit, operis mei exemplar unum mittere. Non ita pridem ipse ab eo acceperam Colloquii Gonteriani (*Gonterii Jesuitæ et Molinæi ecclesiæ reformatæ ministri. Thuan. Contin. II.* 39) narrationem jussu Principis, ut aiebat, ad me missam. Volui igitur quasi vices rependere: sed jam deest mihi facultas librum in eam rem paratum isthuc mittendi. Puto pervenisse ad manus tuas destinatum tibi exemplar. Itaque judicium tuum expecto; judicium dico, et acrem, si me amas, et mea dignaris tua lectione, censuram. Scio quam sit facile in tam gravi argumento errare et labi. Ego autem, etsi delectatus semper sum illis literis, ad scribendum tamen de eo argumento nunc primum accedo. Summa voti mei in suscipienda ea scriptione fuit, ut quasi decimam studiorum meorum Deo immortali persolverem. Olim venerandus parens meus, quum ego illi notas in Diogenem offerrem, et de meis inceptis ad rem literariam promovendam multa juvenili more narrarem, respondit mihi, laudare se quidem propositum meum, καὶ τὴν πρὸς τὰ μαθήματα ὁρμήν· cete-

rum pluris se vel unicam observationem facturum ad libros sacros pertinentem, quam illa omnia quorum spem illi feceram. Hæsit animo meo penitus infixa viri optimi vox illa, semperque ex illo tempore *θεῖα μελετᾷν* sum conatus. Quod si editione hujus operis piorum judicia sum promeritus, magnas Deo immortali gratias sum acturus, et horam fatalem animo æquissimo sum expectaturus. Deinceps vero, quæ me studia sint habitura, incertum habeo. Patria me repetit, nisi brevi rediero, graves inimicitias mihi denuncians. Ego liberis meis hic prospicere, commodis privatus, quæ hactenus e Gallia percepi, non possum. Jubet quidem me Rex serenissimus et *εὐσεβέστατος* bono esse animo; sed meministi Homerici oraculi, *αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.* Ego autem, si-quis mortalium, frontem infirmam habeo, quo ingenio qui sunt et in aulis versantur, næ illi hæredes non multum juvant. In patriam si rediero, Polybianum scilicet commentarium adornabo, *Θεοῦ θέλοντος*· sin me providentia divina hic detinuerit, et faverit cœptis *ὁ Σωτὴρ*, in examinandis Annalibus Baronianis me exercebo. Est animus formam veteris ecclesiæ qua internam, qua externam, positis affectibus, quod pauci fecerunt, accuratissime explicare. Vides animi mei æstum et consiliorum *τὸ ἄπορον*."

Thuanum Ep. 951, exemplaria quædam operis sui in nave Rothomagensi Lutetiam missa: alia deferentem Dominam Gordoniam in portu hærere.

— 19. *literas*] Ad Principem Ep. 952, de colloquio in aula ejus habito cum Gonterio et Molinæo: de Wegelino Gonterianas fraudes exponente: de opere suo.

1052, 5. IX. *Kal. Mai.*] Scripsit ad Grotium Ep. 953, judicium ejus de opere suo expetens.

Ad Meursium Ep. 954, nihil caussæ esse cur de Thuani silentio queratur.

Ad Polyandrum Ep. 955, gestire animum suum scribere: "Accedebat alia etiam caussa: cogitans enim unum e filiis meis studiorum caussa isthuc (*Lugdunum Batavorum*) mittere, precibus multis volui a te contendere, ut, si fieri posset, in tuam domum illum admitteres, ut in ea, velut in asylo quodam, tutus esset a fanaticis opinionibus, quas audio isthic impune gras-

sari.——Filii mei (*Merici*) missionem ad vos Regis serenissimi voluntas retardavit, cui placuit ut in Academia Oxoniensi aliquamdiu maneret, priusquam transmarinas Academias adiret."

Sibrandum Lubbertum Ep. 956, cum animi se dolore vidisse postremam ejus epistolam: crescere in ecclesiis jurgia et contentiones.

Ad Erpenium Ep. 957, librum ejus toto morbi sui tempore fuisse in manibus suis dies noctesque.

1052, 17. *Moschoviticum*] Vide 1020, 17.

1053, 4. *accepi*] Et respondit Ep. 958, literas se ejus ad Dominum Overalum delaturum. "Scito autem ipsum non esse jam Decanum Paulinum, sed Episcopum Lichfeldensem, qua dignitate ante mensem ab optimo Rege est ornatus. Sed, ut sunt res humanæ, hanc accessionem honoris parum sibi lætam reddidit sive λιθίασις, sive alius non dissimilis generis morbus, quo eo ipso fere die est correptus quo dignitatem est adeptus." Edictum se Ordinum legisse, et locos notasse quos optasset paullo aliter esse conceptos: propositum Ordinum non laudare: de iis quæ vetus ecclesia credebat: doceri se cupere, ea tamen lege ut contraria fidei ecclesiæ primitivæ credere non compellatur.

1054, 6. *Pr. Kal. Mai.*] Ad Thuanum scripsit Ep. 959, consiliorum suorum rationem mutare se cogi propter nuntiata de rebus Gallicis; fugiendi e Galliis quam longissime videri tempus esse.

— 10. *Kal. Mai.*] Ad Heinsium scripsit Ep. 960, judicium se ejus de opere suo exspectare; corpus sibi admodum affectum.

1057, 10. *Pr. Eid. Mai.*] Ex Thuani literis, Ep. 961, cognoscere cupit, quæ sint isthic de suo opere hominum judicia; audit Johannem filium iter Lutetiam cogitare.

1058, 3. *literas*] Ad Heinsium Ep. 962. Gratulatur novam professionem: curando corpori operam dare coactus: de futuro suo statu incertus. "Mihi et jampridem est in animo filium meum Mericum in disciplinam tibi tradere, si Deus immortalis vota mea exaudiat neque tu nolis. Cupio in Græcis, Latinis et Hebraicis literis ipsum serio exerceri. Hoc in Anglia posse fieri sperare non possum; nam hic locupletissima sunt col-

legia; sed quorum ratio toto genere diversa est ab institutis omnium aliorum collegiorum. Quo sumtu filium possim isthic alere honeste, scire velim. Quod si res meæ ferunt, ut par sim futurus illi impensæ, expecta me isthic non multo post tuas acceptas. Si consilium probas, cogitabam apud Dominum Polyandrum hospitium illi procurare, fieri modo queat, te enim solum vivere, neque aliud nisi tua studia curare audio. Spero tamen hoc saltem impetraturum me ab humanitate tua, ut filio meo velis esse, quod fuit ὁ μέγας Scaliger tibi, ἐργοδιώκτης, nempe et assiduus hortator."——

F. Swertium Ep. 964, de Scioppio, Andrea Cretensi, Prideaux, atque suis in Baronium exercitationibus.

*Grotium*] Ep. 963, edictum illustrissimorum Ordinum probare Regem, Archiepiscopum, et præstantis doctrinæ præsules: paucula notat, quæ videantur præbitura reprehendendi ansam.

1062, 7. VIII. *Eid. Jun.*] Ad N. N. scribit Ep. 965, de Gretsero contra Thuanum, et de triplici morbo suo, vetere ἀρρωστίᾳ τὰ περὶ θώρακα, tumore ventris recenti, et δυσουρίᾳ.

1063, 14. *Vesperarum Sicularum*] Tertio post Paschæ die, anno 1282, sub tempus precum vespertinarum, Siculorum impetu facto, octo amplius millia Gallorum in Sicilia trucidabantur.

— 16. *Eid. Jun.*] Ad Heinsium scripsit Ep. 966, literas ejus tertium jam mensem desiderari: operi suo mendas fœdissimas passim inspersas.

Ad Joannem Polyandrum Ep. 967. De posthuma Baudii filiola: de fasciculo quem Heinsius an acceperit dubitat: commendat illi Isaacum Chabanæum sororis suæ filium juvenem singulari pietate præditum.

1065, 24. *Finis ἐφημερίδων*] Quæ sequuntur, Raphael Thorius medicus de morbo et morte Casauboni scripsit. "Quam ardua sit artis medicæ cognitio, vel ex eo constat, quod negotium ei est non modo cum naturæ sapientia, sed etiam cum delirio. De monstris loquor, naturæ sive errore, sive ludo editis, quorum ea est varietas, ut nulla lege, ea multitudo, ut nullo possint numero comprehendi. Illa si in abditas humani corporis partes incidunt, quarum usu vita nequit

carere, affectus generant incognitos, enormes, quorum nec causa inveniri, nec remedium potest excogitari; artificem, dum latent, labore immenso et inani vexatum accusant imperitiæ, donec in lucem data eum absolvant. Ejus rei exemplum singulare dedit nobis homo singularis exempli, Isaacus Casaubonus, longiore vita et fato molliore, si Deo visum fuisset, dignissimus, cui cum proprias homini partes excellentes natura fabricasset, ingenium, judicium, memoriam; in nonnullis, quæ nobis cum brutis sunt communes, ipsa hallucinari visa est, studio an casu incertum: certe in ipso delicto magna providentia eluxit, quæ vitio formationis, non sine aliquo commodo, abusa, hominem cum miraculo in satis grandem ætatem servavit, at tandem exitio invita tradidit. Isaacus Casaubonus, vir ad doctrinam formatus, corpusculum nactus erat tanto ingenio impar, non tamen ad obeunda animi imperia ineptum: color citrinus, macies, niger pilus, oculus cavus, sed vividus; omnia calidi, sicci temperamenti indicia; vigil, sermonis promptissimi, irasci facilis, in agendo vehemens, bilis notæ haud dubiæ, quæ omnia intenderat labor nunquam intermissus, somni parsimonia, animi perpetua contentio, magna voluptatum abstinentia, corporis neglectus, in potu et cibo ἀδιαφορία. In tali apparatu vix esse poterat valetudinis constantia, nec erat sane: nam ex spirituum squallore et impetu febri opportunus cum esset, actionum offensam incurrebat frequenter, quam, nec si cuperet, dissimulare poterat. Sed homini sui negligenti, in studiis attento ne conquerendi quidem otium erat, nec animus, adeo ut non nisi increpantibus amicis, et viribus deficientibus ægrotare se crederet. Ita comparatus dum urget propositum, vitæ curriculum ad metam accelerat; et non longum ævum sibi auguratus, tanto acrius stimulos inculcat, exemplo viatorum, qui, declinante die et procul adhuc hospitio, celeritate compensant residuæ lucis brevitatem: hoc consecutus tanto ardore, ut et vitæ actum ultimum citius pertransiret, et immortalitatem effrenis animus maturius attingeret; nam infirmum corpus heri imperiosi mandatis inquietum, paulatim concussum, subito tandem concidit, suaque ruina æternum memoriæ monumentum exstruxit. Verum quoniam non longa ejus mihi fuit notitia,

attingere libet ultimi tantum quadriennii historiam, quo novus Britanniæ hospes sanitatis suæ curam mihi credidit. Primo aspectu obstupui in tam humili hospitio tam excelsam sapientiam habitare; sed ex vultu de sanitatis incommodis ominatus, dolui tam brevem ejus boni usuram portendi; veritus ne, ut accidit, odio quietis, laboris dulcedine, in novo studiorum campo, in tanti Regis oculis, homo impiger exsangue corpusculum cursu concitato ad æternam quietem præcipitaret. Præter occulta mala, duo illum incommoda aperte exercebant, tussis ex catarrho salso fere continua, febris intermissa, erronea, ἑκτικώδης. Utriusque materia erat spirituum et succorum acrimonia, occasio, vigiliæ et motus animi vehementes, qui tanquam flabella internum incendium augebant; utque ex spontanea insomnia tussis et febris, sic invicem ex istis agrypnia necessaria, squallente nimirum cerebro, et interpellato per sonos et motus pectoris violentos somno, quem alioqui a natura habebat levissimum; edebat tamen, bibebat satis liberaliter, et, ut reliqua, cum impetu. Verum quemadmodum victimæ aluntur non ut vivant, sed ut festo die moriantur; sic ille pascebatur in candidam illam lucem, qua innocens anima carcerem egressa in patriam remigraret, non auctis a cibo carnibus, sed suffecto tantisper ad vitæ lychnum oleo, donec præfixa venisset hora, quæ cælo mentem succi plenam, corpus tabe absumptum terræ traderet. In illo itaque declinationis statu prope quadriennium vixit, si vivere est, in sinu gestare aperta mortis instrumenta; vixit, inquam, et verius, quam qui plena sanitate felices præter vultus nitorem et abdominis amplitudinem nihil vitale præ se ferunt; tametsi ille nigris circumquaque oculorum antris, prominentibus genis, colore lurido, nutante pectore, toto denique vultu et gestu mortis faciem adumbraret. Nemo enim, absit verbo invidia, ætatis in flore et valetudinis fastigio præstitit, quantum athleta noster inter lentos ignes, suspiria, stillicidia, aliaque mortis satellitia, solo animi ardore et constantia incredibili fretus elaboravit. Non putabat scilicet decorum, veri decoris æstimator, stationem deserere, nisi ultimam auram exspiranti: et velut invictus miles succisis poplitibus de genu pugnat ira valentior quam viribus, sic ille

longo cum laboribus et mortis conflictu fractus non animo, sed membris; non mentis acie, sed organis, ad ultimum usque spiritum in munere sibi persistendum affirmabat. 'Quid enim vultis? (dicebat amicis quietem suadentibus) aliam ut naturam hoc ævo induam? Parebo si jubetis; sed ambos pœnitebit; vos consilii, me obsequii. Mihi antehac imperatum otium, a me quæsitum, sed conatu irrito, imo pernicioso; non enim morbo, sed morte gravior est desidia; nec unquam infelicius valeo, quam ubi iners retracto corporis mala, et ex iis studiorum naufragium præsentio.' Nec verba erant; violentiam quandoque indoli fecit, in gratiam amicorum bello libris indicto, sed tanto cum naturæ fastidio et indignatione, ut rursus laxare frenum ingenio cogeretur; non enim magis poterat a studiis quam ab aeris haustu prohiberi. Permissus igitur arbitrio suo, eodem pede vitam et incepta ad finem promovebat per ægritudines intestinas quotidie invalescentes constanti semper habitu, quasi animus nihil egens corporis ministerio ei vilitatem exprobraret, deque naturæ ipsius infirmitate triumphans sceleton suum non amplius ut organum, sed ut feretrum circumferret. Magnum opus et longioris animæ aggressus in vitæ crepusculo et deliquio valetudinis, Ecclesiasticæ Historiæ vindicias, quo veram ecclesiæ faciem per singulas ætates describebat, detersis fucis, quos vel ignorantia, vel superstitio, vel partium studium induxerat; arduum quidem opus et prope immensum, sed ad cujus consummationem nihil præter tempus defuit; supellex enim tot vigiliis et scriptorum thesauris parta abunde suppetebat; ad componendum industria, ad disponendum judicium, nusquam majora; alacritas, assiduus labor, ne juveni quidem imitanda. Illud unum invidit sæculo tam illustri ædificium, quod, ut Crassus per jocum Dejotaro objiciebat, ipse joco dignus, *δωδεκάτης ὥρας οἰκοδομεῖν ἤρχετο.* Sed homo ad æternitatem compositus, et mentis actionibus omnis et semper intentus, nec annorum numerum recolebat, nec corporis damna pensitabat, nec denique adventum senectæ aut sanitatis detrimentum sentiebat: more militum, qui in calore pugnæ nec vulneribus acceptis dolent, nec brachium aut crus abscissum sentiunt, nisi cum aut feriendi, aut incedendi vim ablatam

sibi vident. Postquam igitur hibernis vigiliis absolutum majoris pensi specimen primum dedisset, quale nullus Apelles possit ad umbilicum unquam perducere, remisso tantisper studiorum impetu occœpit corpus suum intueri, admonitus importunis dysuriæ aculeis, et lento incendio aquam expetente, et pristinos somniculos profligante; tum exesis carnibus ossium compagem figuramque contemplatus et reliquis partibus flaccescentibus ventrem miratus in utrem augeri, agnovit conditionem vitæ brevis et molestæ. Tum auditus est deplorare non morbi tædium, non sævitiam doloris, non mortis viciniam; sed studiorum interitum, sed operis perficiendi spem mortuam. Crescebant in dies vesicæ tormenta, jam parietes ventrem faciebant, et aliæ ex aliis rimæ lapsum minabantur. Spectabant medici amantes singularis ornamenti triste præsagium, omni diligentia, qua dabatur copia, ruinam sustentantes; sed inani opera. Malum enim inusitatum quale nulla ætas aspexit, nulla veterum aut recentium scriptorum diligentia nominavit, illudebat eorum consiliis: pugna erat cum monstro, et latente, quod hinc magni lapidis faciem omnibus notis ostendebat, cum ne scrupus quidem esset; illinc aquam sacco inclusam præter naturam ad sinistram ilium regionem mentiebatur, cum illud, quicquid esset, a natura ipsa esset. Verum etsi in assignanda morbi materia et modo ex naturæ ipsius impostura esset aberratum, in prædicendo exitu vates fuerunt nimium veri; sive enim lapis foret in vesica, qui sectionem necessario posceret, spes salutis nulla; talem enim tali tempore secare, non erat vesicam, sed jugulum petere; seu quidvis aliud inexploratæ causæ nocumentum in eo virium omnium collapsu lateret, nullus patebat ad incolumitatem exitus. Quod ergo unicum restabat, Deo permissus et naturæ, exspectabat intrepide animæ exitum inter suas voluptates, hoc est, libros et studia, quum ecce derepente scena intervenit, quæ ultimum tragediæ actum clausit. Invitante cælo et amicis, feriatum iverat circa Id. Junii ad aulam regiam quatuor a Londino millibus, vectus rheda per duras pavimenti Londinensis salebras, qua civitas longissime protenditur, non inusitato quidem et hactenus innoxio ausu; sed tum demum imminente fato nihil non erat

ferale. Mensæ ergo admotus ad primas epulas simul cum ipsis lætitiæ verbis ex jucundo congressu amicorum fluentibus auditus est voce querula dolorem solito acerbius accusare, et vultu licet ad tranquillitatem coacto adstantibus magni mali opinionem injecit, tumque tentatis venis febris comparuit, in eo casu lævi semper ominis nuncia. Verum ut erat moribus commodus, et amicorum observator, conversis ad hilariora sermonibus, prandium sine querela, at non sine convivarum metu absolvit. Inde ad ambulationem in amœnum viridarium sponte sua deductus, inter colloquia erudita et lectionem jucundam cum familiaribus diem ad vesperam protraxit, composito semper ad hilaritatem gestu, quantum licebat per sævitiam morbi. Hinc domum petiit ejusdem viæ et vehiculi incommoditate, concussus illis in partibus, ubi morbus et mors consistebant. Lecto datus egit noctem immitem in ea tortura, qua magnus ille cruciandi magister Tiberius scientiæ specimen amicis dare solitus erat, restrictis lotii meatibus, et retro pulso ad caput suum fœdo flumine. Tum demum accepto vadimonio intellexit transferendum alio mortale tugurium, et de stabili domicilio cogitandum. Inest enim eo tempore præsagus quidam vitæ desinentis sensus etiam plebeiis animis, ita scilicet dispensante Deo, ne tanquam mali familiæ patres longum iter rebus inordinatis capessamus, aut vitiis sordidi sine advocati præsidio illotis vestibus ad rerum capitalium Judicem accedamus. Mane converso ad medicum sermone: 'En,' inquit, 'nostræ festivitatis epilogum! Theophrastus (addit) in assidua studiorum contentione centesimum annum egressus erat, invitatus ad nepotis ex fratre nuptias, unum et alterum diem seorsim a libris inter ludicra perdiderat, qui fuit ei studiorum ultimus; nam in morbum prolapsus cito exspiravit. De me quid futurum sit, constituit Dei providentia; sed sive mihi sit moriendum, sive in his doloribus perdurandum, studiorum excidium prævideo: quicquid autem illud erit, lætus et libens tibi parebo, Domine.' Ita loquutum magna alacritate, quæ illum ne in ipso quidem agone deseruit, bene sperare jussit medicus, et refutato Theophrasteo omine, de vita et valetudine, ut cogitaret, oravit, fore ut dolorum acerbitas apto remedio demulceretur; simul-

que balneolum suasit; sed prius ad febrem et vesicæ ardorem detracto sanguine. Inde aliquantum remisso cruciatu in ipso labro sedens, gratias agebat Deo tam effusa animi lætitia, ut videretur oblitus laborum, et securus futuri, magno certe veræ fortitudinis et humilitatis Christianæ documento. Quippe qui exquisita tormenta velut silentio admorsis tantum labris perferret; ad brevem dolorum remissionem exultabat, et in Dei laudes pro eo beneficio totus effundebatur. Intelligebat enim vir humanarum et divinarum rerum scientissimus, adversa nobis ex merito, secunda ex Dei gratia obvenire; in illis Dei justitiam, in his benignitatem elucere, contra quam solent molles et *φίλαυτοι*, quorum frequens est cum Deo de pœnis vel levibus expostulatio, beneficiorum autem ingentium alta et pudenda oblivio. Alternis igitur *ἀναπαύσεως καὶ παροξυσμοῦ* momentis suspensus in dies ad summam diem procedebat, ut nimium certis indiciis constabat; qualia erant fœtor, et pus in lotio multum, febris incrementum, sitis *ἄσβεστος*, odor ex ore malus, vultus hominis jam mortui, sudor toto corpore abundans, frigidus, pinguis, lentus, quo se videbat lychni instar sensim absumi, sine ullo tamen perturbationis vestigio; tantum ad dysuriæ exacerbationem gemebat interdum, verum continuato molestiæ et obdurato sensu omisit etiam gemitus, ut crederetur ab hospitibus expers doloris, nec nisi rogatus de malo suo verbum faceret. Sed et alta rerum cælestium meditatio totum hominem tenebat, ut non vacaret aut dolere, aut queri. Laus, me judice, conferenda cum veterum martyrum gloria; neque enim equulei tortura, nec stylorum aut ungularum lancini (*sic*), aliaque crudelitatis instrumenta atrocius discruciant, quam nervorum in corporis centro incendium, aut salis, quidquid attingit erodentis, lixivium, partes exquisiti sensus assiduis puncturis vellicans; utque strenui illi veræ pietatis satellites pro Dei gloria contra fictæ religionis imposturas constanter animam per tormenta effundebant; sic ille pro tuenda Christianæ fortitudinis dignitate adversus ingenii humani mollitiem, sæculi delicias, mali dæmonis susurros obfirmato animo victor ad ultimum usque spiritum inter acutissimos cruciatus depugnavit. Post velitationes ventum erat ad pugnam statariam cum hoste omnium maxime terribili, et

vox militem nostrum ardore, siti, conatu raucum reliquerat; non sermo; qui exilis aure propiore audiebatur, et quia laboriosus, ideoque seriis rebus destinatus, nihil terrenum sonabat, sed perpetua de Deo et cum Deo colloquia, quæ animi summam tranquillitatem indicabant, nullo rerum mortalium desiderio affectam, nisi quod subinde leviter deplorabat Historiæ Ecclesiasticæ opus ad Dei gloriam et Christianam concordiam inchoatum, non absolutum relinqui. Sed statim increpabat verborum insolentiam, ne quid præter Dei arbitrium optasse videretur, quasi veritus esset penuriam hominum, qui simili studio Dei regnum procurarent. Itaque ordinata familia, vale amicis dicto, consecratis manu extrema uxore et liberis, in lætitiæ signum laudabili exemplo clausit vitæ historiam solenni illo epulo, quo Servator mundi vitam positurus testatam voluit et suam cum suis et suorum inter se unionem. Si enim mos est amicis paulo longius aut diutius peregrinaturis in discessu cum familiaribus ad benevolentiæ vinculum lautius convivari; non putabat intempestivum vir ad pacem natus, in magno illo ad cælum itinere divino prandio suam cum universo Christianorum cœtu conspirationem in fide publicare. Sic mensa remota, actis gratiis, concepta precatione per amicum præsentem, mortuæ dexteræ ministerio nudato capite, ne unquam deessent membra ad Dei cultum, errantem summis labris animam in manus sui Creatoris feliciter vir maximus exhalavit; qui, cum in omni vitæ labore supra fidem prodigioso virtuti et sapientiæ strenuam dedisset operam, omnium bonorum applausu celebratam, supremo tamen facinore mortis tam bene obitæ, memoriam anteactæ vitæ, velut eminenti fastigio, coronavit, dignus Heros, quem præsens ætas, quem postera admiretur, colat, imitetur.

FINIS.

# INDEX NOMINUM.

# SELECT LIST

OF

# STANDARD WORKS

PRINTED AT

# The Clarendon Press, Oxford.



## 1. STANDARD LATIN WORKS.

**Avianus.** *The Fables.* Edited, with Prolegomena, Critical Apparatus, Commentary, etc., by Robinson Ellis, M.A., LL.D. 8vo. 8*s.* 6*d.*

**Catulli Veronensis** *Liber.* Iterum recognovit, Apparatum Criticum Prolegomena Appendices addidit, Robinson Ellis, A.M. 8vo. 16*s.*

**Catullus,** *a Commentary on.* By Robinson Ellis, M.A. 8vo. 16*s.*

**Cicero.** *De Oratore.* With Introduction and Notes. By A. S. Wilkins, Litt.D.

Book I. *Second Edition.* 8vo. 7*s.* 6*d.* Book II. 8vo. 5*s.*

**Cicero.** *Philippic Orations.* With Notes. By J. R. King, M.A. *Second Edition.* 8vo. 10*s.* 6*d.*

—— *Select Letters.* With English Introductions, Notes, and Appendices. By Albert Watson, M.A. *Third Edition.* 8vo. 18*s.*

**Horace.** With a Commentary. Vol. I. The Odes, Carmen Seculare, and Epodes. By E. C. Wickham, M.A. *Second Edition.* 8vo. 12*s.*

**Livy,** *Book I.* With Introduction, Historical Examination, and Notes. By J. R. Seeley, M.A. *Second Edition.* 8vo. 6*s.*

**Nonius Marcellus,** *de Compendiosa Doctrina* (Harleian MS. 2719). Collated by J. H. Onions, M.A. (Anecdota Oxon.) 3*s.* 6*d.*

**Ovid.** *P. Ovidii Nasonis Ibis.* Ex Novis Codicibus edidit, Scholia Vetera Commentarium cum Prolegomenis Appendice Indice addidit, R. Ellis, A.M. 8vo. 10s. 6*d*.

—— *Tristia.* Recensuit S. G. Owen, A.M. 8vo. 16*s*.

**Persius.** *The Satires.* With a Translation and Commentary. By John Conington, M.A. Edited by Henry Nettleship, M.A. *Second Edition.* 8vo. 7*s*. 6*d*.

**Plautus.** *Bentley's Plautine Emendations. From his copy of Gronovius.* By E. A. Sonnenschein, M.A. (Anecdota Oxon.) 2*s*. 6*d*.

**Scriptores Latini** *rei Metricae.* Edidit T. Gaisford, S.T.P. 8vo. 5*s*.

**Tacitus.** *The Annals.* Books I–VI. Edited, with Introduction and Notes, by H. Furneaux, M.A. 8vo. 18*s*.

---

**Ellis.** *Harleian MS.* 2610; Ovid's Metamorphoses I, II, III, 1–622; XXIV Latin Epigrams from Bodleian or other MSS.; Latin Glosses on Apollinaris Sidonius from MS. Digby 172. Collated and Edited by Robinson Ellis, M.A., LL.D. (Anecdota Oxon.) 4*s*.

**King and Cookson.** *The Principles of Sound and Inflexion, as illustrated in the Greek and Latin Languages.* By J. E. King, M.A., and Christopher Cookson, M.A. 8vo. 18*s*.

**Lewis and Short.** *A Latin Dictionary,* founded on Andrews' edition of Freund's Latin Dictionary, revised, enlarged, and in great part rewritten by Charlton T. Lewis, Ph.D., and Charles Short, LL.D. 4to. 1*l*. 5*s*.

**Lewis.** *A Latin Dictionary for Schools.* By Charlton T. Lewis, Ph.D., Editor of 'Lewis and Short's' Latin Dictionary. Small 4to. 18*s*.

**Nettleship.** *Lectures and Essays on Subjects connected with Latin Scholarship and Literature.* By Henry Nettleship, M.A. Crown 8vo. 7*s*. 6*d*.

**Nettleship.** *The Roman Satura.* 8vo. sewed, 1*s*.

—— *Ancient Lives of Vergil.* 8vo. sewed, 2*s*.

—— *Contributions to Latin Lexicography.* By Henry Nettleship, M.A. 8vo. 21*s*.

**Papillon.** *Manual of Comparative Philology.* By T. L. Papillon, M.A. *Third Edition.* Crown 8vo. 6*s*.

**Pinder.** *Selections from the less known Latin Poets.* By North Pinder, M.A. 8vo. 15*s*.

**Sellar.** *Roman Poets of the Augustan Age.* Virgil. By W. Y. Sellar, M.A. *New Edition.* Crown 8vo. 9*s*.

—— *Roman Poets of the Republic. Third Edition.* Crown 8vo. 10*s*.

**Wordsworth.** *Fragments and Specimens of Early Latin.* With Introductions and Notes. By J. Wordsworth, D.D. 8vo. 18*s*.

## 2. STANDARD GREEK WORKS.

**Chandler.** *A Practical Introduction to Greek Accentuation*, by H. W. Chandler, M.A. *Second Edition.* 10s. 6*d.*

**Head.** *Historia Numorum:* A Manual of Greek Numismatics. By Barclay V. Head. Royal 8vo. half-bound, 2*l.* 2*s.*

**Hicks.** *A Manual of Greek Historical Inscriptions.* By E. L. Hicks, M.A. 8vo. 10s. 6*d.*

**King** and **Cookson.** *The Principles of Sound and Inflexion, as illustrated in the Greek and Latin Languages.* By J. E. King, M.A., and Christopher Cookson, M.A. 8vo. 18*s.*

**Liddell** and **Scott.** *A Greek-English Lexicon*, by H. G. Liddell, D.D., and Robert Scott, D.D. *Seventh Edition, Revised and Augmented throughout.* 4to. 1*l.* 16*s.*

—— *An Intermediate Greek-English Lexicon*, abridged from Liddell and Scott's Seventh Edition. Small 4to. 12*s.* 6*d.*

**Papillon.** *Manual of Comparative Philology.* By T. L. Papillon, M.A. *Third Edition.* Crown 8vo. 6*s.*

**Veitch.** *Greek Verbs, Irregular and Defective.* By W. Veitch, LL.D. *Fourth Edition.* Crown 8vo. 10s. 6*d.*

---

**Aeschinem** et **Isocratem**, *Scholia Graeca in.* Edidit G. Dindorfius. 8vo. 4*s.*

**Aeschines.** See under **Oratores Attici**, and **Demosthenes.**

**Aeschyli** *quae supersunt in Codice Laurentiano quoad effici potuit et ad cognitionem necesse est visum typis descripta edidit* R. Merkel. Small folio, 1*l.* 1*s.*

**Aeschylus:** *Tragoediae et Fragmenta*, ex recensione Guil. Dindorfii. *Second Edition.* 8vo. 5*s.* 6*d.*

—— *Annotationes* Guil. Dindorfii. Partes II. 8vo. 10*s.*

—— *Scholia Graeca* ex Codicibus aucta et emendata a Guil. Dindorfio. 8vo. 5*s.*

**Anecdota** *Graeca Oxoniensia.* Edidit J. A. Cramer, S.T.P. Tomi IV. 8vo. 1*l.* 2*s.*

—— *Graeca e Codd. mss. Bibliothecae Regiae Parisiensis.* Edidit J. A. Cramer, S.T.P. Tomi IV. 8vo. 1*l.* 2*s.*

**Apsinis** et **Longini** *Rhetorica.* E Codicibus mss. recensuit Joh. Bakius. 8vo. 3*s.*

**Archimedis** *quae supersunt omnia cum Eutocii commentariis* ex recensione J. Torelli, cum nova versione Latina. Fol. 1*l.* 5*s.*

**Aristophanes.** *A Complete Concordance to the Comedies and Fragments.* By Henry Dunbar, M.D. 4to. 1*l.* 1*s.*

—— *J. Caravellae Index in Aristophanem.* 8vo. 3*s.*

**Aristophanes.** *Comoediae et Fragmenta*, ex recensione Guil. Dindorfii. Tomi II. 8vo. 11*s.*

—— *Annotationes* Guil. Dindorfii. Partes II. 8vo. 11*s.*

—— *Scholia Graeca* ex Codicibus aucta et emendata a Guil. Dindorfio. Partes III. 8vo. 1*l.*

**Aristotle.** Ex recensione Im. Bekkeri. Accedunt Indices Sylburgiani. Tomi XI. 8vo. 2*l.* 10*s.*

The volumes (except Vol. IX) may be had separately, price 5*s.* 6*d.* each.

—— *Ethica Nicomachea*, ex recensione Immanuelis Bekkeri. Crown 8vo. 5*s.*

—— *The Politics*, with Introductions, Notes, etc., by W. L. Newman, M.A. Vols. I and II. Medium 8vo. 28*s.*

—— *The Politics*, translated into English, with Introduction, Marginal Analysis, Notes, and Indices, by B. Jowett, M.A. Medium 8vo. 2 vols. 21*s.*

—— *Aristotelian Studies.* I. On the Structure of the Seventh Book of the Nicomachean Ethics. By J. C. Wilson, M.A. 8vo. Stiff covers, 5*s.*

—— *The English Manuscripts of the Nicomachean Ethics, described in relation to Bekker's Manuscripts and other Sources.* By J. A. Stewart, M.A. (Anecdota Oxon.) Small 4to. 3*s.* 6*d.*

—— *On the History of the process by which the Aristotelian Writings arrived a heir present form.* By R. Shute, M.A. 8vo. 7*s.* 6*d.*

**Aristotle.** *Physics.* Book VII. Collation of various MSS.; with Introduction by R. Shute, M.A. (Anecdota Oxon.) Small 4to. 2*s.*

**Choerobosci** *Dictata in Theodosii Canones, necnon Epimerismi in Psalmos.* E Codicibus mss. edidit Thomas Gaisford, S.T.P. Tomi III. 8vo. 15*s.*

**Demosthenes.** Ex recensione G. Dindorfii. Tomi IX. 8vo. 2*l.* 6*s.*

*Separately:—*

Text, 1*l.* 1*s.* Annotations, 15*s.* Scholia, 10*s.*

**Demosthenes and Aeschines.** The Orations of Demosthenes and Aeschines on the Crown. With Introductory Essays and Notes. By G. A. Simcox, M.A., and W. H. Simcox, M.A. 8vo. 12*s.*

**Euripides.** *Tragoediae et Fragmenta*, ex recensione Guil. Dindorfii. Tomi II. 8vo. 10*s.*

—— *Annotationes* Guil. Dindorfii. Partes II. 8vo. 10*s.*

—— *Scholia Graeca*, ex Codicibus aucta et emendata a Guil. Dindorfio. Tomi IV. 8vo. 1*l.* 16*s.*

—— *Alcestis*, ex recensione G. Dindorfii. 8vo. 2*s.* 6*d.*

**Harpocrationis Lexicon.** Ex recensione G. Dindorfii. Tomi II. 8vo. 10*s.* 6*d.*

**Hephaestionis** *Enchiridion, Terentianus Maurus, Proclus, etc.* Edidit T. Gaisford, S.T.P. Tomi II. 10*s.*

**Heracliti** *Ephesii Reliquiae.* Recensuit I. Bywater, M.A. Appendicis loco additae sunt Diogenis

Laertii Vita Heracliti, Particulae Hippocratei De Diaeta Lib. I., Epistolae Heracliteae. 8vo. 6*s.*

**Homer.** *A Complete Concordance to the Odyssey and Hymns of Homer;* to which is added a Concordance to the Parallel Passages in the Iliad, Odyssey, and Hymns. By Henry Dunbar, M.D. 4to. 1*l.* 1*s.*

—— *Seberi Index in Homerum.* 8vo. 6*s.* 6*d.*

—— *A Grammar of the Homeric Dialect.* By D. B. Monro, M.A. 8vo. 10*s.* 6*d.*

—— *Ilias*, cum brevi Annotatione C. G. Heynii. Accedunt Scholia minora. Tomi II. 8vo. 15*s.*

—— *Ilias*, ex rec. Guil. Dindorfii. 8vo. 5*s.* 6*d.*

—— *Scholia Graeca in Iliadem.* Edited by W. Dindorf, after a new collation of the Venetian MSS. by D. B. Monro, M.A. 4 vols. 8vo. 2*l.* 10*s.*

—— *Scholia Graeca in Iliadem Townleyana.* Recensuit Ernestus Maass. 2 vols. 8vo. 1*l.* 16*s.*

—— *Odyssea*, ex rec. G. Dindorfii. 8vo. 5*s.* 6*d.*

—— *Scholia Graeca in Odysseam.* Edidit Guil. Dindorfius. Tomi II. 8vo. 15*s.* 6*d.*

—— *Odyssey.* Books I–XII. Edited with English Notes, Appendices, etc. By W. W. Merry, D.D., and James Riddell, M.A. *Second Edition.* 8vo. 16*s.*

**Oratores** *Attici*, ex recensione Bekkeri:

I. Antiphon, Andocides, et Lysias. 8vo. 7*s.*

II. Isocrates. 8vo. 7*s.*

III. Isaeus, Aeschines, Lycurgus, Dinarchus, etc. 8vo. 7*s.*

**Paroemiographi Graeci,** *quorum pars nunc primum ex Codd. mss. vulgatur.* Edidit T. Gaisford, S.T.P. 1836. 8vo. 5*s.* 6*d.*

**Plato.** *Apology*, with a revised Text and English Notes, and a Digest of Platonic Idioms, by James Riddell, M.A. 8vo. 8*s.* 6*d.*

—— *Philebus*, with a revised Text and English Notes, by Edward Poste, M.A. 8vo. 7*s.* 6*d.*

—— *Sophistes* and *Politicus*, with a revised Text and English Notes, by L. Campbell, M.A. 8vo. 18*s.*

—— *Theaetetus*, with a revised Text and English Notes, by L. Campbell, M.A. *Second Edition.* 8vo. 10*s.* 6*d.*

—— *The Dialogues*, translated into English, with Analyses and Introductions, by B. Jowett, M.A. 5 vols. medium 8vo. 3*l.* 10*s.*

—— *The Republic*, translated into English, with Analysis and Introduction, by B. Jowett, M.A. Medium 8vo. 12*s.* 6*d.*; half-roan, 14*s.*

—— *Index to Plato.* Compiled for Prof. Jowett's Translation of the Dialogues. By Evelyn Abbott, M.A. 8vo. Paper covers, 2*s.* 6*d.*

**Plotinus.** Edidit F. Creuzer. Tomi III. 4to. 1*l.* 8*s.*

**Polybius.** *Selections.* Edited by J. L. Strachan-Davidson, M.A. With Maps. Medium 8vo. buckram, 21*s.*

**Sophocles.** *The Plays and Fragments.* With English Notes and Introductions, by Lewis Campbell, M.A. 2 vols.

Vol. I. Oedipus Tyrannus. Oedipus Coloneus. Antigone. 8vo. 16*s.*

Vol. II. Ajax. Electra. Trachiniae. Philoctetes. Fragments. 8vo. 16*s.*

—— *Tragoediae et Fragmenta,* ex recensione et cum commentariis Guil. Dindorfii. *Third Edition.* 2 vols. Fcap. 8vo. 1*l.* 1*s.*

Each Play separately, limp, 2*s.* 6*d.*

—— *The Text alone,* with large margin, small 4to. 8*s.*

—— *The Text alone,* square 16mo. 3*s.* 6*d.*

Each Play separately, limp, 6*d.*

—— *Tragoediae et Fragmenta* cum Annotationibus Guil. Dindorfii. Tomi II. 8vo. 10*s.*

The Text, Vol. I. 5*s.* 6*d.*
The Notes, Vol. II. 4*s.* 6*d.*

**Stobaei** *Florilegium.* Ad mss. fidem emendavit et supplevit T. Gaisford, S.T.P. Tomi IV. 8vo. 1*l.*

—— *Eclogarum Physicarum et Ethicarum libri duo.* Accedit Hieroclis Commentarius in aurea carmina Pythagoreorum. Ad mss. Codd. recensuit T. Gaisford, S.T.P. Tomi II. 8vo. 11*s.*

**Theodoreti** *Graecarum Affectionum Curatio.* Ad Codices mss. recensuit T. Gaisford, S.T.P. 8vo. 7*s.* 6*d.*

**Thucydides.** Translated into English, with Introduction, Marginal Analysis, Notes, and Indices. By B. Jowett, M.A., Regius Professor of Greek. 2 vols. Medium 8vo. 1*l.* 12*s.*

**Xenophon.** Ex recensione et cum annotationibus L. Dindorfii.

*Historia Graeca. Second Edition.* 8vo. 10*s.* 6*d.*

*Expeditio Cyri. Second Edition.* 8vo. 10*s.* 6*d.*

*Institutio Cyri.* 8vo. 10*s.* 6*d.*

*Memorabilia Socratis.* 8vo. 7*s.* 6*d.*

*Opuscula Politica Equestria et Venatica cum Arriani Libello de Venatione.* 8vo. 10*s.* 6*d.*

## 3. MISCELLANEOUS STANDARD WORKS.

**Bentham.** *An Introduction to the Principles of Morals and Legislation.* By Jeremy Bentham. Crown 8vo. 6*s.* 6*d.*

**Casauboni** *Ephemerides*, cum praefatione et notis J. Russell, S.T.P. Tomi II. 8vo. 15*s.*

**Clinton's** *Fasti Hellenici.* The Civil and Literary Chronology of Greece, from the LVIth to the CXXIIIrd Olympiad. *Third Edition.* 4to. 1*l.* 14*s.* 6*d.*

—— *Fasti Hellenici.* The Civil and Literary Chronology of Greece, from the CXXIVth Olympiad to the Death of Augustus. *Second Edition.* 4to. 1*l.* 12*s.*

—— *Fasti Romani.* The Civil and Literary Chronology of Rome and Constantinople, from the Death of Augustus to the Death of Heraclius. 2 vols. 4to. 2*l.* 2*s.*

**Cramer's** *Geographical and Historical Description of Asia Minor.* 2 vols. 8vo. 11*s.*

—— *Description of Ancient Greece.* 3 vols. 8vo. 16*s.* 6*d.*

**Finlay.** *A History of Greece from its Conquest by the Romans to the present time,* B.C. 146 to A.D. 1864. By George Finlay, LL.D. A new Edition, revised throughout, and in part re-written, with considerable additions, by the Author, and edited by H. F. Tozer, M.A. 7 vols. 8vo. 3*l.* 10*s.*

**Gaii** *Institutionum Juris Civilis Commentarii Quattuor;* or, Elements of Roman Law by Gaius. With a Translation and Commentary by Edward Poste, M.A. *Second Edition.* 8vo. 18*s.*

**Gardthausen.** *Catalogus Codicum Graecorum Sinaiticorum.* Scripsit V. Gardthausen Lipsiensis. With six pages of Facsimiles. 8vo. *linen,* 25*s.*

**Herculanensium Voluminum** Partes II. 1824. 8vo. 10*s.*

**Fragmenta Herculanensia.** A Descriptive Catalogue of the Oxford copies of the Herculanean Rolls, together with the texts of several papyri, accompanied by facsimiles. Edited by Walter Scott, M.A., Fellow of Merton College, Oxford. Royal 8vo. 21*s.*

**Hodgkin.** *Italy and her Invaders.* With Plates and Maps. By Thomas Hodgkin, D.C.L. Vols. I–IV, A.D. 376–553. 8vo. 3*l.* 8*s.*

**Justinian.** *Imperatoris Iustiniani Institutionum Libri Quattuor;* with Introductions, Commentary, Excursus and Translation. By J. B. Moyle, D.C.L. 2 vols. 8vo. 21*s.*

**Pattison.** *Essays by the late Mark Pattison,* sometime Rector of Lincoln College. Collected and Arranged by Henry Nettleship, M.A. 2 vols. 8vo. 24*s.*

**Rawlinson.** *A Manual of Ancient History.* By George Rawlinson, M.A. *Second Edition.* Demy 8vo. 14*s.*

**Smith's** *Wealth of Nations.* A new Edition, with Notes, by J. E. Thorold Rogers, M.A. 2 vols. 8vo. 21*s.*

**Stokes.** *The Anglo-Indian Codes.* By Whitley Stokes, LL.D.
Vol. I. Substantive Law. 8vo. 30*s.*
Vol. II. Adjective Law. 8vo. 35*s.*

## 4. STANDARD THEOLOGICAL WORKS.

**Bigg.** *The Christian Platonists of Alexandria;* being the Bampton Lectures for 1886. By Charles Bigg, D.D. 8vo. 10*s.* 6*d.*

**Bright.** *Chapters of Early English Church History.* By W. Bright, D.D. 8vo. 12*s.*

**Clementis Alexandrini** *Opera*, ex recensione Guil. Dindorfii. Tomi IV. 8vo. 3*l.*

**Eusebii Pamphili** *Evangelicae Praeparationis Libri XV.* Ad Codd. MSS. recensuit T. Gaisford, S.T.P. Tomi IV. 8vo. 1*l.* 10*s.*

—— *Evangelicae Demonstrationis Libri X.* Recensuit T. Gaisford, S.T.P. Tomi II. 8vo. 15*s.*

—— *contra Hieroclem et Marcellum Libri.* Recensuit T. Gaisford, S.T.P. 8vo. 7*s.*

**Hatch.** *Essays in Biblical Greek.* By Edwin Hatch, M.A., D.D., Reader in Ecclesiastical History, Oxford, and sometime Grinfield Lecturer on the LXX. 8vo. 10*s.* 6*d.*

—— *A Concordance to the Greek Versions and Apocryphal Books of the Old Testament.* By Edwin Hatch, M.A., D.D., assisted by other Scholars. *To be published in Six Parts, at* 21*s. each.*

*To Subscribers in advance,* 14*s. each.*

**Nouum Testamentum Domine** Nostri Iesu Christi Latine, Secundum Editionem S. Hieronymi. Ad Codicum Manuscriptorum fidem recensuit Iohannes Wordsworth, S.T.P., Episcopus Sarisburiensis. In operis societatem adsumto Henrico Iuliano White, A.M., Societatis S. Andreae, Collegii Theologici Sarisburiensis Uice-Principali. *Partis prioris fasciculus primus. Euangelium Secundum Mattheum.* 4to., stiff covers, 12*s.* 6*d.*

---

**5. A NEW ENGLISH DICTIONARY on Historical Principles**, founded mainly on the materials collected by the Philological Society. Imperial 4to. Parts I–IV, price 12*s.* 6*d.* each.

Vol. I (A and B), half morocco, 2*l.* 12*s.* 6*d.*

Vol. II (C and D). *In the Press.*

Part IV, Section 2, C—CASS, beginning Vol. II, price 5*s.*

Part V, CASS—COL. *In the Press.*

Edited by James A. H. Murray, LL.D., sometime President of the Philological Society.

Vol. III (E, F, and G), Part I, edited by Mr. Henry Bradley. *In the Press.*

---

Oxford

AT THE CLARENDON PRESS

LONDON: HENRY FROWDE

OXFORD UNIVERSITY PRESS WAREHOUSE, AMEN CORNER, E.C.